SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

# LEONIS PAPAE XIII,

## Allocutiones, Epistolae, Constitutiones,

ALIAQUE ACTA PRAECIPUA.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI



# LEONIS PAPAE XIII

## ALLOCUTIONES, EPISTOLAE, CONSTITUTIONES,

### Aliaque Acta Praecipua.

VOLUMEN I. (1878–1882.)



Typis Societatis Sancti Augustini,
DESCLÉE, DE BROUWER ET SOC.,
BRUGIS ET INSULIS.
MDCCCLXXXVII.

Sancti Augustini, Brugis

# *PRAEFATIO EDITORIS.*

*In tuum, optime lector, collegimus commodum praecipua ea quae ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, LEO XIII a suscepto primi Pastoris munere docuit, egit, sancivit.*

*Habes hic imprimis MAGISTRI INFALLIBILIS oracula. — Singulari eius vigilantia " providetur ut ad fidei catholicae normam ubique tradantur humanae disciplinae omnes, praesertim vero* philosophia, *a qua nimirum magna ex parte pendet caeterarum scientiarum recta ratio "* [1]. — " *Vera germanaque notio societatis domesticae, cuius est in matrimonio fons et origo, vindicatur et explicatur "* [2]. — *Adversus socialistarum et communistarum portenta, " catholicae Ecclesiae doctrina exponitur, salutaria traduntur documenta et paterna monita "* [3]. — " *Potestatis politicae forma ad principia christianae sapientiae expressa proponitur ", ac publice commemoratur " quid a quoquam in hoc genere officii catholica veritas exigat* [4] ". — *Massonicae sectae doctrina universa, consilia, sentiendi consuetudo et agendi aperiuntur, eiusque vis malefica illustratur* [5]. — *Docentur " quae de constituendis temperandisque civitatibus ab Ecclesia catholica praecipiuntur ", atque gravissime pronuntiatur*

---

1. Encyclica *Aeterni Patris*, Epistolae *Iam pridem considerando*, *Probe nostis*, *Instituto volunta que nostrae*, *Licet universum*, Oratio *Pergratus nobis*, etc.

2. Encycl. *Arcanum*, cfr. Encycl. *Quod apostolici muneris*, *Humanum genus*, Epist. *Ci siamo grandemente piaciuti*, etc.

3. Encycl. *Quod Apostolici muneris*, cfr. Encycl. *Humanum genus*, Epist. *Libenti prorsus animo.*

4. Encycl. *Diuturnum*, cfr. Encycl. *Humanum genus*, *Immortale Dei*, *Nobilissima Gallorum gens.*

5. Encycl. *Humanum genus.*

" *integritatem professionis catholicae consistere nequaquam posse cum opinionibus ad naturalismum vel rationalismum accedentibus* [1] ".

*Accedunt* SUPREMI RECTORIS *acta et decreta.* — *Ecce vi rationum insuperabili Sanctae Sedis libertas vindicatur* [2], *iura primatus asseruntur* [3], *de rebus Ecclesiae cum rerum publicarum Moderatoribus tractatur* [4]. — *Prospicitur necessitatibus nationum catholicarum, commonstrata via, qua minaces inter commotiones sit incedendum* [5]. — *Iussu et hortatione efficitur ut ecclesiis sanctissimi praeficiantur Episcopi* [6], *Episcopis ipsis adiutores parentur egregii* [7], *piae constituantur societates plebi christianae* [8], *iuventuti aperiantur scholae catholicae* [9]. — *Religiosorum sodalitia promoventur, a calumniis vindicantur, in adversis sustentantur* [10]. — *Variis in regionibus novae eriguntur sedes Episcopales, veteres collapsae restituuntur* [11]; *christianae gentes a materno Ecclesiae sinu iamdiu*

---

1. Encycl. *Immortale Dei.*

2. Encycl. *Inscrutabili;* Epist. *Da grave sventura*, Oratio *Ingenti sane laetitia*, All. *Post excitatos*, etc.

3. All. *Summi Pontificatus sacrosancta maiestas.*

4. Cfr. Epistolae ad Imperatores Germaniae, Russiae, Sinarum, Iaponiae, ad Regem Lusitaniae etc. — Concordata cum Gubernio Lusitano, cum Principe Amaniensi, etc.

5. Cfr. Encycl. ad Episc. Italiae, Hispaniae, Galliarum, Lusitaniae, Hungariæ, Germaniae; Epist. ad Episc. Belgii, Bohemiae, Angliae, Hiberniae, etc.

6. Const. *Immortalis.*

7. Encycl. ad Episc. Italiae, Germaniae, Hungariae, Lusitaniae; Epist. *Plane quidem intelligis;* etc.

8. Encycl. *Quod Apostolici muneris*, *Etsi nos*, *Humanum genus ;* etc.

9. Epist. *Nel giugno dell' anno scorso*, All. *Summi Pontificatus*, Encycl. *Nobilissima Gallorum gens* etc.

10. Epist. *Perlectae a nobis*, Litt. Apost. *Singulare praesidium*, Breve, *Dolemus inter alia*, etc.

11. Litt. Apost. *Ex supremo*, *Ex hac augusta*, *Materna Ecclesiae*, *Humanae salutis Auctor*, etc.

*avulsae invitantur ad unionem* [1] ; *opera datur efficacissima ut Christi nomen ad infideles perveniat* [2].

*Demum praesto sunt sollicitudinum* SUMMI SACERDOTIS *illustria documenta. — Ad populi christiani sanctificationem iubilei beneficium ter concessum* [3]; *rosarii marialis precatio commendata, praescripta* [4]; *tertius Franciscalium ordo amplis praeconiis fidelibus propositus, novis legibus firmatus, privilegiis ditatus* [5]; *auctus Sanctorum cultus* [6]; *coelestes studiorum academiis, piorum operum sodalitatibus assignati Patroni* [7]; *definiti dies quibus sit ab Episcopis pro populo litandum* [8].

*Quae omnia si paulo attentius consideraveris, haud aegre deprehendes, LEONIS XIII doctrinam, consilia, opera, curas universas eo tendere ut, ad Dei gloriam et generis humani salutem, in aperto ponatur utriusque ordinis, naturalis et supernaturalis, cohaerentia* [9]; — *ut mutua splendescat fidci et rationis, religionis et scientiae, pietatis et litterarum convenientia* [10]; — *ut inter Ecclesiam et statum concordia stabiliatur, firmetur* [11] ; — *ut harmonia vigeat : in societate domestica, sanctissima matrimonii lege servata, divortio reprobato* [12]; *in societate politica, damnatis perversis*

1. Epist. *Da grave sventura*, All. *Amplissimi Ordinis*, *Dives in misericordia Deus*, *Si fuit in re christiana tempus*.

2. Encycl. *Sancta Dei civitas*.

3. Litt. Apost. *Pontifices Maximi*, *Militans Iesu Christi Ecclesia*, *Quod auctoritate Apostolica*.

4. Encycl. *Supremi Apostolatus*, Litt. Apost. *Salutaris*, Encycl. *Superiore anno*, etc.

5. Encycl. *Auspicato concessum;* Const. *Misericors Dei Filius*.

6. Encycl. *Grande munus*, Litt. Apost. *Deus omnipotens*, etc.

7. Litt. Apost. *Cum hoc sit*, *Cum multa*, Brev. *Dives in misericordia Deus*.

8. Litt. Apost. *In suprema*.

9. Encycl. *Inscrutabili*, *Arcanum*, *Immortale Dei*, etc.

10. Encycl. *Aeterni Patris*, Litt. Apost. *Cum hoc sit*, etc.

11. Encycl. *Immortale Dei*, *Nobilissima Gallorum gens*, etc.

12. Encycl. *Arcanum*, *Quod Apostolici muneris*, Epist. *Ci siamo grandemente compiaciuti*.

*sectis, sua Auctoritati maiestate asserta*[1]; *in ipsa societate religiosa, compositis dissidiis inter utrumque clerum, denuntiata fidelibus instanti necessitate charitatis ad invicem, submissionis erga pastores, consensionis cum Sede Apostolica ab omnibus et in omnibus servandae*[2]. — *Fortem hisce doctrinae zelo cernis esse LEONEM, sed concordiae studio pari laude pacificum : vices quippe gerit Illius, qui Deus fortis ac Princeps pacis a Vatibus olim praenuntiatus, veniens evangelizavit pacem*[3]. " *Pax autem, qualitercumque accipiatur, habet rationem finis : et in gloria aeterna et in regimine et in conversatione finis est pax* "[4].

***

*Iam, amice lector, quid a nobis praestitum fuerit, accipe.*

*Visum est Collectioni praemittere concilii Vaticani constitutionem de Primatu, non tam quidem ut in memoriam revocetur obedientiae officium, quam ut appareat, quae de Pontifice Romano a Concilio definita sunt, in LEONE plenum assequi effectum, ab IPSO compleri perfectissime.*

*Quum limites, quibus continebamur, et scopus, quem praefixum habebamus, non omnia a nobis acta referri sinerent, reliquimus ea, quae vel spectant ad commune et quotidianum iurisdictionis exercitium, vel solas congratulationes exhibent, vel potius respiciunt res privatas ; illa autem studiose retinuimus in quibus sunt doctrinae, consilia, regulae, leges.*

1. Encycl. *Quod Apostolici muneris*, *Diuturnum*, *Immortale Dei*, *Humanum genus*.

2. Const. *Romanos Pontifices*, Encycl. *Inscrutabili*, *Cum multa sint*, *Nobilissima Gallorum gens*, *Cognita nobis*, Epist. *Epistola tua*, etc.

3. Is. IX, 6, Matth. V, 9, Eph. II, 17.

4. S. Thomas, 2 ad Cor. t. I, *lect.* I.

*Documenta disposuimus secundum ordinem chronologicum, uno tantum casu excepto: nempe propter rationem unicuique obviam, litteras Apostolicas, quibus hierarchia episcopalis in Scotia restituitur, postponendas iudicavimus primae Pontificis allocutioni ad S. R. E. Cardinales et primae epistolae encyclicae ad Episcopos universi orbis.*

*Textus documentorum accuratissime relatus est, facta collatione cum authentica editione Vaticana. Advertendum tamen, plerosque titulos initiales nostros esse, quos ita componere studuimus ut paucis exhiberent* naturam *et* obiectum *documenti,* personas *ad quas immediate dirigitur,* annum *et* diem *quibus emittitur. Praeterea notis marginalibus accuratam dedimus rerum analysim.*

*Praeter* elenchum *documentorum singulo volumini additur* index analyticus ; *secundo autem volumini etiam subiicitur copiosus* index alphabeticus *materiarum totius collectionis.*

***

*Sit haec Collectio nostrae in LEONEM XIII observantiae humile* pignus, *dulcissimum anni ab EIUS Pontificatu decimi, a Sacerdotio vero quinquagesimi* memoriale, *et, quod praecipue intendimus, doctrinae et consiliorum* promptuarium *manuale, a quo sumant omnes quae sit " in his temporum ac rerum asperitatibus, sentiendi et agendi ratio, quam fideles sequi oporteat, quae sit norma, ad quam suas mentes et opera dirigere debeant*[1] ".

T. B.,
S. T. D.

1. Epist. *Tuas excepimus observantissimas litteras.*

# De Primatu Romani Pontificis

## Constitutio Dogmatica Concilii Vaticani

## PIUS EPISCOPUS

### SERVUS SERVORUM DEI

## SACRO APPROBANTE CONCILIO

*Ad perpetuam rei memoriam.*

PASTOR aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum rcdemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt (1). Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre : ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero Episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum caeteris Apostolis praeponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cuius fortitudinem aeternum exstrueretur templum,

1. Cf. Joan., XVII, 1. 20, sq.

et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret [1]. Et quoniam portae inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam, contra eius fundamentum divinitus positum maiori in dies odio undique insurgunt; Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessarium esse iudicamus, sacro approbante Concilio, doctrinam de institutione, perpetuitate, ac natura sacri Apostolici primatus, in quo totius Ecclesiae vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiae fidem, proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos errores proscribere et condemnare.

## CAPUT I.

### De Apostolici Primatus in beato Petro institutione.

DOCEMUS itaque et declaramus, iuxta Evangelii testimonia primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui iam pridem dixerat : Tu vocaberis Cephas [2], postquam ille suam edidit confessionem inquiens : Tu es Christus, Filius Dei vivi, solemnibus his verbis allocutus est Dominus : Beatus es Simon Bar-Iona ; quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est : et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam : et tibi dabo claves regni coelorum : et quodcumque ligaveris

1. S. Leo M. Serm. IV. (al. III.) cap. 2, in diem Natalis sui. — 2. Joan., 1-42.

super terram, erit ligatum et in coelis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis (1). Atque uni Simoni Petro contulit Iesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris iurisdictionem in totum suum ovile, dicens : Pasce agnos meos : Pasce oves meas (2). Huic tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant, solum Petrum prae caeteris Apostolis, sive seorsum singulis sive omnibus simul, vero proprioque iurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum ; aut qui affirmant, eumdem primatum non immediate, directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuïsse.

Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput ; vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Iesu Christo directe et immediate accepisse ; anathema sit.

## CAPUT II.

## De perpetuitate Primatus beati Petri in Romanis Pontificibus.

Quod autem in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Iesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in

1. Matth., XVI, 16-19. — 2. Joan., XXI, 15-17.

Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro IESU CHRISTO, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit : qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, episcopis sanctae Romanae Sedis, ab ipso fundatae, eiusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et iudicium exercet ([1]). Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit ([2]). Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandae communionis iura in omnes dimanant, tanquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent ([3]).

Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores ; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem ; anathema sit.

---

1. Cf. Ephesini Concilii Act. III. — 2. S. Leo M. Serm. III. (al. II.) cap. 3. — 3. S. Iren. Adv. haer. I. III. c. 3. et Conc. Aquilei a. 381 inter opp. S. Ambrosii ep. XI.

# CAPUT III.

## De vi et ratione Primatus Romani Pontificis.

QUAPROPTER apertis innixi sacrarum litterarum testimoniis, et inhaerentes tum Praedecessorum Nostrorum, Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis, perspicuisque decretis, innovamus oecumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro IESU CHRISTO plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam eius-

dem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest.

Tantum autem abest, ut haec summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tanquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni : Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur (1).

Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam ius eidem esse consequitur, in huius sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impedire posse dicunt, aut eandem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel eius auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur.

Et quoniam divino Apostolici primatus iure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse iudicem supremum

1. Ep. ad Eulog. Alexandrin. l. VIII. ep. XXX.

fidelium [1], et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse iudicium recurri [2]; Sedis vero Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio [3]. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

## CAPUT IV.

### De Romani Pontificis infallibili Magisterio.

IPSO autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex tanquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, haec Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat ipsaque oecumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque

1. Pii P.P. VI. Breve, *Super soliditate* d. 28 nov. 1786. — 2. Concil. Oecum. Lugdun. II. — 3. Ep. s. Nicolai I ad Michaelem Imperatorem.

unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti, maiorum vestigiis inhaerentes, hanc solemnem ediderunt professionem : Prima salus est rectae fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri IESU CHRISTI praetermitti sententia dicentis : Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianae religionis soliditas ([1]). Approbante vero Lugdunensi Concilio secundo, Graeci professi sunt : Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri. Florentinum denique Concilium definivit : Pontificem Romanum, verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro IESU CHRISTO plenam potestatem traditam esse.

Huic pastorali muneri ut satisfacerent, Praedeces-

1. Ex formula S. Hormisdae Papae, prout ab Hadriano II Patribus Concilii Oecumenici VIII, Constantinopolitani IV proposita et ab iisdem subscripta est.

sores Nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terrae populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Antistites nunc singuli, nunc in Synodis congregati, longam ecclesiarum consuetudinem et antiquae regulae formam sequentes, ea praesertim pericula, quae in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum (1). Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis Conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quae sacris Scripturis et apostolicis Traditionibus consentanea Deo adiutore cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam : Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

Hoc igitur veritatis et fidei numquam deficientis charisma Petro ejusque in hac Cathedra successori-

1. Cf. S. Bern. Epist. CXC.

bus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, coelestis doctrinae pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur atque suo fundamento innixa firma adversus inferi portas consisteret.

At vero cum hac ipsa aetate, qua salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci inveniantur, qui illius auctoritati obtrectant; necessarium omnino esse censemus, praerogativam, quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio coniungere dignatus est, solemniter asserere.

Itaque Nos traditioni a fidei christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis catholicae exaltationem et christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit ; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse.

Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit.

Datum Romae in publica Sessione in Vaticana

Basilica solemniter celebrata, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die decima octava Iulii.

Pontificatus Nostri anno vigesimo quinto.

*Ita est.*

IOSEPHUS, Episcopus S. Hippolyti,
*Secretarius Concilii Vaticani.*

# Sanctissimi Domini Nostri Leonis divina providentia Papae XIII Allocutiones, Epistolae, Constitutiones.

## ALLOCUTIO

### Ad S. R. E. Cardinales

### DE SUSCEPTO PONTIFICATU.

*28 MARTII 1878.*

UBI PRIMUM superiori mense, Vobis suffragia ferentibus, ad suscipienda Ecclesiae universae gubernacula, et ad vices in terris gerendas Principis Pastorum JESU CHRISTI vocati fuimus, gravissima sane perturbatione ac trepidatione animum Nostrum sensimus commoveri. Nam ex una parte Nos maxime terrebat, tum intima de indignitate Nostra persuasio, tum virium Nostrarum infirmitas tanto oneri ferendo penitus impar, quae quidem tanto maior videbatur, quanto clarior et celebrior Praedecessoris Nostri Pii IX immortalis memoriae Pontificis, sese per orbem fama diffuderat. Cum enim insignis ille catholici gregis rector pro veritate et iustitia invicto semper animo certaverit, magnisque laboribus in Christiana Republica administranda fuerit in exemplum perfunctus, non modo virtutum suarum splendore hanc Apostolicam Sedem illustravit, sed etiam universam Ecclesiam amore et admiratione sui adeo complevit, ut, quemadmodum omnes Romanos Antistites diuturnitate Pontificatus superavit, ita forte prae caeteris amplissima publici et constantis obsequii venerationis testimonia retulerit. Ex altera autem parte Nos vehementer angebat asperrima conditio, in qua hisce temporibus poene ubique non modo civilis Societas, sed et catholica Ecclesia, atque haec praesertim Apostolica Sedes versatur, quae sua per vim temporali dominatione spoliata eo adducta est, ut pleno, libero, nullique obnoxio suae potestatis usu perfrui omnino non possit.

*Rationes quae deterrere potuissent a Pontificatu accipiendo.*

*Praevalentes causae fiduciae.*

At quamquam, Venerabiles Fratres, hisce de causis ad delatum honorem recusandum movebamur, quo tamen animo obsistere divinae voluntati potuissemus, quae tam luculenter Nobis enituit in Vestrarum sententiarum consensu, et in sapientissima sollicitudine, qua Vos Catholicae Ecclesiae bonum unice spectantes, illud assecuti estis, ut quam citissime summi Pontificis electio perficeretur?

Oblatum itaque supremi Apostolatus munus nobis suscipiendum, et divinae voluntati parendum esse duximus, fiduciam Nostram penitus in Domino collocantes, ac sperantes firmiter daturum humilitati Nostrae virtutem, qui contulerat dignitatem.

*Solemnis professio muneris sancte adimplendi.*

Cum vero, Venerabiles Fratres, nunc primum ex hoc loco Vestrum amplissimum ordinem alloqui Nobis datum sit, illud imprimis solemniter coram Vobis profitemur, nihil unquam Nobis in hoc Apostolicae servitutis officio antiquius fore, quam divina adiuvante gratia eo curas omnes intendere, ut Catholicae Fidei depositum sancte servemus, iura ac rationes Ecclesiae et Apostolicae Sedis fideliter custodiamus, et omnium saluti prospiciamus, parati in his omnibus nullum laborem defugere, nulla incommoda recusare, nec unquam committere, ut animam Nostram pretiosiorem quam Nos facere videamur.

*Auxilium in laboribus et curis a Cardinalibus praestandum optatur ac petitur.*

In his autem partibus Ministerii Nostri obeundis, consilium, sapientiamque Vestram Nobis non defuturam confidimus, et ut nunquam desit, vehementer exoptamus ac petimus; quod quidem ita a Vobis accipi volumus, ut non officii studio, sed pro solemni testificatione Nostrae voluntatis hoc dictum intelligatis. Alte enim insidet menti Nostrae quod in sacris litteris ex Dei iussu Moyses fecisse narratur, qui gravi pondere universum populum regendi deterritus congregavit sibi septuaginta viros de senibus Israel, ut una cum eo onus ferrent, atque opera consilioque suo in gentis Israeliticae regimine curas eius allevarent. Quod quidem exemplum, Nos, qui totius Christiani populi duces ac rectores, licet immerito, constituti sumus, prae oculis habentes, facere non possumus quin a Vobis septuaginta virorum Israel in Ecclesia Dei locum obtinen-

tibus, laboribus Nostris opem, animoque Nostro levamen conquiramus.

*28 MARTII 1878.*

Noscimus insuper, uti sacra eloquia declarant, *salutem esse ubi multa consilia sunt,* noscimus, ut monet Tridentina Synodus, Cardinalium consilio apud Romanum Pontificem universalis Ecclesiae administrationem niti, noscimus denique a S. Bernardo Romani Pontificis collaterales et consiliarios Cardinales appellari, ac propterea Nos, qui fere viginti quinque annos honoris Collegii vestri compotes fuimus, in hanc supremam Sedem non modo animum attulimus plenum erga Vos dilectionis ac studii, sed etiam firmam eam mentem, ut quos olim consortes habuimus honoris, eis nunc laborum et consiliorum Nostrorum sociis ac adiutoribus, in expediendis Ecclesiae negotiis maxime utamur.

*Nuntiatur restituta apud Scotos hierarchia ecclesiastica.*

Nunc autem illud Nobis iucundissimum et peropportunum accidit, Venerabiles Fratres, ut dulcem consolationis fructum Vobiscum communicemus, quem ex felici opere ad Religionis nostrae gloriam peracto, in Domino percepimus. Quod enim a Decessore Nostro sanctae memoriae Pio Nono pro eximio suo in rem catholicam zelo fuerat susceptum, et ex sententia eorum ex Vobis, qui in Sacro Consilio Christiano nomini propagando censentur, decretum fuerat, ut nempe episcopali Hierarchia in illustri Scotiae regno constituta, Ecclesia illa ad novum decus revocaretur, id Nobis feliciter implere, et ad exitum perducere, Deo iuvante, datum est per apostolicas litteras, quas die IV huius mensis hoc eodem anno vulgari mandavimus. Gavisi profecto sumus, Venerabiles Fratres, quod hac in re contigerit Nobis fervidissimis votis dilectorum in Christo filiorum, cleri et fidelium Scotiae satisfacere, quos propensissimo in catholicam Ecclesiam, et Petri Cathedram animo esse, multis iisque praeclarissimis argumentis comperimus; firmiterque confidimus fore, ut opus ab Apostolica Sede perfectum, laetis fructibus cumuletur, et coelestibus Scotiae Patronis suffragantibus, in ea regione in dies magis *suscipiant montes pacem populo et colles iustitiam.*

Caeterum, Venerabiles Fratres, nulla ratione dubitamus

Vos, coniunctis Nobiscum studiis, ad tutelam et incolumitatem Religionis, ad praesidium huius apostolicae Sedis, ad incrementum divinae gloriae alacriter esse adlaboraturos, animo reputantes communem futuram omnium nostrum in coelo mercedem, si in Ecclesiae rebus adiuvandis communis fuerit labor. Divitem porro in misericordia Deum, interposito etiam Deiparae Immaculatæ, sancti Josephi Patroni coelestis Ecclesiae, ac SS. Apostolorum Petri et Pauli validissimo interventu, humilibus Nobiscum votis obsecrate, ut Nobis iugiter praesens bonusque adsit, consilia actusque Nostros dirigat, ministerii Nostri tempora feliciter disponat, ac tandem Petri navim, quam Nobis gubernandam mari saeviente commisit, domitis ventis fluctibusque compositis, ad optatum portum tranquillitatis et pacis adducat.

# EPISTOLA ENCYCLICA

## Ad episcopos universos catholici Orbis

## DE MALIS HUMANAE SOCIETATIS, EORUM CAUSIS ET REMEDIIS.

INSCRUTABILI Dei consilio ad Apostolicae dignitatis fastigium licet immerentes evecti, vehementi statim desiderio ac veluti necessitate urgeri Nos sensimus, Vos litteris alloquendi, non modo ut sensus intimae dilectionis Nostrae Vobis expromeremus, sed etiam ut Vos in partem sollicitudinis Nostrae vocatos, ad sustinendam Nobiscum horum temporum dimicationem pro Ecclesia Dei et pro salute animarum, ex munere Nobis divinitus credito confirmaremus. *21 APRILIS 1878.*

*Conspectus malorum quibus undique premitur humanum genus.*

Ab ipsis enim Nostri Pontificatus exordiis tristis Nobis sese offert conspectus malorum quibus hominum genus undique premitur : haec tam late patens subversio supremarum veritatum quibus, tamquam fundamentis, humanae societatis status continetur; haec ingeniorum protervia legitimae cuiusque potestatis impatiens; haec perpetua dissidiorum causa, unde intestinae concertationes, saeva et cruenta bella existunt; contemptus legum quae mores regunt iustitiamque tuentur; fluxarum rerum inexplebilis cupiditas et aeternarum oblivio usque ad vesanum illum furorem, quo tot miseri passim violentas sibi manus inferre non timent; inconsulta bonorum publicorum administratio, effusio, interversio; nec non eorum impudentia qui, cum maxime fallunt, id agunt, ut patriae, ut libertatis et cuiuslibet iuris propugnatores esse videantur; ea denique quae serpit per artus intimos humanae societatis lethifera quaedam pestis, quæ eam quiescere non sinit, ipsique novas rerum conversiones et calamitosos exitus portendit.

*Horum malorum causa est quod rejecta sit et despecta Ecclesiae auctoritas.*

Horum autem malorum causam in eo praecipue sitam esse Nobis persuasum est, quod despecta ac reiecta sit sancta illa et augustissima Ecclesiae auctoritas, quae Dei nomine humano generi praeest, et legitimae cuiusque aucto-

ritatis vindex est et praesidium. Quod cum hostes publici ordinis probe noverint, nihil aptius ad societatis fundamenta convellenda putaverunt, quam si Ecclesiam Dei pertinaci aggressione peterent, et probrosis calumniis in invidiam odiumque vocantes quasi ipsa civili veri nominis humanitati adversaretur, eius auctoritatem et vim novis in dies vulneribus labefactarent, supremamque potestatem Romani Pontificis everterent, in quo aeternae ac immutabiles boni rectique rationes custodem in terris habent et adsertorem. Hinc porro profectae sunt leges divinam Catholicae Ecclesiae constitutionem convellentes, quas in plerisque regionibus latas esse deploramus; hinc dimanarunt Episcopalis potestatis contemptus, obiecta ecclesiastici ministerii exercitio impedimenta, religiosorum coetuum disiectio, ac publicatio bonorum, quibus Ecclesiae administri et pauperes alebantur; hinc effectum ut a salutari Ecclesiae moderamine publica instituta, caritati et benificentiae consecrata, subducerentur; hinc orta effrenis illa libertas prava quaeque docendi et in vulgus edendi, dum ex adverso modis omnibus Ecclesiae ius ad iuventutis institutionem et educationem, violatur et opprimitur. Neque alio spectat civilis Principatus occupatio, quem divina Providentia multis abhinc saeculis Romano Antistiti concessit, ut libere ac expedite potestate a Christo collata, ad aeternam populorum salutem uteretur.

Funestam hanc aerumnarum molem Vobis, Venerabiles Fratres, commemoravimus, non ad augendam tristitiam Vestram, quam miserrima haec rerum conditio per se Vobis ingerit; sed quia intelligimus ex ea Vobis apprime perspectum fore, quanta sit gravitas rerum quae ministerium et zelum nostrum exposcunt, et quam magno studio nobis adlaborandum sit, ut Ecclesiam Christi et huius Apostolicae Sedis dignitatem, tot calumniis lacessitam, in hac praesertim iniquitate temporum pro viribus defendamus ac vindicemus.

*Ecclesia enim est mater civilis humanitatis.*

Clare innotescit ac liquet, Venerabiles Fratres, civilis humanitatis rationem solidis fundamentis destitui, nisi aeternis principiis veritatis et immutabilibus recti iustique legibus innitatur, ac nisi hominum voluntates inter se sin-

cera dilectio devinciat, officiorumque inter eos vices ac rationes suaviter moderetur. Iamvero ecquis negare audeat Ecclesiam esse, quae diffuso per gentes Evangelii praeconio, lucem veritatis inter efferatos populos et foedis superstitionibus imbutos adduxit, eosque ad divinum rerum auctorem agnoscendum et sese respiciendos excitavit; quae, servitutis calamitate sublata, ad pristinam naturae nobilissimae dignitatem homines revocavit; quae, in omnibus terrae plagis redemptionis signo explicato, scientiis et artibus adductis aut suo tectis praesidio, optimis caritatis institutis, queis omnis generis aerumnis consultum est, fundatis et in tutelam receptis, ubique hominum genus privatim et publice excoluit, a squalore vindicavit et ad vitae formam, humanae dignitati ac spei consentaneam, omni studio composuit? Quod si quis sanae mentis hanc ipsam qua vivimus aetatem, Religioni et Ecclesiae Christi infensissimam, cum iis temporibus auspicatissimis conferat, quibus Ecclesia uti mater a gentibus colebatur, omnino comperiet aetatem hanc nostram perturbationibus et demolitionibus plenam, recta ac rapide in suam perniciem ruere; ea vero tempora optimis institutis, vitae tranquillitate, opibus et prosperitate eo magis floruisse, quo Ecclesiae regiminis ac legum sese observantiores populi exhibuerunt. Quod si plurima ea quae memoravimus bona, ab Ecclesiae ministerio et salutari ope profecta, vera sunt humanitatis civilis opera ac decora, tantum abest ut Ecclesia Christi ab ea abhorreat eamve respuat, ut ad sese potius altricis magistrae et matris eius laudem omnium censeat pertinere.

*21 APRILIS 1878.*

Quin immo illud civilis humanitatis genus, quod sanctis Ecclesiae doctrinis et legibus ex adverso repugnet, non aliud nisi civilis cultus figmentum et abs re nomen inane putandum est. Cuius rei manifesto sunt argumento populi illi, queis evangelica lux non affulsit, quorum in vita fucus quidam humanioris cultus conspici potuit, at solida et vera eius bona non viguerunt. Haudquaquam sane civilis vitae perfectio ea ducenda est, qua legitima quaeque potestas audacter contemnitur; neque ea libertas reputanda, quae effreni errorum propagatione, pravis cupiditatibus libere

*Civilis humanitas Ecclesiae doctrinis et legibus repugnans, vana est et falsa.*

explendis, impunitate flagitiorum et scelerum, oppressione optimorum civium cuiusque ordinis, turpiter et misere grassatur. Cum enim erronea, prava et absona haec sint, non eam vim profecto habent, ut humanam familiam perficiant et prosperitate fortunent, *miseros* enim *facit populos peccatum* (1); sed omnino necesse est, ut mentibus et cordibus corruptis, ipsa in omnem labem pondere suo populos detrudant, rectum quemque ordinem labefactent, atque ita reipublicae conditionem et tranquillitatem serius ocius ad ultimum exitium adducant.

*Sede Apostolica etiam optime merita de universa civili societate.*

Quid autem, si Romani Pontificatus opera spectentur, iniquius esse potest, quam inficiari quantopere Romani Antistites de universa civili societate et quam egregie sint meriti? Profecto Decessores Nostri, ut populorum bono prospicerent, omnis generis certamina suscipere, graves exantlare labores, seque asperis difficultatibus obiicere numquam dubitarunt: et defixis in coelo oculis neque improborum minis submisere frontem, neque blanditiis aut pollicitationibus se ab officio abduci degeneri assensu passi sunt. Fuit haec Apostolica Sedes, quae dilapsae societatis veteris reliquias collegit et coagmentavit; haec eadem fax amica fuit, qua humanitas christianorum temporum effulsit; fuit haec salutis anchora inter saevissimas tempestates, queis humana progenies iactata est; sacrum fuit concordiae vinculum, quod nationes dissitas moribusque diversas inter se consociavit: centrum denique commune fuit, unde cum fidei et religionis doctrina, tum pacis et rerum gerendarum auspicia ac consilia petebantur. Quid multa? Pontificum Maximorum laus est, quod constantissime se pro muro et propugnaculo obiecerint, ne humana societas in superstitionem et barbariem antiquam relaberetur.

Utinam autem salutaris haec auctoritas neglecta numquam esset vel repudiata! Profecto neque civilis Principatus augustum et sacrum illud amisisset decus, quod a religione inditum praeferebat, quodque unum parendi conditionem homine dignam nobilemque efficit; neque exarsissent tot seditiones et bella, quae calamitatibus et caedibus terras

1. Prov. XIV, 34.

funestarunt; neque regna olim florentissima, e prosperitatis culmine deiecta, omnium aerumnarum pondere premerentur. Cuius rei exemplo etiam sunt Orientales populi, qui abruptis suavissimis vinculis, quibus cum Apostolica hac Sede iungebantur, primaevae nobilitatis splendorem, scientiarum et artium laudem, atque imperii sui dignitatem amiserunt.

*21 APRILIS 1878.*

*Ejus beneficia potissimum persensit Itala regio.*

Praeclara autem beneficia, quae in quamlibet terrae plagam ab Apostolica Sede profecta esse illustria omnium temporum monumenta declarant, potissimum persensit Itala haec regio, quae quanto eidem propinquior loci natura exstitit, tanto uberiores fructus ab ea percepit. Romanis certe Pontificibus Italiam acceptam referre debet solidam gloriam et amplitudinem, qua reliquas inter gentes eminuit. Ipsorum auctoritas paternumque studium non semel eam ab hostium impetu texit, eidemque levamen et opem attulit, ut catholica fides nullo non tempore in Italorum cordibus integra custodiretur.

Huiusmodi Praedecessorum Nostrorum merita, ut caetera praetereamus, maxime testatur memoria temporum S. Leonis Magni, Alexandri III, Innocenti III, S. Pii V, Leonis X aliorumque Pontificum, quorum opera vel auspiciis ab extremo excidio, quod a barbaris impendebat, Italia sospes evasit, incorruptam retinuit antiquam fidem, atque inter tenebras squaloremque rudioris aevi, scientiarum lumen et splendorem artium aluit, vigentemque servavit. Testatur Nostra haec alma Urbs Pontificum Sedes, quae hunc ex iis fructum maximum cepit, ut non solum arx fidei munitissima esset, sed etiam bonarum artium asylum et domicilium sapientiae effecta, totius orbis erga se admirationem et observantiam conciliaret. Cum harum rerum amplitudo ad aeternam memoriam monumentis historiae sit tradita, facili negotio intelligitur non potuisse nisi per hostilem voluntatem indignamque calumniam, ad hominum deceptionem, voce ac litteris obtrudi, hanc Apostolicam Sedem civili populorum cultui et Italiae felicitati impedimento esse.

Si igitur spes omnes Italiae Orbisque universi in ea vi

communi utilitati et bono saluberrima, qua Sedis Apostolicae pollet auctoritas, et in arctissimo nexu sunt positae, qui omnes Christifideles cum Romano Pontifice devinciat, nihil Nobis potius esse debere cognoscimus, quam ut Romanae Cathedrae suam dignitatem sartam tectamque servemus, et membrorum cum Capite, filiorum cum Patre coniunctionem magis magisque firmemus.

*Remedia.*

*Sanctae Sedis restitutio in pristinam dignitatem et libertatem.*

Quapropter ut in primis, eo quo possumus modo, iura libertatemque huius Sanctae Sedis adseramus, contendere numquam desinemus, ut auctoritati Nostrae suum constet obsequium, ut obstacula amoveantur, quae plenam ministerii Nostri potestatisque libertatem impediunt, atque in eam rerum conditionem restituamur, in qua divinae sapientiae consilium Romanos Antistites iampridem collocaverat. Ad hanc vero restitutionem postulandum movemur, Venerabiles Fratres, non ambitionis studio aut dominationis cupiditate ; sed officii Nostri ratione et religiosis iurisiurandi vinculis quibus obstringimur ; ac praeterea non solum ex eo quod principatus hic ad plenam libertatem spiritualis potestatis tuendam conservandamque est necessarius ; sed etiam quod exploratissimum est, cum de temporali Principatu Sedis Apostolicae agitur, publici etiam boni et salutis totius humanae societatis causam agitari. Hinc praetermittere non possumus, quin pro officii Nostri munere, quo Sanctae Ecclesiae iura tueri tenemur, declarationes et protestationes omnes, quas sa. me. Pius IX Decessor Noster tum adversus occupationem civilis Principatus tum adversus violationem iurium ad Romanam Ecclesiam pertinentium pluries edidit ac iteravit, easdem et Nos hisce Nostris litteris omnino renovemus et confirmemus. Simul autem ad Principes et supremos populorum Moderatores voces Nostras convertimus, eosque per nomen augustum Summi Dei etiam atque etiam obtestamur, ne oblatam sibi tam necessario tempore opem Ecclesiae repudient, atque uti consentientibus studiis circa hunc fontem auctoritatis et salutis amice coeant, Eique intimi amoris et observantiae vinculis magis magisque iungantur. Faxit Deus, ut illi, comperta eorum quae diximus veritate, ac secum reputantes doctri-

*21 APRILIS 1878.*

nam Christi, ut Augustinus aiebat, *magnam, si obtemperetur, salutem esse reipublicae* [1] et in Ecclesiae incolumitate et obsequio suam etiam ac publicam incolumitatem et tranquillitatem contineri, cogitationes suas et curas conferant ad levanda mala, quibus Ecclesia eiusque visibile Caput affligitur, atque ita tandem contingat, ut populi quibus praesunt, iustitiae et pacis ingressi viam, felici aevo prosperitatis et gloriae fruantur.

*Totius catholici gregis cum supremo Pastore concordia in amplectenda veritate et rejiciendis erroribus.*

Deinde autem ut totius catholici gregis cum supremo Pastore concordia firmior in dies adseratur, Vos hoc loco peculiari cum affectu appellamus, Venerabiles Fratres, et vehementer hortamur, ut pro sacerdotali zelo et pastorali vigilantia Vestra fideles Vobis creditos religionis amore incendatis, quo proprius et arctius huic Cathedrae veritatis et iustitiae adhaereant, omnes eius doctrinas intimo mentis et voluntatis assensu suscipiant; opiniones vero etiam vulgatissimas, quas Ecclesiae documentis oppositas noverint, omnino reiiciant. Qua in re Romani Pontifices Decessores Nostri, ac demum sa. me. Pius IX, praesertim in oecumenico Vaticano Concilio prae oculis habentes verba Pauli: « *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundnm elementa mundi et non secundum Christum* [2], » haud praetermiserunt, quoties opus fuit, grassantes errores reprobare et apostolica censura confodere. Has condemnationes omnes, Decessorum Nostrorum vestigia sectantes, Nos ex hac Apostolica veritatis Sede confirmamus ac iteramus, simulque Patrem luminum enixe rogamus, ut fideles omnes perfecti in eodem sensu eademque sententia idem Nobiscum sapiant, idemque loquantur. Vestri autem muneris est, Venerabiles Fratres, sedulam impendere curam, ut coelestium doctrinarum semen late per Dominicum agrum diffundatur et catholicae fidei documenta fidelium animis mature inserantur, altas in eis radices agant et ab errorum contagione incorrupta serventur. Quo validius contendunt religionis hostes imperitis hominibus, ac iuvenibus praesertim, ea discenda proponere quae mentes obnubilent

1. Ep. 138. alias 5. ad Marcellinum n. 15. — 2. Coloss II, 8.

moresque corrumpant, eo alacrius adnitendum est, ut non solum apta ac solida institutionis methodus, sed maxime institutio ipsa catholicae fidei omnino conformis in litteris et disciplinis vigeat, praesertim autem in philosophia, ex qua recta aliarum scientiarum ratio magna ex parte dependet; quaeque non ad evertendam divinam revelationem spectat, sed ad ipsam potius sternere viam gaudet, ipsamque ab impugnatoribus defendere, quemadmodum nos exemplo scriptisque suis Magnus Augustinus et Angelicus Doctor, caeterique christianae sapientiae Magistri docuerunt.

*Observatio divinae legis circa matrimonium et familiam.*

Optima porro iuventutis disciplina ad verae fidei et religionis munimen atque ad morum integritatem a teneris annis exordium habeat necesse est in ipsa domestica societate; quae nostris hisce temporibus misere pertubata, in suam dignitatem restitui nullo modo potest nisi iis legibus, quibus in Ecclesia ab ipsomet divino Auctore est instituta. Qui cum matrimonii foedus, in quo suam cum Ecclesia coniunctionem significatam voluit, ad Sacramenti dignitatem evexerit, non modo maritalem unionem sanctiorem effecit, sed etiam efficacissima tum parentibus tum proli paravit auxilia, quibus, per mutuorum officiorum observantiam, temporalem ac aeternam felicitatem facilius assequerentur. At vero postquam impiae leges, Sacramenti huius magni religionem nil pensi habentes, illud eodem ordine cum contractibus mere civilibus habuerunt, id misere consecutum est, ut violata christiani coniugii dignitate, cives legali concubinatu pro nuptiis uterentur, coniuges fidei mutuae officia negligerent, obedientiam et obsequium nati parentibus detrectarent, domesticae caritatis vincula laxarentur, et, quod deterrimi exempli est publicisque moribus infensissimum, persaepe malesano amori perniciosae ac funestae discessiones succederent. Haec sane misera et luctuosa non possunt, Venerabiles Fratres, vestrum zelum non excitare ac movere ad fideles vigilantiae vestrae concreditos sedulo instanterque monendos, ut dociles aures doctrinis adhibeant quae christiani coniugii sanctitatem respiciunt, ac pareant legibus quibus Ecclesia coniugum natorumque officia moderatur.

Tum vero illud optatissimum consequetur, quod singulorum etiam hominum mores et vitae ratio reformentur: nam veluti ex corrupto stipite deteriores rami et fructus infelices germinant, sic mala labes, quae familias depravat in singulorum civium noxam et vitium tristi contagione redundat. Contra vero, domestica societate ad christianae vitae formam composita, singula membra sensim assuescent religionem pietatemque diligere, a falsis perniciosisque doctrinis abhorrere, sectari virtutem, maioribus obsequi, atque inexhaustum illud privatae dumtaxat utilitatis studium coercere, quod humanam naturam tantopere deprimit ac enervat. In quem finem non parum profecto conferet pias illas consociationes moderari et provehere, quae magno rei catholicae bono nostra maxime hac aetate constitutae sunt. *21 APRILIS 1878.*

Grandia quidem et humanis maiora viribus haec sunt, quae spe et votis Nostris complectimur, Venerabiles Fratres; sed cum Deus sanabiles fecerit nationes orbis terrarum, cum Ecclesiam ad salutem gentium condiderit, eique suo se auxilio adfuturum usque ad consummationem saeculi promiserit, firmiter confidimus, adlaborantibus Vobis, humanum genus tot malis et calamitatibus admonitum, tandem in Ecclesiae obsequio, in huius Apostolicae Cathedrae infallibili magisterio salutem et prosperitatem quaesiturum.

*Gratulatio pro consensione et concordia.*

Interea, Venerabiles Fratres, antequam finem scribendi faciamus, necesse est ut Vobis declaremus gratulationem Nostram pro mira illa consensione et concordia, quae animos Vestros inter Vos et cum hac Apostolica Sede in unum coniungit. Quam quidem perfectam coniunctionem non modo inexpugnabile propugnaculum esse contra impetus hostium arbitramur; sed etiam faustum ac felix omen quod meliora tempora Ecclesiae spondet; ac dum eadem maximum solatium affert infirmitati Nostrae, etiam animum opportune erigit, ut in arduo, quod suscepimus, munere omnes labores, omnia certamina pro Ecclesia Dei alacriter sustineamus.

*Gratiarum actiones pro acceptis obsequii significationibus*

Ab hisce porro spei et gratulationis causis, quas Vobis patefacimus, seiungere non possumus eas significationes amoris et obsequii, quas in his Nostri Pontificatus exordiis

Vos, Venerabiles Fratres, et una cum Vobis exhibuere humilitati Nostrae ecclesiastici viri et fideles quamplurimi, qui litteris missis, largitionibus collatis, peregrinationibus etiam peractis, nec non aliis pietatis officiis, ostenderunt devotionem et charitatem illam, qua meritissimum Praedecessorem Nostrum prosecuti fuere, adeo firmam, stabilem integramque manere, ut in persona tam imparis non tepescat heredis. Pro hisce splendidissimis catholicae pietatis testimoniis humiliter confitemur Domino quia bonus et benignus est, ac Vobis, Venerabiles Fratres, cunctisque Dilectis Filiis, a quibus ea accepimus, gratissimos animi Nostri sensus ex intimo corde publice profitemur, plenam foventes fiduciam nunquam defuturum Nobis, in his rerum angustiis et temporum difficultatibus, hoc Vestrum ac fidelium studium et dilectionem. Nec vero dubitamus quin egregia haec filialis pietatis et christianae virtutis exempla plurimum sint valitura, ut Deus clementissimus, officiis hisce permotus, gregem suum propitius respiciat et Ecclesiae pacem ac victoriam largiatur. Quoniam autem hanc pacem et victoriam, ocius et facilius Nobis datum iri confidimus si vota precesque constanter ad eam impetrandam fideles effuderint, Vos magnopere hortamur, Venerabiles Fratres, ut in hanc rem fidelium studia et fervorem excitetis, conciliatrice apud Deum adhibita Immaculata Coelorum Regina, ac deprecatoribus interpositis Sancto Josepho Patrono Ecclesiae coelesti, sanctisque Apostolorum Principibus Petro et Paulo, quorum omnium potenti patrocinio humilitatem Nostram, cunctos ecclesiasticae hierarchiae ordines ac dominicum gregem universum supplices commendamus.

Caeterum hos dies, quibus solemnem memoriam Jesu Christi resurgentis recolimus, Vobis, Venerabiles Fratres et universo dominico gregi faustos, salutares ac sancto gaudio plenos esse exoptamus, adprecantes benignissimum Deum ut Sanguine immaculati Agni, quo deletum est chirographum quod adversus nos erat, culpae quas contraximus deleantur, et iudicium quod pro illis ferimus clementer relaxetur.

*Gratia Domini Nostri Jesu Christi et Charitas Dei et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis*, Venerabiles Fratres; quibus singulis universis, nec non et Dilectis Filiis Clero et fidelibus Ecclesiarum Vestrarum in pignus praecipuae benevolentiae et in auspicium coelestis praesidii Apostolicam benedictionem amantissime impertimus. *21 APRILIS 1878.*

Datum Romae apud S. Petrum, die solemni Paschae, XXI aprilis, anno MDCCCLXXVIII.

Pontificatus Nostri Anno primo.

LEO PP. XIII.

# LITTERAE APOSTOLICAE

## QUIBUS HIERARCHIA EPISCOPALIS IN SCOTIA RESTITUITUR.

*IV NON. MARTII 1878.*

EX SUPREMO Apostolatus apice, ad quem, nullo meritorum Nostrorum suffragio, sed divina sic disponente Bonitate, nuper evecti sumus, Romani Pontifices praedecessores Nostri universas Dominici Agri partes, quasi de montis vertice speculari nunquam destiterunt, ut quid Ecclesiarum omnium conditioni, decori et firmamento labentibus annis magis conveniret, dignoscerent ; ac proinde, quantum quidem Ipsis ex alto datum fuit, quemadmodum novas ubique gentium erigere Episcopales sedes, ita eas quae temporum iniuria perierant, ad novam vitam revocare solliciti in primis fuerunt. Cum enim Spiritus Sanctus posuerit Episcopos regere Ecclesiam Dei, ubi primum in aliqua regione is est Sanctissimae religionis status, ut ordinarium episcopale regimen inibi aut constitui, aut restaurari sinat, illico eidem ea conferre beneficia decet, quae ex huiusmodi divinitus stabilita ordinatione suapte natura dimanant. Quocirca Decessor Noster sa. me. Pius IX, quem paucis abhinc diebus omnium desiderio sublatum dolemus, vel ab initio sui Pontificatus, cum Missiones in nobilissimo florentissimoque Angliae regno ita profecisse innotuisset, ut regiminis Ecclesiastici forma in eum modum restitui posset, in quo exstat penes alias catholicas gentes, suos Anglis ordinarios Episcopos reddcre curavit litteris Apostolicis Kal. Octobris Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quinquagesimo datis, quarum initium *Universalis Ecclesiae.* Et, quoniam haud multo post iisdem salutaribus dispositionibus illustres Hollandiae ac Brabantiae regiones frui posse perspexerat, haud immoratus est Episcopalem Hierarchiam ibi quoque instaurare, quod aliis Apostolicis litteris IV Non.Martii Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo tertio datis, incipientibus *Ex qua die* praestitit.

*Pontifices Romani novas sedes episcopales erigere student, veteres collapsas restituere satagunt.*

Quae quidem, ut de restituto Patriarchatu Hierosolimitano sileamus, provido sane consilio facta fuisse ex eo liquet, quod, auspice divina gratia, huius S. Sedis expectationi plane respondit eventus ; quantum enim emolumenti Ecclesia Catholica ex restaurata Episcopali Hierarchia utrobique perceperit, omnibus notum exploratumque est.

*Antiquae Scotorum ecclesiae origo et vices.*

At aegre ferebat pientissimi Pontificis animus, quod eadem sors Scotiae quoque communis nondum esse potuisset. Quae paterni Eius animi aegritudo vel inde augebatur, quod compertum esset, quam uberes progressus in Scotia olim Ecclesia Catholica fecerat. Profecto quicumque in Ecclesiastica historia vel parum versatus fuerit, probe novit Evangelii lumen Scotis mature illuxisse ; siquidem, ut silentio praetereamus quae de antiquioribus in illud regnum Apostolicis missionibus fert traditio, narrantur S. Ninianus saeculo IV exeunte, qui, teste ven. Beda, Romae fidem, et mysteria veritatis edoctus fuerat, et saeculo V S. Palladius, Ecclesiae Romanae Diaconus, sacra infula decorati, ibi Christi fidem praedicasse ; nec non S. Columba Abbas, qui saeculo VI eo appulit, monasterium construxisse, ex quo plura alia prodierunt. Et, quamquam a medio saeculo VIII ad XI de ecclesiastico Scotiae statu historica documenta ferme deficiant, memoriae tamen proditum est, plures ibi Episcopos, quamvis aliquos sine certis sedibus, extitisse. Postquam vero summa rerum Malcolmus III, anno MLVII, potitus est, eius opera, hortante sancta coniuge Margarita, Christiana Religio, quae sive ob exterorum populorum incursiones, sive ob varias politicas vicissitudines haud levia damna subierat, restitui, et amplificari coepit ; et quae extant adhuc sacrarum aedium, monasteriorum, aliorumque religiosorum monumentorum reliquiae, splendidum pietatis veterum Scotorum praebent testimonium. Sed, ut quae ad rem Nostram potius faciant, strictim persequamur, constat saeculo XV sedes Episcopales adeo iam excrevisse, ut tresdecim numerarentur, nempe S. Andreae, Glasguensis, Dunkeldensis, Aberdonensis, nec non Moraviensis, Brechinensis, Dumblanensis, Rossensis et Katanensis, Candidae Casae, et Lismorensis et Sodorensis, sive Insulana, atque

Orcadensis; quae quidem omnes huic Apostolicae Sedi immediate subiectae erant. Constat etiam, de quo Scoti merito gloriantur, Romanos Pontifices sub peculiari protectione Scotiae regnum suscipientes, singulari memoratas Ecclesias benevolentia fuisse prosecutos; quare dum ipsi Metropolitanos se Scotiae gerebant, illarum privilegia ac immunitates, ab Ecclesia Romana omnium Matre et Magistra iamdiu concessas integras servandas esse haud semel decreverunt, ita ut, quemadmodum ab Honorio III s. m. statutum fuit, Scotiae Ecclesia Sedi Apostolicae, sicut filia specialis, nullo medio esset subiecta.

Cum vero antea Scotia Metropolitano caruisset, Sixtus IV, prae oculis habens dispendia et difficultates Scotis subeundas, ut Romanam adirent Metropolim, Apostolicis litteris XVI Kal. Septembris anni millesimi quadringentesimi septuagesimi secundi incipientibus *Triumphans Pastor aeternus*, Sedem S. Andreae, quae tum originis vetustate, tum veneratione erga Apostolorum Regni patronum, principem facile obtinuerat locum, in Metropolitanam et Archiepiscopalem totius Regni sedem erexit, reliquis sedibus eidem tamquam suffraganeis subiectis. Quod pariter factum est cum Glasguensi sede anno MCDXCI, quae ab ecclesiastica Provincia S. Andreae distracta, ad Metropolitanae dignitatem ab Innocentio VIII elata est, suasque habuit ex supradictis suffraganeas sedes.

*Collapsae per heresim saeculi XVI Scotorum ecclesiae summi Pontifices variis remediis prospexerunt,*

Cum ita constituta Scotorum Ecclesia floreret, haeresi erumpente saeculo XVI, ad extremam ruinam misere adducta est; nunquam tamen Scotis defuit Summorum Pontificum, Decessorum Nostrorum, impensa cura, sollicitudo ac providentia, ut fortes in fide perseverarent, quod ex pluribus sane documentis liquido apparet. Nam prospicientes grassantem late tempestatem, erga illum populum commiseratione commoti, qua iteratis Missionariorum ex variis Regularium familiis expeditionibus, qua Apostolicis Legationibus, aliisque omne genus collatis subsidiis in id indefesse adlaborarunt, ut collapsae religioni auxiliarentur. Eorum opera in hac catholici orbis arce selectis ex Scotica gente adolescentibus, praeter Urbanianum, peculiare patuit

collegium, in quo sacris disciplinis imbui, et sacerdotio initiari possent ad sacrum ministerium deinde in patria exercendum, et spiritualem opem popularibus suis ferendam. Et quoniam dilecta illa Dominici gregis pars suis fuerat viduata pastoribus, s. m. Gregorius XV cum primum ei licuit, Willelmum Chalcedoniae Episcopum ordinatum amplisque munitum facultatibus, etiam illis quae Ordinariorum propriae sunt, ad Angliam simul et Scotiam misit, ut dispersarum illarum ovium pastoralem curam assumeret, ceu videre est in Apostolicis litteris incipientibus *Ecclesia Romana* X Kal. Aprilis anno millesimo sexcentesimo vigesimo tertio datis. Ad restituendam in utroque regno orthodoxam fidem et Anglorum, atque Scotorum salutem procurandam, Francisco S. R. E. Card. Barberinio eorum Protectori magnam facultatum copiam ab Urbano VIII attributam fuisse eius litterae *Inter gravissimas* in forma Brevis die XVIII Maii anno a Nativitate MDCXXX datae ostendunt. Huc spectant etiam aliae eiusdem Pontificis litterae *Multa sunt* ad Galliarum Reginam die XII Febr. anno MDCXXXIII scriptae, ut illius benevolentiae Christi fideles et Ecclesiam illam squalore confectam commendaret. *IV NON. MARTII 1878.*

Verum ut meliori qua fieri posset ratione, spirituali Scotorum regimini consuleret, Innocentius PP. XII in Vicarium suum Apostolicum Thomam Nicholson, Episcopali Peristachii titulo ac charactere insignitum anno MDCXCIV deputavit, integro regno ac insulis adiacentibus ipsius curae commissis. Et haud multo post, cum unus dumtaxat Apostolicus Vicarius illi vineae Domini excolendae par amplius non esset, Benedictus XIII socium praedicto Episcopo adiungere properavit, quod anno MDCCXXVII executioni feliciter mandari potuit. Ita factum est, ut universum Scotiae regnum in duos fuerit Vicariatus Apostolicos divisum, quorum alter inferiorem, superiorem partem alter complectebatur. Sed quae divisio Catholicis, quot tunc temporis erant, gubernandis satis idonea visa fuerat, cum in dies eorum numerus augeretur, opportuna amplius esse non poterat; proinde tertii vicariatus institutione novum praesidium religioni in Scotia tuendae *praesertim missis Vicariis Apostolicis.*

ac dilatandae Apostolica haec Sedes suppeditari oportere animadvertit. Ea de causa fel. rec. Leo XII litteris Apostolicis datis Idibus Februarii anno millesimo octingentesimo vigesimo septimo, quarum initium *Quanta laetitia affecti simus*, Scotiam in tres districtus, seu vicariatus Apostolicos, Orientalem nempe, Occidentalem, et Septentrionalem partitus est. Nemo ignorat, quam uberes fructus zelo novorum Praesulum, ac studio Nostrae de Propaganda Fide Congregationis, Catholica Ecclesia inibi collegerit; ex quo satis elucet, nihil unquam intentatum Sanctam hanc Sedem pro ea, quam gerit, Ecclesiarum omnium sollicitudine, reliquisse, ad Scotiae gentem ex lugendis veteribus calamitatibus reficiendam in dies, recreandamque.

*Hierarchiae Episcopalis in Scotia restitutione, quam Pius IX meditatus fuerat,*

At profecto sa. me. Pio PP. IX id cordi apprime erat, ut illustrem Scotiae Ecclesiam ad pristinum decus, et formam iterum excitare datum esset; praeclara enim Praedecessorum Suorum exempla Illum urgebant, cui ad huiusmodi opus viam ipsi veluti sternere voluisse videbantur. Et sane ex una parte perspiciens universum Religionis Catholicae in Scotia statum, ac succrescentem in dies Christifidelium, sacrorum Operariorum, Ecclesiarum, Missionum, Religiosarum Domorum, aliarumque huiusmodi institutionum, ac temporalium etiam adiumentorum copiam, ex alia vero animadvertens per eam, quam inclytum Gubernium Brittanicum Catholicis impertitur, libertatem, in dies removeri quidquid impedimento fuerat, quominus penes Scotos ordinarium SS. Antistitum regimen restitueretur, facile sibi ille Pontifex persuaserat, Episcopalis Hierarchiae restaurationem ad aliud tempus minime esse differendam. Interea ipsi Vicarii Apostolici, et permulti sive ex clericis, sive ex laicis, generis nobilitate, ac virtutum laude spectati viri enixe ab Eo flagitarunt, ut hac in re eorum votis satisfacere haud diutius immoraretur. Quae quidem supplicationes iterum Ei porrectae sunt, cum dilecti cuiusvis ordinis Filii illarum regionum, duce Ven. Fr. Ioanne Strain, Episcopo Abilae in partibus infidelium et districtus Orientalis vicario Apostolico, huc advenere, ut de die quinquagesimum annum ab Episcopali Eius consecratione claudente cum Ipso gratu-

larentur. Cum ita se res haberent, praelaudatus Pontifex negotium hoc, prout eius gravitas postulabat, VV. FF. NN. Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, Fidei Propagandae praepositis, undequaque discutiendum commiserat; atque eorum sententiam in suscepto consilio Eum magis magisque confimaverat. Dum vero Ipse ad opus diu multumque optatum absolvendum se pervenisse laetabatur, ad coronam iustitiae recipiendam a Iusto Iudice advocatus fuit. *IV NON. MARTII 1878.*

Quod itaque Praedecessor Noster morte interceptus perficere non potuit, copiosus in misericordia Deus et in cunctis suis gloriosus operibus largitus est Nobis, ut ita Supremum Pontificatum, quem in tanta temporum calamitate trepidantes suscepimus, fausto quodam veluti omine auspicaremur. Quapropter sine mora, cum totius huiusce negotii plenam nobis notitiam comparaverimus, quod a rec. me. Pio PP. IX decretum fuerat, executioni mandandum esse ultro existimavimus. Erectis itaque oculis ad Patrem luminum, a quo omne datum optimum, et donum perfectum, divinae gratiae praesidium invocavimus, exorata simul ope B. M. V. sine labe conceptae, B. Iosephi eius Sponsi atque universae Ecclesiae Patroni, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Sancti Andreae, aliorumque Coelitum, quos Scoti veluti Protectores venerantur, ut suis Nos apud Deum suffragiis ad idem negotium prospere maturandum iuvarent. Hisce itaque praehabitis, motu proprio, certa scientia, ac de Apostolica, qua in universam Ecclesiam pollemus, auctoritate, ad maiorem Dei omnipotentis gloriam et Catholicae Fidei exaltationem constituimus, atque decernimus, ut in Scotiae regno iuxta canonicarum legum praescripta reviviscat Hierarchia Ordinariorum Episcoporum, qui a Sedibus nuncupabuntur, quas hac Nostra Constitutione erigimus, atque in Ecclesiasticam provinciam constituimus. *fausto quodam omine Leo XIII supremum suum Pontificatum auspicatur.*

Porro sex numero Sedes in praesens erigendas easque ex nunc erectas esse volumus, nimirum S. Andreae cum adiuncto titulo Edimburgi, Glasguensem, Aberdonensem, Dunkeldensem, Candidae Casae seu Gallovidianam, nec non Ergadiensem atque Insularum. *Sedes episcopales sex eriguntur.*

*Ecclesia S. Andreae, adjecto Edimburgi titulo, ad metropolitanae dignitatis gradum evehitur;*

Recolentes autem illustria veteris Sancti Andreae Ecclesiae monumenta, habitaque ratione hodiernae illius Regni principis Civitatis, aliisque rationibus perpensis, non possumus, quin celebrem illam Sedem veluti e sepulcro excitantes, ad Metropolitanae seu Archiepiscopalis dignitatis gradum, adiecto Edimburgi titulo, evehamus, vel restituamus, quo antea a ve. me. Sixto IV Decessore Nostro decorata fuerat, eidemque suffraganeas quatuor ex praenuntiatis Sedibus, nempe Aberdonensem, Dunkeldensem, Candidae Casae seu Gallovidianam, Ergadiensem atque Insularum adsignemus, quemadmodum tenore praesentium auctoritate Nostra Apostolica adsignamus, addicimus, attribuimus. Quod verro ad Glasguensem Sedem attinet, considerata illius civitatis vetustate, amplitudine, et nobilitate, ac praesertim prae oculis habito florentissimo in ea Religionis statu, et Archiepiscopalibus praeeminentiis eidem ab Innocentio VIII collatis, decere omnino duximus ipsius Sacrorum Antistiti Archiepiscopi nomen et insignia tribuere, prout tenore praesentium pariter tribuimus, quin tamen, donec aliter a Nobis vel Successoribus Nostris definitum fuerit, praeter nominis et honoris praerogativam ullum consequatur ius proprium veri Archiepiscopi et Metropolitani. Volumus autem, atque mandamus, ut Glasguensis Archiepiscopus, quoadusque sine suffraganeis permanebit, in Provincialem Scotiae Synodum una cum aliis conveniat.

*Glasguensis autem nomen et insignia archiepiscopatus obtinet.*

*Ecclesiarum limites determinantur: S. Andreae,*

In praedicta vero S. Andreae atque Edimburgi Archiepiscopali seu Metropolitica Sede comprehendatur comitatus Edimburgensis, Limnuchensis, Hadintonanus, Bervicensis, Selkirkensis, Peblianus, Roxburgensis et pars meridionalis Fifae quae est ad dexteram fluminis Eden; comitatus quoque Sterlinensis, demptis tamen territoriis de Baldernock et Kilpatrick orientali nuncupatis.

*Glasguensis,*

In Archidioecesi Glasguensi comprehendantur comitatus Lanarcensis, Renfroanus Britannodunensis, territoria de Baldernock et Kilpatrick orientali nuncupata in comitatu Sterlinensi sita, parborealis comitatus Aërensis, quae ab Australi eiusdem regione, rivulo Lugton in Garnok fluvium

defluente, separatur : insulae quoque Cumbra maior et minor. *IV NON. MARTII 1878.*

In Dioecesi Aberdonensi contineantur comitatus Aberdonensis, Kincardinensis, Bamfiensis, Elginensis, seu Moraviensis, Narniensis, Rossiensis (praeter Leogum in Aebutis), Cromartiensis, Sutherlandiensis, Cathanesiensis, insulae Orcades et Hethlandicae : denique ea pars comitatus Ennernessensis quae sita est ad septentrionem lineae rectae ductae ab extremitate septentrionali lacus Luing ad fines Orientales eiusdem comitatus Ennernessensis, ubi sibi occurrunt comitatus Aberdonensis et Bamfiensis. *Aberdonensis,*

In Dioecesi Dunkeldensi comprehendantur comitatus Perthensis, Forfarensis, Clacmananus, Kinrossianus, et pars septentrionalis Fifae quae est ad laevam fluminis Eden, eae quoque partes comitatibus Sterlinensis, quae disiunctae iacent atque a comitatibus Perthensi et Clacmanano sunt circumseptae. *Dunkeldensis,*

Dioecesis Candidae Casae seu Gallovidiana contineat comitatus Dumfrisiensem, Kircudberechtensem, Victoniensem, et Aëresis partem, quae ad laevam rivuli Lugton in flumen Garnok defluentis ad Austrum extenditur. *Gallovidianae,*

Dioecesis denique Ergadiensis et Insularum complectatur comitatus Argatheliensem, Botam et Araniam insulas, Aebudas et partem australem comitatus Ennernessensis, quae a lacu Luing ad fines comitatus eiusdem orientales iuxta lineam rectam supra descriptam, protenditur. *Ergadiensis et Insularum.*

Ita igitur in Scotiae regno praeter Glasguensem Archiepiscopatum honoris, unica erit provincia Ecclesiastica ex uno Archiepiscopo seu Metropolitano Antistite, et quatuor suffraganeis Episcopis constans.

Neque dubitamus, quin novi Praesules Praedecessorum suorum, qui propria virtute veterem Scotiae Ecclesiam illustrarunt, vestigiis inhaerentes omnem daturi sint operam, ut Catholicae Religionis nomen in eorum regionibus splendidius fulgescat, et animarum profectus, divinique cultus augmentum meliori qua fieri poterit ratione promoveatur. Eapropter Nobis, Nostrisque in Apostolica Sede Successoribus iam nunc reservatum declaramus, ut praedictas Dioeceses

in alias, ubi opus erit, partiamur, earumque numerum augeamus, limites immutemus, et quidquid aliud ad orthodoxae fidei propagationem ibi magis conferre in Domino visum fuerit, libere perficiamus.

*Praedictae ecclesiae subjectae maneant S. C. de Propaganda Fide.*

Quod vero iisdem Ecclesiis valde profuturum perspicimus, volumus ac iubemus, ut earumdem Praesules relationem sedium, atque ovium eorum curae creditarum statum ad Nostram de Propaganda Fide Congregationem, quae hactenus peculiarem sedulamque de regionibus ipsis sollicitudinem gessit, transmittere nunquam omittant; Nosque per eamdem Congregationem certiores faciant de iis omnibus, quæ pro pastorali munere adimplendo, et suarum Ecclesiarum incremento procurando, nunciare si necessarium aut utile iudicaverint. Meminerint autem, se hanc relationem exhibere, sicut et SS. Apostolorum limina adire, quarto redeunte anno teneri, prout in Const. s. m. Sixti V diei XIII Kal. Ianuarii anni millesimi quinquagesimi octogesimi quinti data, quae incipit *Romanus Pontifex*, sancitum est.

*In caeteris jure communi regantur,*

In ceteris pariter, quae eiusdem pastoralis officii sunt, Archiepiscopi et Episcopi supramemorati omnibus fruantur iuribus et facultatibus, quibus alii aliarum gentium Catholici Antistites ex communi Sacrorum Canonum, et Apostolicarum Constitutionum vi fruuntur, ac frui possunt ac poterunt, iisdemque adstringantur obligationibus, quibus alii Archiepiscopi et Episcopi ex eadem communi et generali Catholicae Ecclesiae disciplina devincti sunt.

*abrogatis quibuscumque peculiaribus constitutionibus, privilegiis, consuetudinibus.*

Quaecumque idcirco sive ex antiqua Ecclesiarum Scotiae ratione, sive in subsequenti Missionum conditione ex peculiaribus Constitutionibus, aut privilegiis vel consuetudinibus particularibus viguerint, mutatis nunc circumstantiis, nullum posthac sive ius, sive obligationem inducant. Atque eum in finem, ut nulla hac super re in posterum suboriri valeat dubitatio, Nos iisdem illis peculiaribus statutis, ordinationibus, et privilegiis cuiuscumque generis et consuetudinibus a quocumque etiam vetustissimo et immemorabili tempore invectis, ac vigentibus, omnem prorsus obligandi, et iuris affe-

rendi vim ex plenitudine Apostolicae auctoritatis adimimus. Quocirca Scotiae Praesulibus integrum erit ea decernere, quae ad communis iuris executionem pertinent, quae ex generali ipsa Ecclesiae disciplina Episcoporum auctoritati permissa sunt. Pro certo autem teneant, Nos eis Apostolica Nostra auctoritate libenter fore adfuturos, atque in omnibus Nostram eis opem laturos, quae ad divini nominis gloriam amplificandam, et animarum spirituale bonum fovendum conducere visa fuerint. Cuius quidem propensae voluntatis Nostrae erga dilectam S. Sedis Filiam, Scotiae Ecclesiam, ut pignus exhibeamus, volumus, et declaramus, Antistites ipsos, cum Ordinariorum Episcoporum nomine et iuribus fuerint insigniti, iis haudquaquam privari debere commodis, et amplioribus facultatibus, quibus in antecessum una cum titulo Nostrorum et Apostolicae Sedis Vicariorum fruebantur. Neque enim fas est, ut in eorum vertant detrimentum, quæ a Nobis ex Catholicorum Scotorum voto in maius sacrae apud ipsos rei bonum decreta sunt. Et, quoniam ea est Scotiae conditio, ut Christi Ministris, et variis cuiusque Ecclesiae necessitatibus temporalia subsidia haud congrua suppetant, certa spe futurum substentamur, ut dilecti ipsi filii Nostri Christifideles, quorum impensissimis postulationibus, pro Episcopali Hierarchia restituenda libenti animo obsecundavimus, Pastoribus, quos eis praeficiemus, eleemosynis ac oblationibus suis largius etiam succurrere pergant, quibus Episcopalium sedium instaurationi, templorum, ac divini cultus splendori, Cleri pauperumque substentationi aliisque Ecclesiae necessitatibus valeant consulere.

*IV NON. MARTII 1878.*

*Episcopi retinent ampliores facultates Vicariorum Apostolicorum.*

Sed iam ad Illum humillimas preces nostras convertimus in quo placuit Deo Patri in dispositione plenitudinis temporum instaurare omnia, ut qui cepit opus bonum, ipse perficiat, confirmet, solidetque, ac illis omnibus, ad quos res a Nobis decretas exequi pertinet, coelestis gratiae lumen et robur adiiciat, quo restituta a Nobis in Scotiae Regno Episcopalis Hierarchia Religioni Catholicae omnino benevertat.

Ad quem etiam finem deprecatores apud Reparatorem Nostrum Iesum Christum adhibemus Sanctissimam eius Matrem, B. Iosephum ipsius putativum patrem, Beatos Apostolos Petrum et Paulum, nec non S. Andream, quem Scotia peculiari cultu prosequitur, aliosque Sanctos, ac praesertim Beatam Margaritam Scotorum Reginam eiusdemque Regni decus et columen, ut renascentem illam Ecclesiam benigno favore prosequi velint.

Decernimus tandem has Nostras litteras nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio, sive intentionis Nostrae alioque quovis defectu notari vel impugnari posse, et semper validas et firmas fore, suosque effectus in omnibus obtinere atque inviolabiliter observari debere. Non obstantibus Apostolicis, atque in synodalibus, provincialibus et universalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus sanctionibus nec non veterum Scotiae sedium et missionum ac Vicariatuum Apostolicorum inibi postea constitutorum, et quarumcumque Ecclesiarum ac piorum locorum iuribus aut privilegiis, iuramento etiam, confirmatione Apostolica aut alia quacumque firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. His enim omnibus, tametsi pro illorum derogatione specialis mentio facienda esset, aut alia quantumvis exquisita forma servanda, quatenus supradictis obstant, expresse derogamus. Irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, manuque publici Notarii subscriptis, et per constitutum in Ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis eadem habeatur fides, quæ Nostrae voluntatis significationi ipso hoc diplomate ostenso haberetur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Erectionis, Constitutionis, Restitutionis, Institutionis, Adsignationis, Adiectionis, Attributionis, Decreti, Mandati, ac Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem

Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum. *IV NON. MARTII 1878.*

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo octavo IV Nonas Martias Pontificatus Nostri Anno I.

C. Card. SACCONI
Pro-Datarius

F. Card. ASQUINIUS

VISA

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

*Loco ✠ Sigilli*

I. Cugnonius.

*Reg. in Secreteria Brevium.*

# EPISTOLA

## Ad Cardinalem Vicarium Monaco La Valletta

## DE CATECHISMO E SCHOLIS MUNICIPII ROMANI EIECTO.

*26 JUNII 1878.*

In mezzo alle ragioni di letizia e di conforto che fino dai primordî del nostro Pontificato avemmo in gran numero, per le non dubbie significazioni di riverenza e di affetto che Ci giunsero da ogni parte del mondo, non Ci mancarono gravi amarezze per le condizioni generali della Chiesa sottoposta quasi da per tutto a fiera persecuzione, e per quello che vedevamo accadere nella stessa Città di Roma centro del cattolicismo e Sede augusta del Vicario di Cristo. Qui una stampa senza freno e giornali intesi del continuo a combattere col sofisma e col dileggio la fede, ad impugnare le sacre ragioni della Chiesa e a menomarne l'autorità; qui tempî di Protestanti sorti coll' oro di società bibliche anche nelle vie più popolose, quasi ad insulto; qui scuole, asili ed ospizi aperti all' incauta gioventù coll' apparente filantropico intendimento di giovarla nella coltura della mente e ne' suoi materiali bisogni, ma col vero scopo di formarne una generazione nemica della Religione e della Chiesa di Christo. E quasi tutto ciò fosse poco, per opera di coloro che per debito di ufficio son tenuti a promuovere i veri interessi della romana cittadinanza, fu testè decretato il bando del Catechismo cattolico dalle Scuole Municipali. Provvedimento riprovevole, che viene a togliere anche quest' argine all' eresia e all' incredulità irrompente, e lascia aperta la via ad un nuovo genere di straniera invasione, tanto più funesto e pericoloso dell' antico, quanto più direttamente mira a rapire dal cuore dei Romani il prezioso tesoro della fede e dei frutti che ne derivano. — Questo novello attentato alla Religione e pietà del Nostro popolo Ci riempie l'animo di un vivo e pungente rammarico e Ci costringe di scrivere a Lei, Sig. Cardinale, che fa le Nostre veci nello spirituale governo di Roma, la

*Aliis malis Romam affligentibus accessit decretum quo catechismus catholicus a scholis municipii amovetur.*

presente lettera sul doloroso argomento, per richiamarcene altamente in faccia a Dio e agli uomini.

E qui fin dal principio, in virtù del Nostro pastoral ministero, Ci è duopo tornare alla mente di ogni cattolico il dovere gravissimo che per legge naturale e divina gl'incombe d'istruire la sua prole nelle soprannaturali verità della fede, e il debito che in una città cattolica stringe coloro che ne reggono le sorti, ad agevolarne e promuoverne l'adempimento. E mentre in nome della Religione alziamo la nostra voce a tutela de' suoi più sacri diritti, vogliamo altresì che si rilevi quanto questa improvvida deliberazione sia contraria al vero bene della stessa società.

*Obligatio docendi pueros fidei veritates parentibus incumbit: quos in obligationis adimpletione Civitas juvare debet.*

Certamente non si saprebbe immaginare qual pretesto abbia potuto consigliare una tale misura, se non forse quella irragionevole e perniciosa indifferenza in fatto di religione, nella quale ora si vorrebbe che crescessero i popoli. Fino ad ora la ragione e lo stesso naturale buon senso insegnò agli uomini di mettere da parte e fuori di uso ciò che in pratica non avesse fatto buona prova, o per mutate condizioni fosse diventato inutile. Ma chi potrà affermare che l'insegnamento del Catechismo non abbia fatto fin qui buona prova? Non fu il religioso insegnamento che rinnovellò il mondo, che santificò e ringentilì in mezzo agli uomini le scambievoli relazioni, che fece più delicato il senso morale, ed educò quella coscienza cristiana, che reprime moralmente gli eccessi, riprova le ingiustizie, ed innalza i popoli fedeli sopra tutti gli altri? Si dirà forse che le condizioni sociali dell' età che corre lo hanno reso inutile e nocivo? Ma la salute e la prosperita dei popoli non ha sicura tutela fuori della verità e della giustizia, delle quali la presente società sente così vivo il bisogno, e alle quali il Catechismo cattolico conserva pienamente intatti i loro sacri diritti. Per amore pertanto dei frutti preziosi, che già si raccolsero e giustamente si sperano da quell' insegnamento, non che bandirlo dalle pubbliche scuole, vi si dovrebbe anzi promuovere a tutto potere.

*Doctrinæ christianæ efficacia ad bonum societatis.*

E questo esige altresì la natura del fanciullo e la condizione tutta speciale, in cui viviamo. Non si può a nessun

*Pueri institutio non minus voluntatem quam intellectum spectare debet.*

patto rinnovare sopra il fanciullo il giudizio di Salomone e dimezzarlo con un taglio irragionevole e crudele tra la sua intelligenza e la volontà: mentre si prende a coltivare la prima, fa d' uopo avviare la seconda al conseguimento degli abiti virtuosi e dell' ultimo fine. Chi nell' educazione trascura la volontà, concentrando tutti gli sforzi alla cultura della mente, giunge a fare dell' istruzione un' arma pericolosa in mano dei malvagi. È l'argomento della mente che si aggiunge al malvolere e sovente alla possa, contro cui non si può fare alcun riparo.

*Ad rectae voluntatis formationem non sufficit ethica civilis et naturalis;*

E la cosa apparisce così chiara, che la riconobbero, sebbene a prezzo di contradizione, quelli medesimi che vogliono escluso dalla scuola l'insegnamento religioso; i quali non limitano i loro sforzi alla sola intelligenza, ma li estendono anche alla volontà, facendo insegnare nelle scuole un' etica che chiamano *civile* e *naturale*, ed avviando la gioventù all' acquisto delle virtù sociali e cittadine. Ma oltre che una morale così fatta non può guidare l'uomo all' altissimo fine destinatogli dalla divina Bontà nella visione beatifica di Dio, neppure ha forza bastevole sull'animo del fanciullo per educarlo a virtù e mantenerlo saldo nel bene, nè risponde ai veri e sentiti bisogni dell'uomo, il quale è animal religioso nel modo che è animale socievole, e nessum progresso di scienza può mai svellergli dall'animo le radici profondissime di religione e di fede. Perchè dunque non valersi del Catechismo cattolico per educare a virtù i cuori dei giovanetti, nel quale si rinviene il modo più perfetto e i semi più fecondi di una sana educazione?

*Religio autem id egregie praestat*

L'insegnamento del Catechismo nobilita ed innalza l'uomo nel suo proprio concetto, conducendolo a rispettare in ogni tempo sè medesimo e gli altri. È grande sventura che molti di quelli, i quali sentenziano il Catechismo ad uscire dalle scuole, abbiano posto in dimenticanza, o non considerino quello che dal Catechismo appresero nelle'età infantile. Altrimenti sarebbe loro assai facile l'intendere come l'insegnare al fanciullo, che egli uscì dalle mani di Dio, frutto dell'amore che Questi liberamente gli pose; che tutto quanto si vede è ordinato per luì Re e Signore del

creato; ch'egli è sì grande et tanto vale, che l'Eterno Figlio di Dio per riscattarlo non isdegnò di prendere la sua carne; che del sangue dell'Uomo-Dio è bagnata la sua fronte nel battesimo; che delle carni dell'Agnello divino si alimenta la sua vita spirituale; che lo Spirito Santo dimorando in lui come in vivo suo tempio gli infonde vita e virtù affatto divina; è lo stesso che dargli impulsi efficacissimi a custodire la qualità gloriosa di figliuolo di Dio e ad onorarla col virtuoso contegno. Comprenderebbero altresi ch'è lecito di aspettarsi ogni gran cosa da un fanciullo, il quale nella scuola del Catechismo apprende di essere destinato ad un fine altissimo nella visione e nell'amore di Dio; che è fatto accorto a vegliare del continuo sopra sè stesso e confortato con ogni maniera di aiuti a sostenere la guerra che gli danno nemici implacabili; che viene addestrato ad essere docile e soggetto, imparando a venerare nei genitori l'immagine del Padre che sta nei cieli, e nel Principe l'autorità che viene da Dio e da Dio prende la ragione di essere e la maestà; che è tratto a rispettare nei fratelli la divina somiglianza che brilla sopra la stessa sua fronte, ed a riconoscere sotto le misere apparenze del povero il medesimo Redentore; che è salvato per tempo dai dubbi e della incertezze, per beneficio del catolico magistero, che i titoli di sua infallibilità ed autenticità porta scolpiti nella sua divina origine, nel fatto prodigioso del suo stabilimento sulla terra, nella copia dei frutti dolcissimi e salutari che arreca. Finalmente intenderebbero che la morale cattolica, munita del timore del castigo e della certa speranza di altissimi premi, non corre la sorte di quell'etica civile, che si vorrebbe sostituire alla religiosa; nè avrebbero mai preso la funesta risoluzione di privare la presente generazione di tanti e sì preziosi vantaggi, col bandire dalle scuole l'insegnamento del Catechismo.

*26 JUNII 1878.*

E diciamo *bandire*, poichè il temperamento preso di apprestare l'istruzione religiosa solamente a quei fanciulli, pei quali i genitori ne faranno espressa domanda, è del tutto illusorio. Non si riesce infatti a capire come gli autori della malaugurata disposizione non si siano avveduti della sinistra impressione, che deve fare sull'animo del fanciullo il vedere

*Instructionis religiosae optio parentibus relinquenda non est.*

posto l'insegnamento religioso in condizioni così diverse dagli altri. Il fanciullo che per essere stimolato ad uno studio diligente ha bisogno di conoscere l'importanza e la necessità di ciò che gli viene insegnato, quale impegno potrà avere per un insegnamento, verso del quale l'autorità scolastica si mostra o fredda od ostile, tollerandolo a malincuore? E poi, se vi fossero (come non è difficile a trovarne) genitori che o per malvagità di animo, o molto più per ignoranza e negligenza, non pensassero a chiedere per i loro figli il benefizio dell'istruzione religiosa, resterebbe una gran parte di gioventù priva dei più salutari documenti, con estremo danno non pure di quelle anime innocenti, ma della stessa civil società. E stando le cose in tali estremi, non sarebbe un dovere di chi presiede alla scuola remediare all'altrui malizia o trascuranza? Sperando vantagi senza dubbio men rilevanti, si pensò testè di rendere obligatoria per legge l'istruzione elementare, costringendo anche con multe i genitori ad inviare i loro figli alla scuola: ed ora come si potrebbe aver cuore di sottrarre ai giovani cattolici l'istruzione religiosa, che indubitatamente è la più salda guarentigia di sapiente e virtuoso indirizzo dato alla vita? Non è crudeltà pretendere che questi fanciulli crescano senza idee e sentimenti di religione, finchè sopravvenuta la fervida adolescenza si trovino in faccia a lusinghiere e violente passioni, disarmati, sprovveduti d'ogni freno, colla certezza di venire travolti nei lubrici sentieri del delitto? È una pena pel Nostro cuore paterno vedere le lagrimevoli conseguenze di quella sconsigliata deliberazione: e la Nostra pena s'inacerbisce, considerando che oggi sono più che mai forti e numerosi gli eccitamenti ad ogni sorta di vizi. Ella, Sig. Cardinale, che per l'alto suo ufficio di Nostro Vicario seguita da vicino lo svolgimento della guerra che nella nostra Roma si muove a Dio ed alla Chiesa, sa bene, senza che Noi ci tratteniamo a parlarne lungamente, quali e quanti siano i pericoli di pervertimento che incontra la gioventù: dottrine perniciose e sovversive di ogni ordine costituito, audaci e violenti propositi a danno e scredito d'ogni legittima autorità, finalmente l'immoralità che senza

ritegno procede svelatamente per mille vie a contaminare gli occhi ed a corrompere i cuori. *26 JUNII 1878.*

*Intentio corrumpendi populum romanum.*

Quando questi e somiglianti assalti si danno alla fede ed al costume, ciascuno può farsi ragione quanto opportunamente siasi scelto il momento per cacciare dalle pubbliche scuole la religiosa educazione. Si vuole per avventura con queste disposizioni, invece di quel popolo Romano, che per la sua fede si celebrava in tutto il mondo fin dai tempi apostolici, ed era fino ai nostri giorni ammirato per l'interezza e la religiosa coltura de' suoi costumi, formare un popolo senza religione, dissoluto, e condurlo cosi a condizione di barbaro e di selvaggio? Ed in mezzo a questo popolo, con insigne slealtà pervertito, come potrebbe il Vicario di Gesù Cristo, il Maestro di tutti i fedeli, veder riverita la suprema sua autorità, tener con onore l'augusto suo Seggio, e attendere rispettato e tranquillo alle incombenze del suo Pontifical Ministero? Ecco, Sig. Cardinale, la condizone, che in parte Ci si è già fatta e che Ci si apparechia nell' avvenire, se Iddio pietoso non vorrà porre un limite a questo incalzare di attentati, l'uno più riprovevole dell'altro.

*Malo obviandum remediis, ut saltem minuatur.*

Ma finchè la Provvidenza per i suoi giudizi adorabili lascia che duri questa prova, se non è in Nostro potere di mutare la condizione delle cose, è però debito Nostro di fare ogni sforzo per addolcirla e perché tornino meno sensibili i danni. Quindi è d'uopo, che non pure i Parrochi raddoppino di diligenza e di zelo nell' insegnamento del Catechismo, ma che si supplisca con nuovi ed efficaci mezzi al vuoto che si fece per colpa altrui. Non dubitiamo che il Clero di Roma neppur questa volta verra meno ai sacri doveri del suo sacerdotal Ministero, e si adoprerà con le cure più affettuose a preservare la romana gioventù dai pericoli che minacciano la sua fede e la sua moralità. Siamo certi altresi che le Cattoliche associazioni, fiorenti in questa Città con tanto profitto della Religione, concorreranno con tutti i mezzi posti nelle loro mani alla santa impresa d' impedire, che quest' alma Città, perdendo il carattere sacro ed augusto di religione e lo invidiato vanto di essere la città santa, addivenga vittima dell' errore e teatro d' incredulità. Ed ella,

Sig. Cardinale, colla sagacia e colla fermezza, onde va adorna, procuri che si accrescano gli oratorii e le scuole, dove si raccolgano i giovanetti per essere istruiti intorno alla santissima Religione cattolica, nella quale per insigne grazia del cielo son nati. Cerchi, secondo che già si fa con buon frutto in qualche Chiesa, che virtuosi e caritatevoli Laici, sotto la vigilanza di uno o più Sacerdoti, prestino l'opera loro per insegnare il Catechismo ai fanciulli, e procuri che i genitori siano dai rispettivi Parrochi esortati ad inviarvi i loro figliuoli, e che sia loro ricordato anche il dovere, che a tutti incombe, di esigere nelle scuole pei proprii figli l'istruzione religiosa. Gioveranno altresì i Catechismi agli adulti da stabilirsi nei luoghi, che si crederanno più acconci, affine di mantener sempre vivi negli animi i salutari ammaestramenti, che appresero sin da fanciulli. Non lasci giammai di rinfocolar la pietà e di avvivare sempre meglio l'impegno dei Sacerdoti e dei Laici, ponendo loro sott' occhio l'importanza dell' opera, i meriti che si acquisteranno presso Iddio, presso Noi, e presso l'intera società, e che i più operosi Ci studieremo di tenere nella dovuta considerazione.

*Subsidia materialia.* Non Ci sfugge da ultimo che a riuscire meglio nel Nostro intendimento occorre anche il sussidio dei mezzi materiali, i quali non rispondono in proporzione dei bisogni. Ma se Noi costretti a vivere dell' obolo dei fedeli, posti essi stessi in grandi angustie per i tempi che corrono torbidi e luttuosi, non potremo largheggiare quanto vorrebbe il Nostro cuore, non lasceremo però di fare tutto quel più che Ci sarà consentito, per istornare il danno che dalla negletta educazione religiosa viene prima al fanciullo e poi alla stessa civile societa.

*Orationes.* Del resto a tutti i bisogni e sollecitudini Nostre è necessario mandare avanti l' invocazione del divino aiuto, senza del quale è vana ogni speranza di riuscimento felice. Ci rivolgiamo pertanto a Lei, signor Cardinale, raccomandandole caldamente che esorti il popolo romano ad innalzare a Dio Signor Nostro fervide preghiere, che in questa santa Città mantenga intera la luce della fede cattolica, che

pretenderebbero d' oscurare o spegnere affatto le sette ereticali accolte ad onore, e le empietà cospiranti insieme a rovesciare questa fermissima Pietra, contro la quale, siccome è scritto, le porte dell' inferno non prevarranno. — Nel cuore dei Romani è antica la devozione verso l' Immacolata Madre del Salvatore: ma adesso, incalzando vieppiù il pericolo, ricorrano e più spesso e con ardore più intenso a Lei, che schiacciò il serpe e vinse tutte le eresie. — Nei giorni che riconducono la memoria solenne dei gloriosi Apostoli Pietro e Paolo, si prostrino riverenti nelle loro Basiliche, e li scongiurino ad intercedere presso Dio per la città che santificarono del proprio sangue, e che lasciarono depositaria delle loro ceneri, quasi a pegno della loro incessante protezione. Facciano dolce violenza di suppliche ai celesti Patroni di Roma, i quali o col sangue, o colle opere del ministero apostolico, o coi santi esempi, rendettero più ferma nel cuore dei loro Padri la fede che si vorrebbe strappare dal seno dei figli; Dio si muoverà a pietà di noi, nè lascerà che sia fatta ludibrio di uomini malvagi la sua religione.

*26 JUNII 1878.*

Intanto riceva, sig. Cardinale, l' Apostolica benedizione, che dall' intimo del cuore impartiamo a Lei, al Clero, ed a tutto il Nostro dilettissimo popolo.

Dal Vaticano li 26 guigno 1878,

LEONE PP. XIII.

# EPISTOLA

## Ad Cardinalem Nina, Status Secretarium

## DE PRAECIPUIS PONTIFICIS CURIS.

*27 AUGUSTI 1878.*

DA grave sventura fu colpito e di vivo cordoglio fu ripieno l'animo Nostro per la inopinata morte del Card. Alessandro Franchi Nostro Segretario di Stato. Chiamato a cosi alto ufficio per la fiducia che Ci avevano di lui ispirato le non comuni sue doti di mente e di cuore ed i lunghi servigi da lui prestati alla Chiesa, seppe corrispondere cosi pienamente alla Nostra aspettazione nel breve tempo che lo avemmo al fianco, che la sua memoria non si cancellerà mai dalla Nostra mente, e presso i posteri, come tra i presenti, resterà caro e benedetto il suo nome.

Ma poichè piacque al Signore di sottoporci a questa prova, Noi, adorati con animo sommesso i divini consigli, rivolgemmo tosto tutti i Nostri pensieri alla scelta del successore e fissammo gli occhi sopra di Lei, Sig. Cardinale, di cui Ci era ben nota la molta perizia nel maneggio degli affari, la fermezza dei propositi, lo spirito di generoso sacrificio, ond' è animata in pro della Chiesa.

Ci parve tuttavia opportuno nell' intraprendere l' esercizio della nuova carica dirigerle la presente lettera, per aprirle la Nostra mente sopra alcuni rilevantissimi punti, ai quali dovranno in particolar modo essere rivolte le incessanti sue cure,

*Ecclesiae catholicae inest vis et efficacia ad medendum malis quibus societas affligitur.*

Già fin dai primi giorni del Nostro Pontificato dall' altezza dell' Apostolico Seggio volgemmo i nostri sguardi sulla presente società per conoscerne le condizioni, per indagarne i bisogni, ed avvisare ai rimedii. E sin d' allora, nelle Lettere Encicliche scritte a tutti i Venerabili fratelli nell' Episcopato, deplorammo lo scadimento delle verità non pure soprannaturali conosciute per fede, ma naturali altresi sia speculative sia pratiche, la prevalenza di funestissimi errori, ed il gravissimo pericolo che corre la società per i disordini sempre crescenti, ond' è sconvolta. Dicemmo cagione poten-

tissima di tanta rovina essere la proclamata separazione, e la tentata apostasia della presente società da Cristo e dalla sua Chiesa, nella quale sola è virtù che basti a ristorarne i gravissimi danni. Alla luce sfolgorante dei fatti mostrammo allora, che la Chiesa fondata da Cristo per rinnovare il mondo, fin dalla sua prima comparsa in mezzo di esso, incomminciò a fargli sentire grande conforto della sua virtù sovrumana, e che nelle epoche più tenebrose e funeste fu il solo faro che additava la via sicura, il solo rifugio che promettea tranquillità e salvezza. Da ciò era facile inferire, che se nei tempi che furono la Chiesa valse a spargere sulla terra beneficii così segnalati, lo può senza fallo anche al presente: chè la Chiesa, come tiene per fede ogni cattolico, animata sempre dallo spirito di Gesù Cristo, il quale le promise l' immanchevole sua assistenza, fu constituita maestra di verità e custode di una legge santa ed immacolata, e come tale possiede anche oggidi tutta la forza per opporsi al guasto intellettuale e morale che ammorba la società, e richiamarla a salute. E poichè nemici scaltrissimi, per metterla in mala vista e nimicarle il mondo, vanno spargendo gravi calunnie contro di essa, Noi Ci facemmo sin dalle prime a dissipare i pregiudizi e a sventare le accuse, certi che i popoli, conosciuta la Chiesa, qual è realmente, e la sua benigna natura, sarebbero da ogni parte tornati volonterosi al seno di lei.

*Invitati populorum moderatores ut oblatum Ecclesiae auxilium non recusent.*

Guidati da tali intendimenti volemmo far sentire la Nostra voce a quelli altresi che reggono le sorti delle nazioni, invitandoli caldamente a non rifiutare, in questi tempi che cosi stringe il bisogno, il validissimo appoggio che loro offre la Chiesa. E spinti dall' Apostolica carità, Ci rilvolgemmo anche a coloro che non sono a Noi uniti col vincolo della religione Cattolica, desiderosi che anche i loro sudditi sperimentino i benefici influssi di questa divina instituzione.

Ella ben sa, sig. Cardinale, che per secondare questi impulsi del Nostro cuore dirigemmo la parola anche al potente Imperatore dell' illustre nazione Germanica, la quale, per le difficili condizioni fatte ai Cattolici, richiamava in modo particolare la Nostra sollecitudine. Quella parola,

*Nominatim cum Germaniae Imperatore tractatum de solida pace religiosa constituenda.*

ispirata unicamente dalla brama di vedere ridonata la pace religiosa alla Germania, venne accolta favorevolmente dall' augusto Imperatore, e sortì il buon effetto di condurre ad amichevoli trattative; nelle quali non fu Nostro intendimento di addivenire ad una semplice tregua che lascerebbe aperta la via a nuovi conflitti; ma di stringere, rimossi gli ostacoli, una pace vera, solida e duratura. L'importanza di questo scopo, giustamente apprezzata dall' alto senno di coloro che hanno in mano i destini di quell' impero, li condurrà, ne abbiamo fiducia, a darci benigna la mano per conseguirlo. Se ne allieterebbe senza dubbio la Chiesa per vedere in quella nobile nazione ristabilita la pace; ma non meno se ne allieterebbe l'impero, che, pacificate le coscienze, troverebbe come altre volte, nei figli della Chiesa Cattolica i sudditi più fedeli e più generosi.

*Rebus Orientis invigilandum.*

Neppur potevano sfuggire alla Nostra paterna vigilanza le contrade dell'Oriente, nelle quali i gravissimi avvenimenti, che vi si vanno svolgendo, preparano forse un migliore avvenire agl' interessi della Religione. Nulla da parte della Sede Apostolica sarà omesso per favorirli ; e Ci sorride la speranza che le illustre Chiese di quelle regioni tornino finalmente a vivere di vita feconda, e a brillare dell' antico splendore.

Questi brevi cenni Le rivelano abbastanza, signor Cardinale, il Nostro disegno di portar largamente l'azione benefica della Chiesa e del Papato in mezzo a tutta quanta l'odierna società ; è necessario che anch'Ella metta tutti i suoi lumi e tutta la sua operosità per mandare ad effetto questo disegno che Iddio Ci pose nel cuore.

Oltre a ciò dovrà rivolgere la sua più seria attenzione sopra un altro punto di altissima importanza, cioè sopra la difficilissima condizione creata al Capo della Chiesa in Italia ed a Roma, dopo che fu spogliato del temporale dominio che la Provvidenza da tanti secoli gli aveva concesso a tutelare la liberta del suo spirituale potere.

*Vindicanda Sanctae Sedis plena libertas*

Non vogliamo qui fermarci a riflettere, che la violazione delle ragioni più sacrosante della Sede Apostolica e del Romano Pontefice è fatale anche al benessere e alla tran-

quillità dei popoli, nei quali, al vedere i più antichi e i più sacri dirirti impunemente violati nella stessa personna del Vicario di Cristo, resta profondamente scossa l' idea del dovere e della giustizia, vien meno il rispetto alle leggi, e si giunge a rovesciare le stesse basi della civile convivenza. Neppure intendiamo intrattenerla a considerare, che i Cattolici dei diversi Stati non potranno mai essere tranquilli finchè il loro Pontefice sommo, il Maestro della loro fede, il Moderatore delle loro coscienze, non sia circondato di libertà vera e di reale indipendenza. Non possiamo però dispensarci dall' osservare, che mentre il Nostro spirituale potere, per la sua divina origine e sovrumana destinazione, e per esercitare la sua benefica influenza a favore dell' umano consorzio è necessario che goda di pienissima libertà; per le presenti condizioni invece resta così impedito, che Ci diviene difficilissimo il governo della Chiesa universale. *27 AUGUSTI 1878.*

La cosa è notoria e confermata da fati quotidiani. Le solenni doglianze, mosse dal Nostro Antecessore Pio IX di f. m. nella memoranda Allocuzione concistoriale del 12 marzo 1877, possono ad eguale ragione ripetersi anche da Noi, colla giunta di altre non lievi, per i nuovi ostacoli frapposti all' esercizio del Nostro supremo potere. Per fermo non solo dobbiamo lamentare, come l' illustre Nostro Antecessore, la soppressione dei Religiosi, che tolse al Pontefice un valido aiuto nelle Congregazioni ove si trattano i più rilevanti affari della Chiesa; non pure dobbiamo dolerci che si tolgano al culto divino i ministri con la legge sopra il reclutamento militare, la quale tutti indistintamente costringe al servizio delle armi; che vengano sottratte a Noi ed al Clero le istituzioni di carità e di beneficenza erette in Roma o dai Romani Pontefici, o dalle Cattoliche nazioni, che le posero sotto la vigilanza della Chiesa; non pure, con immensa amarezza del nostro cuore di padre e di pastore, siamo costretti a vedere sotto i nostri occhi i progressi dell' eresia in questa stessa città di Roma, centro della Cattolica religione, ove impunemente tempii e scuole eterodosse s'innalzano in gran numero, ed a scorgere il pervertimento che ne consegue specialmente di tanta parte di *variis actibus laesa.*

gioventù alla quale viene propinata un' istruzione scredente; ma, come se tutto ciò fosse poco, si tenta di rendere vani gli atti stessi della nostra spirituale giurisdizione,

Le è ben noto, signor Cardinale, come dopo l'occupazione di Roma affine di tranquillizzare in parte le coscienze dei Cattolici altamente preoccupati della sorte del loro Capo, con pubbliche e solenni dichiarazioni si protestò di voler lasciare in piena libertà del Pontefice la nomina dei Vescovi alle diverse sedi d'Italia. Ma poi sotto il pretesto che gli atti della loro canonica istituzione non venivano sottoposti al placito governativo, non solo furono negate ai novelli investiti le rendite delle loro mense, cagionando cosi un gravissimo dispendio alla Sede Apostolica, costretta di provvedere al loro sostentamento; ma con gravissimo danno delle anime alle loro cure affidate, neppure si vollero riconoscere gli atti di episcopale giurisdizione da loro emanati, quali sono le nomine alle Parrocchie e ad altri ecclesiastici benefici. E quando per ovviare a questi mali gravissimi, fu della Sede Apostolica tollerato che i Vescovi d'Italia, nuovamente eletti, presentassero le Bolle di nomina e d'istituzione avvenuta secondo i canoni, non per questo divenne più tollerabile la condizione della Chiesa; chè, nonostante la presentazione voluta, a molti Vescovi per vani motivi si continuò a negare le rendite e a disconoscersi la giurisdizione. Quelli poi che possono conseguire l'intento, veggono le doro domande rimesse dall' uno all'altro ufficio, e assoggettate a lunghissimi indugi: ed uomini rispettabili, per virtù e dottrina distinti, giudicati dal Pontefice degni di occupare i primi gradi dell' ecclesiastica gerarchia, sono costretti a subire l'umiliazione di vedersi sottoposti a segrete e minutissime inquisizioni, a guisa di gente sospetta e volgare. Lo stesso Venerabile Fratello da Noi destinato ad amministrare in nome Nostro la Chiesa Perugina, quantunque già preposto al governo di un' altra Diocesi, e in essa legalmente riconosciuto, dopo lungo tempo attende ancora invano una risposta. Cosi con infelice astuzia si toglie alla Chiesa colla sinistra mano quello che per ragioni politiche si finse di darle colla diritta.

A rendere più grave lo stato delle cose, per non poche Diocesi d' Italia si volero recentemente mettere in campo i diritti di regio patronato, con pretensioni cosi esagerate e con si odiose misure, che al Venerabile Nostro Fratello, l' Arcivescovo di Chieti, con giudiziale intimo non solo si contrasta la giurisdizione, ma inoltre si dichiara irrita la sua nomina, e si disconosce lo stesso suo carattere Episcopale. *27 AUGUSTI 1878.*

Non è Nostra mente fermarci a mostrare l' insussistenza di tali diritti, che d' altronde viene riconosciuta da molti anche della parte avversa. Ci basta solo di recordare, che la Sede Apostolica, alla quale è riservata la provvista dei Vescovati, non fu solita concedere il diritto di patronato se non a quei Principi che molto bene avessero meritato della Chiesa, sostenendone le ragioni, favorendone l'ampliazione, accrescendone il patrimonio ; e che quelli che la combattono, impugnandone i diritti, appropriandosene le sostanze, addivengono per ció solo incapaci, secondo i Canoni, di esercitarlo.

I fatti che abbiamo finora toccato, evidentemente accennano al proposito di continuare in Italia un sistema di sempre crescente ostilità verso la Chiesa, e mostrano ben chiaro qual sorta di libertà le sia riservata e di qual rispetto si voglia circondare il Capo della Religione Cattolica.

In questa condizione di cose si deplorevole, non ignoriamo, signor Cardinale,i sacri doveri che C'impone l'Apostolico ministero ; e cogli occhi fissi in Cielo, coll' animo confortato dalla certa speranza del divino aiuto, Ci studieremo di non fallirvi giammai. Ella poi che dalla Nostra fiducia fu chiamato a parte delle Nostre altissime cure,rechi, come l'illustre suo antecessore,all' adempimento dei Nostri disegni il concorso della sua ferma ed intelligente operosità, certa che non le verrà mai meno la Nostra assistenza.

Intanto, come pegno del Nostro particolare affetto, riceva l' Apostolica benedizione, che dall' intimo del cuore le impartiamo.

Dal Vaticano, 27 agosto 1878.

LEO PP. XIII.

# EPISTOLA

## Ad Archiepiscopum Coloniensem

## DE PACE RELIGIOSA APUD GERMANOS RESTITUENDA.

*24 DECEMBRIS 1878.*

SOLATIO Nobis et oblectationi fuerunt officiosae litterae, quibus vota tua faustis coniuncta omnibus, appetente solemni die Natali Domini, Nobis explicavisti; per eas enim luculenter se prodidit cum tua erga Nos egregia voluntas, tum inviolabile studium quo huic Apostolicae Sedi adhaeres. Haec autem officia dum tibi dilectionem Nostram magis conciliant, decori tibi ac laudi cedunt, simulque plenum obsequium, quo Nos prosequitur Coloniensis Ecclesiae grex tibi creditus, validius confirmant. Neque aliunde quam nutu et voluntate regentis omnia et moderantis Dei factum esse putamus, ut paria iis quae edidisti signa pietatis devotique animi, Nobis a caeteris Venerabilibus Fratribus catholici orbis Episcopis exhiberentur: namque in hac tanta rerum perturbatione, mira haec consensio periucunde Nos afficit et recreat; atque illas e pectore Nostro Apostoli voces exprimit « *Benedictus Deus qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* [1]. » Ac sane, ut primum ad hoc Apostolicae Sedis fastigium evecti, ad omnes Venerabiles in Episcopatu Fratres verba Nostra convertimus, tantam cogitationum, sententiarum, ac pene verborum concentionem in eorum responsis deprehendimus, ut Nobis non modo laetandum fuerit de mirabili unitate quae viget in Ecclesia Dei, sed etiam manifesto constiterit, totius orbis Episcopos fidos esse interpretes sanae doctrinae, quae a Sede Apostolica traditur, eosque Pastoralis sollicitudinis Nostrae et alacres laborum socios Nobis ultro adfuturos.

*Unitas Episcoporum cum Pontifice in doctrinis, in consiliis, in operibus.*

Iam vero haec unitas in doctrinis, in consiliis, in operibus spem Nobis facit, fore ut omnia iuxta vota Nostra contin-

1. II Cor. I. 4.

*Mala quae societati humanae impendent, ex impedita salutari Ecclesiae virtute oriuntur.*

gant ; quo facto non solum Ecclesia compendio fruetur amplissimo, sed et civilis societas uberrimos salutis fructus percipiet. Siquidem probe novisti, Venerabilis Frater, hanc Nobis insidere sententiam (quam saepe verbis expressimus et palam testati sumus) : tristia discrimina, quae hominum communitati impendent, ex eo potissimum repetenda esse, quod undique intercepta sit Ecclesiae auctoritas, ne salutarem vim suam publice in bonum societatis exerat, eiusque libertas sic impedita sit, ut vix illi liceat privatim singulorum necessitati ac bono prospicere. Quae sane persuasio non solum ex eo Nostrae menti inducta est, quod Ecclesiae naturam efficacemque virtutem probe cognitam habeamus, sed etiam ex indubiis historiae documentis, quibus evidentissime comprobatur tunc optime rem publicam florere, cum Ecclesia plena fruitur agendi libertate ; quoties vero vinculis constringitur, ea principia et doctrinas invalescere, quibus omnis humana consortio labefactata dissolvitur.

*Hinc ut eis occurratur, Principes et populi pacem et amicitiam cum Ecclesia colere debent.*

Cum itaque id Nobis fuerit iampridem persuasum, pronum erat, ut ab ipsis Nostri Pontificatus exordiis, Principes et populos ad pacem et amicitiam cum Ecclesia colendum revocare adniteremur. Ac tibi quidem compertum est, Ven. Frater, Nos mature animum intendisse ut nobilis quoque Germanorum Natio, dissidiis compositis, bona et fructus duraturæ pacis, salvis Ecclesiae iuribus, consequeretur : compertum etiam tibi esse putamus, ad Nos quod attinet, nihil fuisse praetermissum ut finem tam praeclarum ac Nostrâ dignum sollicitudine attingeremus. Utrum autem quod aggressi sumus et perficere contendimus prosperum tandem exitum sit habiturum, Ille novit a quo est omne bonum, Quique Nobis tam ardens indidit pacis studium ac desiderium.

*A proposito communis salutis procurandae nulla obstacula Pontificem deflectent.*

At quocumque demum res vertant, divinae voluntatis placitis acquiescentes, eodem tamen incensi studio, in arduo Nobis commisso munere obeundo perseverabimus, dum vita manebit. Neque enim rem tantam posthabere aut negligere fas est : quandoquidem propter pravas doctrinas et audacia perfidorum hominum consilia, fraenum omne legis detrectantium, religioso, politico, sociali denique ordini tam grave

cernimus imminere exitium, ut Apostolici Ministerii officio deesse putaremus, nisi humanae societati, in supremum iam discrimen adductae, efficacissima Ecclesiae remedia pararemus. Itaque ab hoc proposito communis salutis curandae, adeoque etiam gentis tuae, Venerabilis Frater, nulla Nos deflectent obstacula undequaque interposita. Nunquam enim poterit cor Nostrum quiescere, donec, ingenti cum animarum iactura, Pastores Ecclesiae damnatos vel exules conspiciemus, sacerdotale ministerium nexibus omne genus implicitum, religiosas Sodalitates, piasque Congregationes disiectas, et iuventutis institutionem, ne clericis quidem exceptis, ab Episcopali auctoritate et vigilantia subductam. Verum quo plenius ac celerius hoc salutis opus a Nobis susceptum perfici valeat, Te, Venerabilis Frater, et caeteros istarum regionum illustres Episcopos appellamus, ut Nobiscum studiis viribusque coniunctis ad opus illud efficiendum connitamini, satagentes, ut fideles, curationi Vestrae commissi, sese magis magisque dociles exhibeant Ecclesiae documentis, divinae legis perscripta accuratius in dies exequantur, ita ut, *communicatio fidei* eorum *evidentior fiat in agnitione omnis operis boni, quod est* in illis *in Christo Iesu* (1). Exinde profecto eveniet, ut per modestiam suam et obedientiam legibus praestitam (quae tamen fidei et officio catholici viri haud repugnant) sese dignos esse demonstrent, qui bona pacis recipiant, diuque laetis illius fructibus utantur.

*Necessitas orationis.*

Caeterum optime intelligis, Venerabilis Frater, conatus Nostros in re tam gravi prorsus in irritum cessuros, nisi nobis adfuerit auspex et adiutor Deus; nam *nisi Ipse aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam* (2). Quare coram Ipso fervida vota et preces fundamus oportet, Eumque enixe obsecremus, ut coelesti lumine Vicarium suum in terris atque Episcopos collustret : et cum in manu Eius corda regum sint, Ipse ad mitiora consilia inclytum et potentem Germanorum Imperatorem, et praestantes qui ei adsident viros inclinet.

Denique quoniam multorum in idem consentientium

1. Ad Philem. 6. — 2. Ps. CXXVI.

precatio bonitati divinae quodammodo vim infert, optamus Germaniae Episcopos hortatu concordi greges excitare quibus praesunt, ut consociatis precibus divinam opem praesentem Nobis ac propitiam implorent. *24 DECEMBRIS 1878.*

Auspicem interea coelestium munerum et pignus dilectionis Nostrae, Apostolicam Benedictionem, Tibi Venerabilis Frater; nec non caeteris Germaniae Episcopis et fidelibus vigilantiae vestrae concreditis ex intimo cordis affectu in Domino impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die 24 Decembris 1878.

Pontificatus Nostri Anno Primo.

LEO PP. XIII.

# EPISTOLA ENCYCLICA

## Ad Episcopos universos catholici orbis

## DE SECTA SOCIALISTARUM, COMMUNISTARUM, NIHILISTARUM.

*28 DECEMBRIS 1878.*

QUOD Apostolici muneris ratio a Nobis postulabat, iam inde a Pontificatus Nostri principio, Litteris encyclicis ad vos datis, Venerabiles Fratres, indicare haud praetermisimus lethiferam pestem, quae per artus intimos humanae societatis serpit, eamque in extremum discrimen adducit : simul etiam remedia efficacissima demonstravimus, quibus ad salutem revocari, et gravissima quae impendent pericula possit evadere. Sed ea quae tunc deploravimus mala usque adeo brevi increverunt, ut rursus ad vos verba convertere cogamur, Propheta velut auribus Nostris insonante : *Clama, ne cesses, exalta quasi tuba vocem tuam* (1).

*Describuntur sectarum indoles et intenta :*

Nullo autem negotio intelligitis, Venerabiles Fratres, Nos de illa hominum secta loqui, qui diversis ac pene barbaris nominibus *Socialistæ*, *Communistæ* vel *Nihilistæ* appellantur, quique per universum orbem diffusi, et iniquo inter se foedere arctissime colligati, non amplius ab occultorum conventuum tenebris praesidium quaerunt, sed palam fidenterque in lucem prodeuntes, quod iampridem inierunt consilium cuiuslibet civilis societatis fundamenta convellendi, perficere adnituntur. Ii nimirum sunt, qui, prout divina testantur eloquia, *carnem quidem maculant, dominationem spernunt, maiestatem autem blasphemant* (2). Nihil, quod humanis divinisque legibus ad vitæ incolumitatem et decus sapienter decretum est, intactum vel integrum relinquunt.

*auctoritatem, familiam, proprietatem impetunt.*

Sublimioribus potestatibus, quibus Apostolo monente, omnem animam decet esse subiectam, quaeque a Deo ius imperandi mutuantur, obedientiam detrectant, et perfectam omnium hominum in iuribus et officiis praedicant aequalitatem. — Naturalem viri ac mulieris unionem, gentibus vel barbaris sacram,

1. Is. LVIII, 1. — 2. Iud. Ep. 8.

dehonestant : eiusque vinculum, quo domestica societas principaliter continetur, infirmant aut etiam libidini permittunt.—Praesentium tandem bonorum illecti cupiditate, quae *radix est omnium malorum et quam quidam appetentes erraverunt a fide* ([1]), ius proprietatis naturali lege sancitum impugnant ; et per immane facinus, cum omnium hominum necessitatibus consulere et desideriis satisfacere videantur, quidquid aut legitimae haereditatis titulo, aut ingenii manuumque labore, aut victus parsimonia adquisitum est, rapere et commune habere contendunt. Atque haec quidem opinionum portenta in eorum conventibus publicant, libellis persuadent, ephemeridum nube in vulgus spargunt. Ex quo veneranda Regum maiestas et imperium tantam seditiosae plebis subiit invidiam, ut nefarii proditores, omnis freni impatientes, non semel brevi temporis intervallo, in ipsos regnorum Principes, impio ausu, arma converterint.

*Mali causa est rationalismus qui a saeculo XVI invasit ordinem politicum, scientificum, oeconomicum.*

Haec autem perfidorum hominum audacia, quae civili consortio graviores in dies ruinas minitatur, et omnium animos sollicita trepidatione percellit, causam et originem ab iis venenatis doctrinis repetit, quae superioribus temporibus tamquam vitiosa semina medios inter populos diffusae, tam pestiferos suo tempore fructus dederunt. Probe enim nostis, Venerabiles Fratres, infensissimum bellum, quod in catholicam fidem inde a saeculo decimo sexto a Novatoribus commotum est, et quam maxime in dies hucusque invaluit, eo tendere ut, omni revelatione submota et quolibet supernaturali ordine subverso, solius rationis inventis seu potius deliramentis, aditus pateret. Eiusmodi error, qui perperam a ratione sibi nomen usurpat, cum excellendi appetentiam naturaliter homini insertam pelliciat et acuat, omnisque generis cupiditatibus laxet habenas, sponte sua non modo plurimorum hominum mentes, sed civilem etiam societatem latissime pervasit. Hinc nova quadam impietate, ipsis vel ethnicis inaudita, respublicae constituae sunt nulla Dei et ordinis ab eo praestituti habita ratione : publicam auctoritatem nec principium, nec maiestatem, nec vim imperandi

1. I Tim. VI, 19.

a Deo sumere dictitatum est, sed potius a populi multitudine; quae ab omni divina sanctione solutam se aestimans, iis solummodo legibus subesse passa est, quas ipsa ad libitum tulisset. — Supernaturalibus fidei veritatibus, tamquam rationi inimicis, impugnatis et reiectis, ipse humani generis Auctor ac Redemptor a studiorum Universitatibus, Lyceis et Gymnasiis, atque ab omni publica humanae vitae consuetudine sensim et paulatim exulare cogitur.—Futurae tandem aeternaeque vitae praemiis ac poenis oblivioni traditis, felicitatis ardens desiderium intra praesentis temporis spatium definitum est. — Hisce doctrinis longe lateque disseminatis, ac tanta cogitandi agendique licentia ubique parta, mirum non est quod infimae sortis homines, pauperculae domus vel officinae pertaesi, in aedes et fortunas ditiorum involare discupiant; mirum non est quod nulla iam publicae privataeque vitae tranquillitas consistat, et ad extremam perniciem humanum genus iam pene devenerit.

*Pontifices mature periculum avertere studuerunt, detectis impiorum consiliis, occultis sectis anathemate damnatis.*

Supremi autem Ecclesiae Pastores, quibus dominici gregis ab hostium insidiis tutandi munus incumbit, mature periculum avertere et fidelium saluti consulere studuerunt. Ut enim primum conflari coeperunt clandestinae societates, quarum sinu errorum, quos memoravimus, semina iam tum fovebantur, Romani Pontifices Clemens XII et Benedictus XIV impia sectarum consilia detegere et de pernicie, quae latenter instrueretur, totius orbis fideles admonere non praetermiserunt. Postquam vero ab iis, qui philosophorum nomine gloriabantur, effrenis quaedam libertas homini attributa est, et ius novum, ut aiunt, contra naturalem divinamque legem confingi et sanciri coeptum est, fel. mem. Pius Papa VI statim iniquam earum doctrinarum indolem et falsitatem publicis documentis ostendit; simulque apostolica providentia ruinas praedixit, ad quas plebs misere decepta raperetur. — Sed cum nihilominus nulla efficaci ratione cautum fuerit ne prava earum dogmata magis in dies populis persuaderentur, neve in publica regnorum scita evaderent, Pius PP. VII et Leo PP. XII occultas sectas anathemate damnarunt, atque iterum de periculo, quod ab illis impendebat, societatem admonuerunt. — Omnibus denique

*28 DECEMBRIS 1878.*

manifestum est quibus gravissimis verbis et quanta animi firmitate ac constantia gloriosus Decessor Noster Pius IX f. m., sive Allocutionibus habitis, sive Litteris encyclicis ad totius orbis Episcopos datis, tum contra iniqua sectarum conamina, tum nominatim contra iam ex ipsis erumpentem Socialismi pestem dimicaverit.

*Doctrina evangelica socialismo opposita.*

Dolendum autem est eos, quibus communis boni cura demandata est, impiorum hominum fraudibus circumventos et minis perterritos in Ecclesiam semper suspicioso vel etiam iniquo animo fuisse, non intelligentes sectarum conatus in irritum cessuros, si catholicae Ecclesiae doctrina, Romanorumque Pontificum auctoritas, et penes Principes et penes populos, debito semper in honore mansisset. *Ecclesia* namque *Dei vivi*, quae *columna* est *et firmamentum veritatis* (1), eas doctrinas et praecepta tradit, quibus societatis incolumitati et quieti apprime prospicitur, et nefasta Socialismi propago radicitus evellitur.

Quamquam enim vero Socialistae ipso Evangelio abutentes, ad male cautos facilius decipiendos, illud ad suam sententiam detorquere consueverint, tamen tanta est inter eorum prava dogmata et purissimam Christi doctrinam dissensio, ut nulla maior existat: *Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas lucis ad tenebras* (2)? Ii profecto dictitare non desinunt, ut innuimus, omnes homines esse inter se natura aequales, ideoque contendunt nec maiestati honorem ac reverentiam, nec legibus, nisi forte ab ipsis ad placitum sancitis, obedientiam deberi. — Contra vero, ex Evangelicis documentis, ea est hominum aequalitas, ut omnes eamdem naturam sortiti, ad eamdem filiorum Dei celsissimam dignitatem vocentur, simulque ut uno eodemque fine omnibus praestituto, singuli secundum eamdem legem iudicandi sint, poenas aut mercedem pro merito consecuturi. Inaequalitas tamen iuris et potestatis ab ipso naturae Auctore dimanat, *ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur* (3). Principum autem et subditorum animi mutuis officiis et iuribus, secundum catho-

1. I Tim. III, 15. — 2. II Cor. VI, 14. — 3. Ad Eph. III, 15.

licam doctrinam ac praecepta, ita devinciuntur, ut et imperandi temperetur libido, et obedientiae ratio facilis, firma et nobilissima efficiatur.

*Subditis obedientiam inculcat,*

Sane Ecclesia subiectae multitudini Apostolicum praeceptum iugiter inculcat: *Non est potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Atque iterum : *Necessitate subditos* esse iubet *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam ;* et *omnibus debita* reddere, *cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem* (1). Siquidem qui creavit et gubernat omnia, provida sua sapientia disposuit, ut infima per media, media per summa ad suos quaeque fines perveniant. Sicut igitur in ipso regno coelesti Angelorum choros voluit esse distinctos aliosque aliis subiectos ; sicut etiam in Ecclesia varios instituit ordinum gradus, officiorumque diversitatem, ut non omnes essent Apostoli, non omnes Doctores, non omnes Pastores (2) ; ita etiam constituit in civili societate plures esse ordines, dignitate, iuribus, potestate diversos ; quo scilicet civitas, quemadmodum Ecclesia, unum esset corpus, multa membra complectens, alia aliis nobiliora, sed cuncta sibi invicem necessaria et de communi bono sollicita.

*populorum rectoribus moderationem.*

At vero ut populorum rectores potestate sibi concessa in aedificationem et non in destructionem utantur, Ecclesia Christi opportunissime monet etiam Principibus supremi iudicis severitatem imminere ; et divinae Sapientiae verba usurpans, Dei nomine omnibus inclamat : *Praebete aures, vos, qui continetis multitudines, et placetis vobis, in turbis nationum; quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur... Quoniam iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet.... Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam ; quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio* (3). Si tamen quandoque contingat temere et ultra modum publicam a

1. Rom. XIII. — 2. I Cor. XII. — 3. Sap. VI.

Principibus potestatem exerceri, catholicae Ecclesiae doctrina in eos insurgere proprio marte non sinit, ne ordinis tranquillitas magis magisque turbetur, neve societas maius exinde detrimentum capiat. Cumque res eo devenerit ut nulla alia spes salutis affulgeat, docet christianae patientiae meritis et instantibus ad Deum precibus remedium esse maturandum. — Quod si legislatorum ac principum placita aliquid sanciverint aut iusserint quod divinae aut naturali legi repugnet, christiani nominis dignitas et officium atque Apostolica sententia suadent *obediendum* esse *magis Deo quam hominibus* (1).

*28 DECEMBRIS 1878.*

Salutarem porro Ecclesiae virtutem quae in civilis societatis ordinatissimum regimen et conservationem redundat, ipsa etiam domestica societas, quae omnis civitatis et regni principium est, necessario sentit et experitur. Nostis enim, Venerabiles Fratres, rectam huius societatis rationem, secundum naturalis iuris necessitatem, in indissolubili viri ac mulieris unione primo inniti, et mutuis parentes inter et filios, dominos ac servos officiis iuribusque compleri. Nostis etiam per Socialismi placita eam pene dissolvi; siquidem firmitate amissa, quae ex religioso coniugio in ipsam refunditur, necesse est ipsam patris in prolem potestatem, et prolis erga genitores officia maxime relaxari. Contra vero *honorabile in omnibus connubium* (2), quod in ipso mundi exordio ad humanam speciem propagandam et conservandam Deus ipse instituit et inseparabile decrevit, firmius etiam et sanctius Ecclesia docet evasisse per Christum, qui Sacramenti ei contulit dignitatem, et suae cum Ecclesia unionis formam voluit referre. Quapropter, Apostolo monente (3), sicut Christus caput est Ecclesiae, ita vir caput est mulieris; et quemadmodum Ecclesia subiecta est Christo, qui eam castissimo perpetuoque amore complectitur, ita et mulieres viris suis decet esse subiectas, ab ipsis vicissim fideli constantique affectu diligendas. — Similiter patriae atque herilis potestatis ita Ecclesia rationem moderatur, ut ad filios ac famulos in officio continendos valeat, nec tamen praeter modum excrescat. Secundum namque catholica

*Indissolubilem viri et mulieris unionem tuetur,*

*mutua parentum et filiorum, dominorum et famulorum jura et officia definit.*

1. Act. V, 29. — 2. Hebr. XIII. — 3. Ad Eph. V.

documenta, in parentes et dominos coelestis Patris ac Domini dimanat auctoritas, quae idcirco ab ipso non solum originem ac vim sumit, sed etiam naturam et indolem necesse est mutuetur. Hinc liberos Apostolus hortatur *obedire parentibus suis in Domino, et honorare patrem suum et matrem suam, quod est mandatum primum in promissione* (1). Parentibus autem mandat: *Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini* (2). Rursus autem servis ac dominis per eumdem Apostolum divinum praeceptum proponitur, ut illi quidem obediant *dominis carnalibus sicut Christo.... cum bona voluntate servientes sicut Domino*: isti autem *remittant minas, scientes, quia omnium Dominus est in coelis, et personarum acceptio non est apud Deum* (3). — Quae quidem omnia si secundum divinae voluntatis placitum diligenter a singulis, ad quos pertinet, servarentur, quaelibet profecto familia coelestis domus imaginem quamdam prae se ferret, et praeclara exinde beneficia parta, non intra domesticos tantum parietes sese continerent, sed in ipsas respublicas uberrime dimanarent.

*Jus proprietatis ac dominii agnoscit, pauperes honorat ac sublevat, divitibus inculcat eleemosynae praeceptum*

Publicae autem ac domesticae tranquillitati catholica sapientia, naturalis divinaeque legis praeceptis suffulta, consultissime providit etiam per ea quae sentit ac docet de iure dominii et partitione bonorum, quae ad vitae necessitatem et utilitatem sunt comparata. Cum enim Socialistae ius proprietatis tamquam humanum inventum, naturali hominum aequalitati repugnans traducant, et communionem bonorum affectantes, pauperiem haud aequo animo esse perferendam, et ditiorum possessiones ac iura impune violari posse arbitrentur; Ecclesia multo satius et utilius inaequalitatem inter homines, corporis ingeniique viribus naturaliter diversos, etiam in bonis possidendis agnoscit, et ius proprietatis ac dominii, ab ipsa natura profectum, intactum cuilibet et inviolatum esse iubet: novit enim furtum ac rapinam a Deo, omnis iuris auctore ac vindice, ita fuisse prohibita, ut aliena vel conspicere non liceat, furesque et raptores, non secus ac adulteri et idololatrae a coelesti regno excludantur.

1. Ad Eph. VI, 1, 2. — 2. Ibid. V. 4. — 3. Ibid. VI. 5, 6, 7.

— Nec tamen idcirco pauperum curam negligit, aut ipsorum necessitatibus consulere pia mater praetermittit : quin imo materno illos complectens affectu, et probe noscens eos gerere ipsius Christi personam, qui sibi praestitum beneficium putat, quod vel in minimum pauperem a quopiam fuerit collatum, magno illos habet in honore : omni qua potest ope sublevat ; domos atque hospitia iis excipiendis, alendis et curandis ubique terrarum curat erigenda, eaque in suam recipit tutelam. Gravissimo divites urget praecepto, ut quod superest pauperibus tribuant ; eosque divino terret iudicio, quo, nisi egenorum inopiae succurrant, aeternis sint suppliciis mulctandi. Tandem pauperum animos maxime recreat ac solatur, sive exemplum Christi obiiciens, qui *cum esset dives, propter nos egenus factus est* (1) ; sive eiusdem verba recolens, quibus pauperes beatos edixit et aeternae beatitudinis praemia sperare iussit. — Quis autem non videat optimam hanc esse vetustissimi inter pauperes et divites dissidii componendi rationem ? Sicut enim ipsa rerum factorumque evidentia demonstrat, ea ratione reiecta aut posthabita, alterutrum contingat necesse est, ut vel maxima humani generis pars in turpissimam mancipiorum conditionem relabatur quae diu penes ethnicos obtinuit ; aut humana societas continuis sit agitanda motibus, rapinis ac latrociniis funestanda, prout recentibus etiam temporibus contigisse dolemus.

*28 DECEMBRIS 1878.*

*Appellatio ad principes et populos ut Ecclesiam magistram audiant, eique libertatem restituant.*

Quae cum ita sint, Venerabiles Fratres, Nos, quibus modo totius Ecclesiae regimen incumbit, sicut a Pontificatus exordiis populis ac Principibus dira tempestate iactis portum commonstravimus quo se tutissime reciperent ; ita nunc extremo, quod instat, periculo commoti Apostolicam vocem ad eos rursus attollimus ; eosque per propriam ipsorum ac reipublicae salutem iterum iterumque precamur, obtestantes, ut Ecclesiam, de publica regnorum prosperitate tam egregie meritam, magistram recipiant et audiant ; planeque sentiant, rationes regni et religionis ita esse coniunctas, ut quantum de hac detrahitur, tantum de subditorum officio et de imperii maiestate decedat. Et cum ad Socialismi pestem aver-

1. II Cor. VIII, 9.

tendam tantam Ecclesiae Christi virtutem noverint inesse, quanta nec humanis legibus inest, nec magistratuum cohibitionibus, nec militum armis, ipsam Ecclesiam in eam tandem conditionem libertatemque restituant, qua saluberrimam vim suam in totius humanae societatis commodum possit exerere.

*Hortatio ad Pastores ut Ecclesiae doctrinam in animos fidelium alte inserant,*

Vos autem, Venerabiles Fratres, qui ingruentium malorum originem et indolem perspectam habetis, in id toto animi nisu ac contentione incumbite, ut catholica doctrina in omnium animos inseratur atque alte descendat. Satagite ut vel a teneris annis omnes assuescant Deum filiali amore complecti, eiusque numen vereri; Principum legumque maiestati obsequium praestare; a cupiditatibus temperare, et ordinem quem Deus sive in civili sive in domestica societate constituit, diligenter custodire. Insuper adlaboretis oportet ut Ecclesiae catholicae filii neque nomen dare, neque abominatae sectae favere ulla ratione audeant: quin imo, per egregia facinora et honestam in omnibus agendi rationem ostendant, quam bene feliciterque humana consisteret societas, si singula membra recte factis et virtutibus praefulgerent. — Tandem cum Socialismi sectatores ex hominum genere potissimum quaerantur qui artes exercent vel operas locant, quique laborum forte pertaesi divitiarum spe ac bonorum promissione facillime alliciuntur, opportunum videtur artificum atque opificum societates fovere, quae sub religionis tutela constitutae omnes socios sua sorte contentos operumque patientes efficiant, et ad quietam ac tranquillam vitam agendam inducant.

*bonas operariorum societates constituant.*

*Spes divini auxilii.*

Nostris autem vestrisque coeptis, Venerabiles Fratres, Ille aspiret, cui omnis boni principium et exitum acceptum referre cogimur. — Caeterum in spem praesentissimi auxilii ipsa Nos horum dierum erigit ratio, quibus Domini Natalis dies anniversaria celebritate recolitur. Quam enim Christus nascens senescenti iam mundo et in malorum extrema pene dilapso novam intulit salutem, eam nos quoque sperare iubet; pacemque, quam tunc per Angelos hominibus nuntiavit, nobis etiam se daturum promisit. Neque enim *abbreviata est manus Domini ut salvare nequeat, neque*

*aggravata est auris eius ut non exaudiat* ([1]). His igitur auspicatissimis diebus Vobis, Venerabiles Fratres, et fidelibus Ecclesiarum vestrarum fausta omnia ac laeta ominantes, bonorum omnium Datorem enixe precamur, ut rursum *hominibus appareat benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei* ([2]), qui nos ab infensissimi hostis potestate ereptos in nobilissimam filiorum transtulit dignitatem. — Atque ut citius ac plenius voti compotes simus, fervidas ad Deum preces et ipsi Nobiscum adhibete, Venerabiles Fratres; et B. Virginis Mariae ab origine Immaculatae, eiusque Sponsi Iosephi ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli, quorum suffragiis maxime confidimus, patrocinium interponite. — Interim autem divinorum munerum auspicem Apostolicam Benedictionem, intimo cordis affectu, Vobis, Venerabiles Fratres, vestroque Clero ac fidelibus populis universis in Domino impertimur.

*28 DECEMBRIS 1878.*

Datum Romae apud S. Petrum, die 28 Decembris 1878.

Pontificatus Nostri Anno Primo.

LEO PP. XIII.

1. Is. LIX, 1. — 2. Tit. III, 4.

# LITTERAE APOSTOLICAE

## QUIBUS INDICITUR IUBILAEUM UNIVERSALE AD IMPLORANDUM DIVINUM AUXILIUM.

*15 FEBRUARII 1879.*

*Vetus mos jubilaeum indicendi initio suscepti Pontificatus.*

PONTIFICES Maximi, Praedecessores Nostri, ex veteri Romanae Ecclesiae instituto, ab ipso susceptae Apostolicae servitutis initio, coelestium munerum thesaurus universis fidelibus paterna liberalitate aperire et communes in Ecclesia preces indicere consueverunt, ut ipsis spiritualis et salutaris lucri opportunitatem praeberent, atque ut eosdem ad aeterni Pastoris auxilium precibus,piacularibus operibus et solatiis pauperum conciliandum excitarent. Quod quidem ex una parte tamquam auspicale donum erat, quod supremi religionis Antistites ab exordio Apostolici ministerii filiis in Christo suis largiebantur, ac veluti sacrum pignus illius caritatis qua Christi familiam complectebantur ; ex altera vero solemne erat christianae pietatis et virtutis officium, quo fideles cum suis Pastoribus visibili Ecclesiae Capiti coniuncti fungebantur apud Deum, ut Pater misericordiarum non modo gregem suum, ut S. Leonis verbis utamur (1), *sed et ipsum Pastorem ovium suarum* propitius respiceret, adiuvaret et *custodire dignaretur ac pascere.*

*Praesentis jubilaei rationes speciales.*

Hoc Nos consilio adducti, appropinquante iam Natali die electionis Nostrae, Praedecessorum Nostrorum exempla secuti indulgentiam ad instar generalis Iubilaei universo orbi catholico denunciare constituimus. Apprime enim novimus quam necessaria sit infirmitati Nostrae in arduo ministerio quod sustinemus divinorum charismatum copia ; novimus diuturno experimento quam luctuosa sit temporum in quae incidimus conditio, et quibus quantisque in fluctibus praesenti aevo Ecclesia laboret : ex publicis autem rebus in deterius ruentibus, ex funestis impiorum hominum consiliis ex

1. Serm. III., al. V., in Anniv. Assumpt. suae.

ipsis coelestis censurae minis, quae iam in aliquos severe incubuit, graviora in dies mala obventura formidamus.

Iamvero cum peculiare Iubilaei beneficium eo spectet, ut expientur animi labes, poenitentiae et caritatis opera exerceantur, precationum officia adhibeantur impensius, et cum sacrificia iustitiae et preces, quae concordi totius Ecclesiae studio offeruntur, usque adeo grata sint Deo ac frugifera ut divinae pietati vim facere videantur, firmiter confidendum est fore, ut Pater coelestis plebis suae humilitatem respiciat, et conversis in melius rebus, optatam suarum miserationum lucem ac solatium adducat. Nam si, ut idem Leo magnus aiebat, *donata nobis, per Dei gratiam, morum correctione, spirituales inimici vincantur, etiam corporeorum nobis hostium fortitudo succumbet, et emendatione nostra infirmabuntur, quos graves nobis, non ipsorum merita, sed nostra delicta fecerunt.* Quapropter omnes et singulos Catholicae Ecclesiae filios enixe hortamur, et rogamus in Domino, ut Nostris suas etiam coniungant preces, supplicationes et christianae disciplinae ac pietatis officia, atque oblata hac iubilaei gratia, hoc coelestium miserationum tempore, in animarum suarum lucrum et Ecclesiae utilitatem, Deo iuvante, studiosissime utantur.

*Jubilaei conditiones.*

Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit, universis et singulis utriusque sexus Christi fidelibus in alma urbe Nostra degentibus, vel ad eam advenientibus, qui Sancti Ioannis de Laterano Principis Apostolorum, et S. Mariae Majoris Basilicas a Dominica prima Quadragesimae, nimirum a die secunda Martii usque ad diem primam Iunii inclusive, quae erit Dominica Pentecostes, bis visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pro Catholicae Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis prosperitate et exaltatione, pro extirpatione haeresum, omniumque errantium conversione, pro Christianorum Principum concordia, ac totius fidelis populi pace et unitate ac iuxta mentem Nostram pias ad Deum preces effuderint, ac semel intra praefatum tempus esurialibus tantum cibis utentes ieiuna-

verint, praeter dies in quadragesimali indulto non comprehensos, aut alias simili stricti iuris ieiunio ex praecepto Ecclesiae consecratos, et peccata sua confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum susceperint, et aliquam eleemosynam in pauperes vel in pium aliquod opus, prout unicuique devotio suggeret, erogaverint; ceteris vero extra urbem praedictam ubicumque degentibus, qui tres Ecclesias eiusdem Civitatis aut loci, sive in illius suburbiis existentes, ab Ordinariis locorum vel eorum Vicariis seu Officialibus, aut de eorum mandato et ipsis deficientibus per eos qui ibi curam animarum exercent designandas, bis, vel si duae tantum ibi adsint Ecclesiae, ter, aut si dumtaxat una, sexies, spatio trium praedictorum mensium visitaverint, aliaque recensita opera devote peregerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, sicut in anno Iubilaei visitantibus certas Ecclesias intra et extra urbem memoratam concedi consuevit, concedimus et impertimus; annuentes etiam ut haec indulgentia et animabus, quae Deo in caritate coniunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii, applicari possit et valeat. Praeterea locorum Ordinariis indulgemus ut Capitulis et Congregationibus tam saecularium quam regularium, sodalitatibus, Confraternitatibus, Universitatibus, seu Collegiis quibuscumque memoratas Ecclesias processionaliter visitantibus, easdem visitationes ad minorem numerum pro suo prudenti arbitrio reducere queant.

Concedimus vero, ut navigantes, et iter agentes, ubi ad sua domicilia seu alio ad certam stationem se receperint, operibus suprascriptis peractis, et visitata sexies Ecclesia Cathedrali, vel Maiori, aut parochiali loci eorum domicilii, seu stationis huiusmodi, eamdem Indulgentiam consequi possint, et valeant. Regularibus vero personis utriusque sexus, etiam in Claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis, quam Ecclesiasticis, saecularibus, vel regularibus in carcere aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui memorata opera vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa Confessarius ex actu approbatis a locorum

Ordinariis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, cum facultate etiam dispensandi super Communione cum pueris, qui nondum ad primam Communionem admissi fuerint, pariter concedimus, atque indulgemus.

*15 FEBRUARII 1879.*

*Privilegia.*

Insuper omnibus et singulis Christi fidelibus, tam laicis quam Ecclesiasticis, Saecularibus et Regularibus cuiusvis Ordinis, et Instituti etiam specialiter nominandi, licentiam concedimus, et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam saecularem, quam regularem ex actu approbatis (qua facultate uti possint etiam Moniales, Novitiae, aliaeque mulieres intra Claustra degentes, dummodo Confessarius approbatus sit pro monialibus), qui eosdem vel easdem intra dictum temporis spatium, ad confessionem apud ipsum peragendam accedentes animo praesens Iubilaeum consequendi, et reliqua opera ad illud lucrandum necessaria adimplendi, hac vice et in foro conscientiae dumtaxat ab excommunicationis, suspensionis, et aliis Ecclesiasticis sententiis, et censuris a iure, vel ab homine quavis de causa latis, seu inflictis, etiam Ordinariis locorum et Nobis seu Sedi Apostolicae etiam in casibus cuicumque ac Summo Pontifici et Sedi Apostolicae *speciali licet modo* reservatis, et qui alias in concessione quantumvis ampla non intelligerentur concessi, nec non ab omnibus peccatis et excessibus quantumcumque gravibus et enormibus, etiam iisdem Ordinariis ac Nobis et Sedi Apostolicae, ut praefertur, reservatis, iniuncta ipsis poenitentia salutari aliisque de iure iniungendis, et, si de haeresi agatur, abiuratis prius et retractatis erroribus, prout de iure, absolvere ; nec non vota quaecumque etiam iurata ac Sedi Apostolicae reservata (castitatis, religionis, et obligationis, quae a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de praeiudicio tertii semper exceptis, nec non poenalibus, quae praeservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura iudicetur eiusmodi, ut non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera commutare, et cum poenitentibus huiusmodi in sacris

ordinibus constitutis, etiam regularibus, super occulta irregularitate ad exercitium eorundem ordinum, et ad superiorum assecutionem, ob censurarum violationem dumtaxat contracta, dispensare possit et valeat.

Non intendimus autem per praesentes super alia quavis irregularitate sive ex delicto, sive ex defectu, vel publica, vel occulta, aut nota, aliave incapacitate, aut inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super praemissis dispensandi, seu habilitandi et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae: neque etiam derogare Constitutioni cum appositis declarationibus editae a fel. re. Benedicto XIV Praedecessore Nostro, quae incipit "Sacramentum Poenitentiae"; neque demum easdem praesentes iis, qui a Nobis et Apostolica Sede, vel aliquo Praelato, seu iudice Ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra praedictum tempus satisfecerint, et cum partibus ubi opus fuerit, concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere. Quod si intra praefinitum terminum, iudicio Confessarii, satisfacere non potuerint, absolvi posse concedimus in foro conscientiae ad effectum dumtaxat assequendi Indulgentias Jubilaei, iniuncta obligatione satisfaciendi statim ac poterunt.

Quapropter in virtute sanctae obedientiae tenore praesentium districte praecipimus, atque mandamus omnibus, et quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, et Officialibus, vel ipsis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum praesentium litterarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa, per suas Ecclesias, ac Dioeceses, Provincias, Civitates, oppida, terras, et loca publicent, vel publicari faciant, populisque etiam Verbi Dei praedicatione, quoad fieri possit, rite praeparatis, Ecclesiam, seu Ecclesias visitandas, ut supra, designent.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles Indul-

gentiarum, et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari possint; nec non regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et Congregationum, sive Institutorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus et Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis : quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu alia quaevis expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam in iis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter nominatim et expresse ad effectum praemissorum, derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praesentes Nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut praesentium transumptis, vel exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, ubicumque locorum, et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. *15 FEBRUARII 1879.*

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die XV mensis februarii anno MDCCCLXXIX, Pontificatus Nostri anno primo.

L. CARD. NINA.

# ALLOCUTIO

## Ad Catholicarum Ephemeridum Scriptores

## CONCORDIA SERVANDA, PONTIFICIS IURA PROPUGNANDA.

*22 FEBRUARII 1879.*

INGENTI sane laetitia suavique animi iucunditate hodie perfundimur ex conspectu frequentiaque vestra, filii dilectissimi, qui egregii viri, domus Nostrae Antistitis, votis et desideriis obsequentes, ex omnibus terrae plagis huc convenistis, ut vestro et omnium catholicarum ephemeridum scriptorum nomine, fidem et amorem, quem animo fovetis, Nobis secundum Pontificatus annum auspicantibus palam obtestaremini. Plenum siquidem, quod modo solemniter verbis et factis professi estis, animorum obsequium et propensissima in Petri Cathedram voluntas, ardens religionis studium, et generosa virtus, qua veritatis et iustitiae iura tuenda suscepistis, vos Nobis exhibent veluti lectissimam militum aciem, belli peritam, ad pugnandum instructam, et ad ducis imperium ac nutum paratam vel inter confertissimos hostes convolare, vitamque profundere.

*Ephemeridibus impetitur Ecclesia ;*

Atque eo vel magis laetamur, quod hisce auxiliis et strenuis huius generis defensoribus tempus egere sentimus. Parta enim effreni illa quidquid libuerit in vulgus edendi libertate, quam verius licentiam dixeris, homines novarum rerum studiosi infinitam prope ephemeridum multitudinem statim disseminandam curaverunt, quae veri rectique principia impugnare aut in dubium adducere, Christi Ecclesiam calumniis impetere et in invidiam vocare, et perniciosissimas doctrinas mentibus persuadere solemne haberent.

Mature enim intellexerunt quantum utilitatis et commodi ad inita consilia perficienda capere possent ex quotidiana editione ephemeridum, quae errorum veneno sensim et paulatim animos legentium inficerent, et pravorum appetituum fomentis sensuumque illecebris corda corrumperent. — Haec autem omnia adeo feliciter iuxta eorum vota cesse-

runt, ut a vero non admodum videatur abesse quisquis malorum colluviem et miserrimam, ad quam devenimus, rerum temporumque conditionem in ephemeridum vitium magna ex parte refundat.

*eisdem defendatur oportet.*

Quapropter cum modo, ex more qui universaliter invaluit edendarum ephemeridum sit veluti inducta necessitas, catholicis scriptoribus in id maxime adlaborandum est, ut in civilis societatis medelam et Ecclesiae praesidium vertant, quod in utriusque perniciem ab hostibus usurpatur. Quamvis enim catholici scriptores iis artibus et lenociniis uti non possint, quibus adversarii frequenter utuntur, eos tamen facile possunt aequare scribendi varietate ac elegantia et diligenti recentiorum factorum narratione ; imo et vincere utilium rerum notitia, maxime autem veritate, quam animus naturaliter appetit, et cuius tanta est vis, praestantia et pulchritudo, ut cum menti apparuerit, facile vel ab invito assensum extorqueat. — Ad optatum autem exitum plurimum conferet gravis et temperans dicendi ratio, quae nimirum neque nimia aut intempestiva sermonis acerbitate legentium animos offendat, neque partium studio, aut privatorum commodis, communi bono posthabito deserviat. — Illud autem prae ceteris curandum vobis esse intelligimus, ut, sicut Apostolus monet, *idipsum dicatis omnes et non sint in vobis schismata ; sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia* (1), catholicae Ecclesiae doctrinis et placitis firmo animorum assensu adhaerentes.

*Boni certaminis conditiones.*

*Jura Pontificis ad civilem principatum vindicanda.*

Huius autem concordiae necessitas vel ex eo maior apparet quod inter ipsos viros, qui catholicis accensentur, non desunt modo qui publicas etiam gravissimi momenti controversias, ipsam Apostolicae Sedis conditionem respicientes, proprio arbitrio dirimendas et definiendas assumunt, et aliter sentire videntur, quam Romani Pontificis dignitas et libertas patiatur. — Interest idcirco quam maxime, ne qua errandi relinquatur occasio, rursus in catholicorum mentem reducere, supremam Ecclesiae potestatem, quae Petro eiusque Successoribus divinitus collata est, ut universam Christi familiam in fide contineret et ad aeternam

1. I Cor. I. 10.

coelestis regni beatitudinem adduceret, ex divina ipsius Christi institutione, plenissimam sibi libertatem vindicare: ad hanc autem potestatem libere toto orbe exercendam providissimo Dei consilio factum esse ut, post periculosa primae aetatis discrimina, civilis principatus Romanae Ecclesiae adiiceretur, eidemque longo saeculorum tractu, inter infinitas rerum vicissitudines regnorumque ruinas conservaretur. — Hac autem ratione, sane gravissima, non regni ambitu, ut saepius ediximus, non dominandi cupiditate permoti, Romani Pontifices quoties civilem hunc principatum turbari et violari senserunt, Apostolici muneris esse putarunt sacra Romanae Ecclesiae iura sarta tecta servare et pro viribus tueri: Nosque ipsi, Praedecessorum Nostrorum exempla secuti, haec eadem iura asserere et vindicare non praetermisimus, neque unquam praetermittemus.

Quapropter vos, filii dilectissimi, qui Petri Cathedrae maxime addicti ad Sedis Apostolicae causam defendendam paratissimos vos exhibetis, unanimes et voce alacres, ac scriptis sacri imperii necessitatem ad liberum spiritualis potestatis exercitium propugnare ne desinatis; atque historia duce ostendite, illud imperium tam legitimo iure fuisse constitutum ac perdurasse, ut aliud in humanis rebus maius vel aequale nemo praetendat.

*Ex hoc civili principatu multa beneficia derivata.*

Si quis autem, ut vobis multorum invidiam conciliet, civilem Ecclesiae Romanae principatum cum Italorum fortuna et regnorum prosperitate componi non posse dictitaverit, contra obiicite, nihil a Romanis Pontificibus si imperio potiantur, nil a Catholica Ecclesia, si libertate fruatur, populorum saluti et incolumitati esse timendum. Non enim Ecclesia seditiosas commovet turbas, sed continet potius et componit; non simultates aut odia fovet, sed caritate restinguit; non imperandi libidinem aut superbiam acuit, sed potius supremi iudicii severitate et coelestis Regis temperat exemplo; non civilis societatis iura invadit, sed firmat; non regnorum dominium affectat, sed Apostolici magisterii munere sibi divinitus demandato religiose perfungens ea principia integra servat, quibus omnis ordo nititur, et ex quibus pax, honestas et omnis civilis cultus efflorescit.

Ad Italos autem quod attinet, praeteritorum temporum monumenta loquuntur, Romanae Ecclesiae Pastores de alma hac Urbe et de Italorum rebus esse optime meritos ; simulque testantur nobile praecipuumque decus, quo Roma fulget, a catholica religione esse profectum : Roma namque *per sacram B. Petri Sedem caput orbis effecta*, ut S. Leo M. aiebat, *latius praesidet religione divina, quam dominatione terrena* [1]. Addite, quod omnes norunt, Romanos Pontifices litteris ac scientiis fovendis maximas curas semper impendisse ; bonas artes in suam recepisse tutelam ; aequo paternoque imperio subiectos sibi populos fortunasse — Dicite tandem publicas Italiae res neque prosperitate florere, neque diuturna tranquillitate posse consistere, nisi Romanae Sedis dignitati et summi Pontificis libertati, prout omnia iura postulant, fuerit consultum.

*22 FEBRUARII 1879.*

*Italiae et Urbi.*

Haec atque his similia, quibus religiosae et civilis societatis bono prospicitur, per vestras ephemerides in vulgos spargere et rationum momentis communire satagite : omnibus unus sit amor, una mens, Ecclesiae causam defendere et Romani Pontificatus iura propugnare. — Pro iustitia, pro religione, pro Ecclesiae libertate pugnantes multa profecto molestiarum ac laborum seges, aspera multa toleranda vos manent : cavete ne animum despondeatis, facere enim et pati fortia christianum est. Aderit rite certantibus Deus, copiosa coelestium munerum praesidia deferens.

Haec autem ut uberiora in dies vobis obveniant, Apostolicam benedictionem, Nostrae in vos benevolentiae testem, omnibus et singulis catholicarum ephemeridum scriptoribus, intimo cordis affectu impertimus.

1. Serm. I in Nat. ss. Petri et Pauli.

# ALLOCUTIO

## Ad S. E. R. Cardinales

## DE CONFIRMATIONE PATRIARCHAE BABYLONENSIS CHALDAEORUM.

*28 FEBRUARII 1879.*

AMPLISSIMI Ordinis vestri praesentia libenter hodie perfruimur, ut Vobiscum ex Praedecessorum Nostrorum instituto, de confirmatione Patriarchae Babylonensis Chaldaeorum agamus, cuius electione, viduae Sedis regimini consulendum, Episcopi Chaldaici ritus pro sua parte curaverunt.

*Pontificum sollicitudo erga ecclesias Orientis.*

Ea enim quae ad Orientales Ecclesias pertinent, Venerabiles Fratres, pro supremo eo ministerio quo ex divina institutione perfungimur, peculiari Nostra sollicitudine ac studio digna omnino putamus, quemadmodum et a Praedecessoribus Nostris omni aetate factum esse comperimus. Quorum quidem tantum fuit in Orientales Ecclesias studium, tantusque amor, ut ad Damasum scribens Basilius in ea verba eruperit: *Nos semper tempore praeterito recreavit caritatis vestrae vis admirabilis.* Noverant enim Ipsi pristinam illarum regionum nobilitatem, in quibus sol iustitiae humano generi affulsit; nec non earum Ecclesiarum veterem gloriam, quae praeclara coelestis sapientiae et admirabilis sanctitatis lumina protulerunt. Quapropter et Nos ab ipso Nostri Pontificatus exordio cum Orientis Ecclesias gravissimis procellis divexari conspexerimus, singularum necessitatibus opem afferre contendimus; et opportunam nacti occasionem, qua per Legatos praecipuorum Europae Principum de publicis Orientis rebus componendis consultaretur, non omisimus omnibus officiis agere, ut ius catholicae Religionis in iis regionibus libere exercendae publice agnosceretur et sanciretur. Quod cum feliciter obvenerit, propositum Nobis fixumque in animo est, indesinenter omnem operam dare, ut eidem iuri sua vis plene constet in omnibus, atque ita libertate et dignitate Catholicae professionis adserta, stent firmis defixa radicibus elementa illa, quibus in primis publi-

corum disciplina morum, publicae auctoritatis honor, hominum inter se caritas et benignitas, societatis ordo et omnis humanus cultus aluntur et florent.

*Spes melioris conditionis.*

Confidimus autem, Venerabiles Fratres, eos qui Othomanici Imperii res moderantur, facile intellecturos suarum rationum esse, ut quod ius et aequitas postulat, catholicis suae ditioni subditis plene et cumulate tribuant; praesertim cum recentia ac splendida omnino experimenta ceperint fidelitatis eorum, ac optimae in rempublicam voluntatis, quam adversantium calumniae in suspicionem et invidiam vocare, per summam iniuriam, conabantur.

Ita profecto continget, ut catholicae communionis gentes ex Apostolicae Sedis ministerio et curis fructus percipiant saluberrimos : catholicae autem unitatis exsortes, videntes quid intersit inter felicitatem temporum qua olim utebantur, et miseram in quam modo prolapsi sunt conditionem, prudenter consilium capiant, portum salutemque petendi in institutis maiorum, qui in Catholicae Ecclesiae communione, in obsequio huius Apostolicae Sedis suam dignitatem tuebantur, et cum gloria florebant.

*Novi Patriarchae Chaldaeorum electio confirmatur.*

Nunc autem, Venerabiles Fratres, explentes ea quae ab Apostolico Nostro Ministerio ad solandum Chaldaicae Ecclesiae luctum postulantur, Vobis commemoramus, Ecclesiam illam suo Patriarcha, elapso anno, fuisse viduatam ob interitum Venerabilis Fratris Iosephi Audo, qui a sanctae memoriae Decessore Nostro Pio IX, in Consistorio habito die 11 septembris anno 1848 in ea dignitate confirmatus, et ad eam canonice fuerat institutus. Hic Antistes, quem eximius pietatis et religionis sensus ornabat, aliquandiu tamen extremis vitae suae annis, malorum consiliorum aestu abreptus, fidelis obsequii erga hanc Apostolicam Sedem immemor fuit ; sed Apostolica Auctoritate monitus, ita ad officium rediit, ut debitam obedientiam Romano Pontifici praestans, eius causa magnas a dissidentibus suae nationis molestias christiana constantia pertulerit, et appropinquante vitae exitu supremam vocem, testem doloris quo veniam erroris sui deprecabatur, testem devotae suae voluntatis, devinctique animi huic Petri Cathedrae et Christi Vicario,

cum magna suorum omnium aedificatione reliquerit. Eo extincto, Chaldaici ritus Antistites in Synodalem Conventum, in Coenobio a B. Maria Virgine nuncupato, apud Alkosh canonice coïere, et consuetis caeremoniis servatis, Venerabilem Fratrem Petrum Eliam Abolionan Episcopum Gezirensem, die 26 Iulii anno proxime elapso Patriarcham Babylonensem Chaldaeorum suis suffragiis elegerunt, seu postularunt. De hac electione litteras accepimus, quas tum suffragatores Episcopi, tum Patriarcha electus cum professione obsequii sui erga hanc Apostolicam Romanam Ecclesiam ad Nos dederunt, postulantes ut electionem confirmare, et sacri pallii honorem electo tribuere, Apostolica Nostra Auctoritate vellemus. Spes est Nobis, Venerabiles Fratres, praedictum Venerabilem Fratrem Eliam cogitantem *tanto magis nos obnoxios fieri, quanto effusiore gratia contigerit honorari*, nihil habiturum antiquius, quam ut in eo gradu, quem obtinuit, omnes boni Pastoris partes expleat, et Chaldaicae Ecclesiae incolumitati ac incremento operam suam strenue et salutariter navet. Hac spe erecti, et rebus omnibus per Nostram Congregationem fidei propagandae Orientalium Ecclesiarum negotiis praepositam, accurate expensis et probatis, de ipsius Congregationis sententia ipsum Venerabilem Fratrem Petrum Eliam in Patriarcham Babylonensem Chaldaicae Ecclesiae confirmandum, Eique pallium, de Beati Petri corpore sumptum, hodie annuendum censuimus.

Auctoritate itaque Omnipotentis Dei, Sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, confirmamus et approbamus electionem seu postulationem a Venerabilibus Fratribus Episcopis Chaldaici ritus factam de persona Venerabilis Fratris Petri Eliae Abolionan, Eum praeficientes in Patriarcham et Pastorem Patriarchalis Ecclesiae Babylonensis Chaldaeorum, prout in decreto et schedula Consistorialibus exprimetur ; contrariis quibuscumque non obstantibus.

# EPISTOLA

## Ad Cardinalem vicarium Monaco La Valletta

## DE SCHOLIS URBIS.

NEL giugno dell'anno scorso Ci fu d'uopo scriverle sul gravissimo pericolo che corre la fede e la morale del Nostro popolo di Roma per le molteplici vie aperte all'incredulità ed al vizio ; tra le quali lamentammo allora come funestissima quella che dalle pubbliche scuole fosse stato escluso, quasi del tutto, l'insegnamento del *catechismo*. Ora sentiamo il dovere di scriverle nuovamente sopra di un argomento connesso strettamente col primo, e anche esso della più alta importanza, vogliamo dire *le scuole di Roma*.

*25 MARTII 1879.*

È ben nota per dolorosa esperienza che, nella guerra ora mossa alla Chiesa, i nemici prendono specialmente di mira la gioventù, col manifesto intendimento di formare le crescenti generazioni a seconda dei proprii disegni e di guadagnarle per tempo alla loro causa. Negato perciò alla Chiesa ogni potere nel governo della pubblica cosa, e concessi eguali dirritti ad ogni sorta di religione e di culto, si volle sottrarre anche la publicca istruzione alla vigilanza e all'autorità della Chiesa, che d'ogni sapere fu sempre altrice e maestra ; et si diede dovunque libero accesso a qualsivoglia insegnamento, fosse pure ateo o infetto di eresia.

*Ecclesiae hostes iuventutem praesertim aggrediuntur ;*

Ella ben sa, Signor Cardinale, che questa maniera d'istruire la gioventù fuori del benefico influsso della Chiesa fu introdotta anche negli Stati della S. Sede, man mano che furono tolti al legittimo regime del Pontefice ; anzi, senza tener conto alcuno delle specialissime condizioni e del carattere singolare che Roma riveste agli occhi di tutti, per essere la Sede del Vicario di Cristo e il centro del Cattolicismo, anche qui fu aperta all'errore la porta della più ampia libertà. Onde avvenne che dentro queste auguste mura, ove prima altro insegnamento non si a apprestava che quello purissimo voluto dalla Chiesa, ora invece nelle

*Romae centrum posuerunt heterodoxae propagationis in Italia peragendae.*

pubbliche scuole è tollerato appena per qualche ora il catechismo cattolico : in quelle poi, aperte e tenute da'protestanti, le tenere menti de'giovanetti e delle giovanette sono imbevute di ree dottrine, conforme allo spirito eterodosso di chi le insegna. Giacchè per molti fatti ben noti chiaramente si rivela il disegno, concepito dai nemici della Cattolica Religione, di diffondere largamente in Roma i falsi principii del Protestantesimo ; e profittando della libertà dalle leggi concessa, rivolgere specialmente contro di Roma gli sforzi che si usano finora nelle diverse città della penisola, e qui stabilire come il centro della propaganda eterodossa in Italia, sotto gl'influssi e cogli aiuti potenti, che loro vengono dal di fuori. Questo disegno si vuol mandare ad effetto specialmente nelle scuole e per le scuole ; le quali perciò, anzichè scemare col tempo, vanno crescendo di anno in anno per l'opera e coll'oro degli stranieri che qua venuti ne aprono spesso delle nuove, tentando con ogni arte di attirarvi numerosa la gioventù. Perciò a quelli che più sentono gli stimoli e le distrette dell'indigenza, si offrono larghi sussidii pecuniarii, e si agevola il modo di sopperire ai molteplici bisogni della vita : cogli altri si largheggia di promesse, di premii, di lusinghe e di allettamenti d'ogni maniera. — Nè possiamo tacere che con singolare impudenza si giunse tant'oltre da aprire scuole accattoliche anche sotto gli stessi occhi Nostri, fin presso alle porte del Vaticano, Sede veneranda dei Romani Pontefici. — Al contrario, mentre tanta licenziosa libertà si concede alle scuole eterodosse, per vie oblique, ma sommamente efficaci, si tenta d'impedire l'incremento e lo sviluppo delle scuole cattoliche. Non mancano infatti all'uopo sinistre insinuazioni contro di esse,nè speciali rigori, nè minaccie per distogliere i genitori dall'affidare i loro figli a'maestri sinceramente cristiani.

Non Ci fermeremo, Signor Cardinale, a dimostrare quanto sia contraria anche alla pubblica prosperità e al comune vantaggio un' istruzione qual si vuole al presente, non informata allo spirito del Cristianesimo. Giacchè ognun vede a quali estremi sarà condotta la società, lasciando che in mezzo ad essa cresca una generazione sfornita di cristiani

insegnamenti, disamorata alle pratiche di religione, senza fermi principii di morale. I lacrimevoli saggî, che già se ne hanno, fanno anche più sinistramente presagire dell' avvenire.

*25 MARTII 1879.*

Solamente vogliamo osservare quanto male, anche per questa parte, siasi provveduto alla dignità e alla libertà del Romano Pontefice, dopo che gli fu tolto il dominio dei suoi Stati. — Infatti la Nostra condizione, quale risulta dalla serie dolorosa de' fatti che sopra toccammo, è tale che siamo perfino costretti a vedere l'errore, sotto la tutela delle pubbliche leggi, libero di innalzar qui la sua cattedra, senza che Ci sia consentito l'uso dei mezzi efficaci per farlo tacere. — Ora è facile comprendere quanto sia cosa indegna che la Città, ove ha sede il Vicario di Gesù Cristo, sia impunemente contaminata dall'eresia, e addivenga, come ai tempi pagani, il ricetto degli errori, l'asilo delle sètte. Ogni ragion persuade che nella santa Città, consacrata dal sangue dei Principi degli Apostoli e di tanti Eroi del Cristianesimo, celebrata fin dai tempi Apostolici per la sua fede, e dalla quale, come da centro, si ha da spandere la vita, la luce della verità e dell'esempio in tutto il mondo, deve regnare sovrana e maestra la Religione di Cristo ; e il Dottore universale della fede, il Vindice della cristiana morale deve avere il libero potere di chiudervi l'accesso all' empietà e di mantenervi la purezza dei cattolici insegnamenti. — Anche i fedeli, che da ogni parte della terra traggono pellegrinando a Roma, a buon dritto si attendono di non trovare nella Città del loro Capo Supremo altro che conforto alla loro fede, pascolo alla loro pietà e splendidi esempi da imitare. Debbono quindi rimanere altamente amareggiati ed indignati al vedere invece serpeggiare in essa l'errore e dilatarsi con immensa rovina delle anime.

*Quam opposita sit haec rerum conditio decori et libertati Pontificis.*

Facilmente s' intende, Signor Cardinale, quanto torni amaro al Nostro cuore un attentato così insidioso alla fede di Roma, e come ci sia impossibile di rassegnarci ad uno stato di cose così contrario al sentimento della Nostra dignità, e così inconciliabile coi diritti e coi doveri sacrosanti del supremo Nostro potere.

*Malograssanti obstacula obiicienda.*

Intanto in mezzo alle gravissime difficoltà, onde siamo circondati, a Noi altro non resta se non rivolgere le Nostre speciali sollecitudini a mitigare almeno l'asprezza del male, e ad impedire, per quanto è possibile, che più si diffonda.

*Instituitur commissio Praelatorum et Optimatum quae scholarum Urbis regimen et vigilantiam suscipiat.*

Dopo mature riflessioni pertanto, senza nulla innovare intorno agl' Istituti retti dalla Sacra Congregazione degli Studii, siamo venuti nella risoluzione di nominare una Commissione di Prelati e di Signori del Patriziato Romano, la quale di tutte le scuole cattoliche da Noi dipendenti tanto elementari, quanto quelle nelle quali s' imparte l' istruzione primaria, assuma in Roma l'alta direzione e vigilanza, lasciando bensì le persone e gl' Istituti che attualmente le reggono; e sia come il centro comune, da cui, per quanto lo permettano le condizioni presenti, tutte abbiano a ricevere unità ed incremento. — La Commissione che Noi nominiamo è così costituita: *Presidente*, Monsig. GIULIO LENTI Arcivescovo di Sida, Vicegerente di Roma; *Membri*, Monsig. FRANCESCO RICCI PARACCIANI, Nostro Magiordomo, Monsig. CARLO LAURENZI Vescovo di Amata i. p. i., Monsig. PIETRO CROSTAROSA, Marchese GIOVANNI PATRIZI MONTORO, CAMILLO de' Principi ROSPIGLIOSI, PIETRO ALDOBRANDINI Principe di Sarsina; *Segretario*, Canonico D. AUGUSTO GUIDI.

Questa Commissione, penetrandosi delle molte e gravi difficoltà che dovrà affrontare, avrà a speciale suo compito procacciarsi una cognizione esatta dello stato delle nominate scuole nei diversi Rioni di Roma; indagare se per numero e per ampiezza corrispondono ai bisogni e alla moltitudine dei giovanetti dell' uno e dell'altro sesso che si presentano per ricevervi l'insegnamento; vedere quali potrebbero ampliarsi e dove aprirsene delle nuove; infine che le scuole sieno affidate a maestri idonei, i quali alla sperimentata bontà della vita congiungano l'abilità e i requisiti necessarii ad esercitare con vero profitto il magistero. I membri componenti la Commissione, oltre le adunanze ordinarie che terranno frequentemente d'innanzi al Presidente per ben intendersi fra loro, e consultare sopra quello che sia da fare,

si riuniranno altresì alcune volte entro l'anno davanti a Lei, Signor Cardinale, perchè anche col suo consiglio e colla sua autorità siano adottate le disposizioni più opportune a vincere gli ostacoli e provvedere ai bisogni.

*25 MARTII 1879.*

*Quaerenda subsidia congruentia.*

Siccome però questa lotta dell' errore contro la verità è sostenuta principalmente dall'oro che si profonde largamente in mezzo ad un popolo ridotto a poco floride condizioni di fortuna ; così il buon esito dell'impresa dipende grandemente dall'avere alla mano mezzi pecuniarii in gran copia. Quindi Noi Ci proponiamo di concorrere con ogni larghezza ed annualmente del Nostro privato peculio a questo rilevantissimo fine : e poichè alla conservazione della fede in Roma sono collegati gl' interessi di tutto il mondo cattolico ; intendiamo che a far prosperare le Nostre scuole contribuisca anche l' obolo di s. Pietro, per quella parte che i bisogni della Chiesa Cel consentiranno. — Malgrado ciò, Ci sarà anche necessario il concorso speciale di quanti, schiettamente cattolici, (e nella Città di Roma, la Dio mercè, sono ancora assai numerosi) hanno a cuore il bene della religione e la gloria di Dio. — Sappiamo già che nobilissime ed illustri famiglie del patriziato Romano, con grande loro merito presso Dio, e con onore tanto maggiore, quanto più gravi sono le difficoltà contro le quali debbono continuamente lottare, fondarono e mantengono del proprio alcune scuole, dove i giovanetti dei due sessi ricevono la cultura letteraria corrispondente al loro stato, e vengono insieme ammaestrati nel catechismo cattolico, e nella pratica delle virtù cristiane. Ora anime sì generose, e quante altre ve ne sono mosse da buono spirito, cui la Provvidenza fece più larga copia delle dovizie terrene, al conoscere il bisogno che vi è, di provvedere alla gioventù scuole cristiane, non possono non aspirare alla gloria di fornirci i mezzi necessarii a mantenerle!

*Postulatur cleri Romani auxilium.*

Nè in questa gloria si lascerà vincere da altri il Clero Romano. Il Sacerdozio cattolico andò sempre innanzi in ogni impresa che tornasse ad onore di Dio e a profitto delle anime ; e le gloriose tradizioni del Clero di Roma attestano chiaramente quanto bene anch'esso abbia sempre compreso

la sublime missione. — Già i Capitoli delle Basiliche Patriarcali hanno messo in Nostre mani ciascuno la propria offerta; e non dubitiamo che il loro esempio muoverà anche gli altri a fare il medesimo. Simili offerte Noi le destiniamo esclusivamente a questo altissimo scopo, degno veramente del Nostro Clero, di provvedere cioè al popolo di Roma insieme alla letteraria istruzione, quella educazione cristiana, che è seme fecondo anche di civiltà e di sociale benessere.

Che se non tutti possono largheggiare di danaro, possono però prestare l'opera loro, sia richiamando alla memoria dei genitori il gravissimo dovere che hanno di allevare cristianamente la prole e di tenerla lontana da tutto ciò che può recar detrimento alla loro fede; sia esercitando essi stessi nelle scuole il magistero; sia insegnando il catechismo e spezzando ai pargoli il pane della divina parola.

Per tal modo i Romani si mostreranno degni di sè, ed avranno anche la gloria di emulare lo zelo e la generosità dei cattolici di altri paesi di Europa, i quali gelosi dell'avita lor fede danno al mondo splendidi esempii di disinteresse e di sacrificio, affine di veder conservata nelle loro scuole l'educazione cristiana.

Anche Ella, Signor Cardinale, che tanta e cosi solerte attività spiega per la salute delle anime, non cessi di esortar tutti che si adoperino con fermezza di propositi, con alacrità e generosità di animo per raggiungere il fine propostoci; poichè i giorni che corrono sono cattivi ([1]), e non dobbiamo lasciarci sopraffare dal male, ma vincere piuttosto il male per mezzo del bene ([2]).

Ed ora chiudendo la Nostra lettera innalziamo gli occhi a Dio supplicandolo per l'intercessione della Vergine Immacolata, e dei SS. Apostoli Pietro et Paolo a dare compimento ai Nostri voti, a rammentarsi della Città Santa dove sorge la Cattedra del suo Vicario, e disporre per essa giorni migliori. E nutriamo la certa speranza che, mercè l'aiuto del cielo e per lo zelo operoso di tutti i buoni, andranno a

1. Eph. v, 16. — 2. Rom. xii. 21.

vuoto gli sforzi nemici, e Roma conserverà sempre il prezioso tesoro della sua fede. *25 MARTII 1879.*

Auspice intanto dei favori celesti, a Lei, Signor Cardinale, ai membri della Commissione, e a tutti i fedeli di Roma impartiamo l' apostolica benedizione.

Dal Vaticano 25 marzo 1879.

LEONE PP. XIII.

# ALLOCUTIO

## Ad S. R. E. Cardinales

## DE COMPOSITIS REBUS CHALDAEORUM, SYRORUM, ARMENORUM.

*12 MAII 1879.*

DIVES in misericordia Deus, qui ita res humanas temperat ut laeta moestis, iucunda acerbis admisceat, dignatus est humilitatem Nostram, communium aerumnarum cogitatione tristem, quibusdam recreare solatiis, ex eo potissimum tempore quod post allocutionem quam novissime ad Vos habuimus, effluxit.

Profecto haud excidit e mentibus Vestris eorum recordatio, quae tunc a Nobis dicta sunt, quum Venerabilis Fratris Patriarchae Babylonensis Chaldaeorum electionem seu postulationem confirmavimus, spem expromentes fore ut ii, qui Othomanici Imperii res moderantur, facile inducerent animum ut catholicis suæ ditionis subditis plene et cumulate tribuerent, quod ius et aequitas postularet. Iamvero quod spe et votis prosequebamur, id benignitate faventis Dei, et iustitia supremi Principis qui illi praeest Imperio feliciter evenisse gratulamur.

*Novus Chaldaeorum Patriarcha civili diplomate munitus.*

Ac primum ipse, quem memoravimus, Patriarcha Babylonensis Chaldaeorum rite electus et a Nobis confirmatus, civili Diplomate, uti mos est, communitus fuit, quo tamquam caput Chaldaicae gentis publice agnitum, liberum adeptus est exercitium iurium omnium et praerogativarum, quibus Praedecessores eius pro sua dignitate potiti et usi fuerant.

*Schismatici ad obedientiam reversi.*

Quod prospere gestum alia laetiora sequuta sunt; ille enim qui illegitimo tramite ad episcopalem sedem Zachuensem pervenerat, et paulo post patriarchalem dignitatem affectaverat, aliique ex monachis et ecclesiasticis viris, qui socii defectionis eius fuerant, et humili declaratione sese huic Apostolicae Sedi subiicientes, pristinum errorum multa cum laude emendarunt. Ex quo Nobis spes affulget extinctum penitus ac deletum iri schisma luctuosum, quod catholicos Chaldaeos, Mesopotamiam incolentes,dudum afflixerat.

Quum porro ob eam rem singulari animi lætitia merito afficeremur, aliam Nobis gaudii causam attulit, finis quaestionis asperrimae, quae inter Iacobitas haereticos et catholicos Mausilienses Syriaci ritus exarserat. Novistis enim, Venerabiles Fratres, haereticos illos in rem suam vertentes brevem quandam dissensionem, inter Patriarcham catholicum Syrorum et civile Gubernium exortam, armata vi repente ecclesias invasisse, quæ iampridem pacata possessione a catholicis tenebantur, ac iustis deinde et assiduis istorum expostulationibus, potentiorum quorumdam opibus et gratia fretos, pertinaciter restitisse. Nuper tamen quum iustitiae vocibus ad imperialem aulam facilis patuisset aditus, eiusque rei iudicatio permissa esset arbitratui virorum nobilium, qui pro Gallico et Britannico Gubernio apud supremum Othomanici imperii Principem legatione funguntur, aequissima lata est sententia, quae catholicorum iuri, uti par erat, satisfecit. Cuius victoriae gratulatio ideo Nobis iucundior accidit, quod plures Iacobitarum familiae, quae Mardenium accolunt, ad antiquam maiorum fidem reversae fuerint, aliaeque multae haud obscuris protendant indiciis se illarum exemplum imitaturas.

*Finis quaestionis inter Iacobitas haereticos et catholicos Mausilienses.*

Sed quamvis ea quae diximus pergrata Nobis obvenerint, praecipuum tamen solatii fructum cepimus ex optatissima rerum conversione, quae in Armeniorum gente facta est. Nolumus quidem, Venerabiles Fratres, huiusce eventus laetitiae quidquam detrahere, ea recolentes, quae plerique ex Armeniis catholicis, cum egregiis Pastoribus suis, huic Cathedrae veritatis adhaerentes, per novem annos fortiter perpessi sunt, eorum fraude et invidia, qui officii immemores a catholica unitate desciverunt. Hi namque calumniis fratres innocentes aggressi, falsam hanc opinionem eorum animis, qui reipublicae praeerant, ingerere conati sunt; scilicet huius Apostolicae Sedis auctoritatem et magisterium debitam politicae potestati fidelitatem imminuere, cives Othomanico subiectos imperio a sui Principis obsequio avertere et ad exteri Principis obedientiam transferre ; atque adeo ipsis gentium iuribus et prosperitati adversari. — Quo nihil magis et absonum et a veritate alienum ; Christi enim

*Optatissima rerum conversio in Armeniorum gente.*

Ecclesia aeternam animarum salutem unice spectans, hanc supernaturalibus praesidiis quibus divinitus instructa est, ubique provehere nititur ac tueri. Non tamen idcirco civilis societatis rationem aut ordinem perturbat, neque terrenorum principum auctoritatem infirmat: quin imo Apostolicis verbis edocta, sublimioribus potestatibus omnem animam iubet esse subiectam, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam ;* exploratumque est populos tanto fideliores Principibus suis existere, quanto magis incorruptam fidem, Ecclesia duce ac magistra, Deo servare assueverint. — Docet insuper ratio et testatur historia, communia vincula, queis unius gentis homines invicem iunguntur, catholica religione firmari et solidari : ex quo publica regnorum tranquillitas et alia magni momenti commoda,quae ex ea solent derivare, quam maxime vigent atque proficiunt.

Verum in iis refellendis mendaciis, quae luctuoso dissidii tempore simultas et odium gignebant, immorari non iuvat, quum huius agendi loquendique rationis eos ipsos poenituerit, qui commentis et calumniis defectionem suam tueri nitebantur. Namque ex is non defuerunt, qui ad meliorem frugem reversi et quae male gesserant detestati, facto suo luculenter professi sunt, veritatem, iustitiam, felicitatem solidam in materno Ecclesiae gremio esse quærendam. Quare obducto caritatis velamine iis quae perperam dicta vel acta fuerunt, gestire potius cum coelesti Patrefamilias Nos decet, quod ii qui mortui fuerant revixerint, et qui perierant inventi sint. — Inter eos porro qui reversione sua gaudium Nostrum cumularunt, illum imprimis commendatum volumus, quem ducem et caput secessionis ii qui defecerant constituerunt ; magni enim fortisque animi nobile ac arduum praebens exemplum, lapsum se palam fateri non erubuit, honores et officia non iure quaesita sponte abdicavit, errorem suum salutari poenitentia curavit expiandum ; tum ita actus moresque composuit, ut sincerae conversionis aperta praeferret indicia; ad Nos demum accedens subiectionis et obedientiae illustria exhibuit argumenta. Quare et clementer agendum cum eo duximus, et praeter usitatum disciplinae ecclesiasticae morem eidem indulgendum puta-

vimus ut episcopalibus insignibus ornatus incederet. — Faxit Deus ut caeteri omnes, qui transfugam in defectione infausta sunt sequuti, ad castra Israel ultro redeuntem quantocius imitentur.

*12 MAII 1879.*

Interea vero dum ea spe nitimur, gratulandum Nobis est quod diuturno certamine consopito, catholicus Armeniorum coetus eiusque Patriarcha legitimus, pacem nacti cum dignitate, in possessionem iurium suorum ab Imperiali Gubernio Othomanico fuerint restituti. Qua de re meritas eidem Gubernio laudes conferimus, quod, agnitis semel adversariorum calumniis, ea libenter catholicis tribuerit, quae ipsorum ius et aequi Imperantis officium flagitabant. Hoc enim facto manifesto significavit, certum sibi ac destinatum esse, omnia fideliter exequi quae de libero catholici cultus exercitio in Othomanica ditione tuendo, in publicis pactis conventis cum potentissimis Europae gentibus anno superiore cauta et constituta fuerunt.

Pro his itaque, Venerabiles Fratres, quae feliciter evenerunt, immortali bonorum omnium Largitori Deo maximae agendae sunt gratiae, ab eoque suppliciter expetendum, ut eadem rata firmaque esse iubeat, novisque in dies provehat incrementis.

Haec habuimus quae Vobis hodierna die de Orientalium Ecclesiarum rebus breviter diceremus.

*Cardinalium creatio.*

Nunc vero gratum est Nobis, Venerabiles Fratres, publicam exhibere significationem Nostrae dilectionis et studii erga amplissimum Ordinem Vestrum, quem ab initio Nostri Pontificatus carissimum Nobis esse, ac praecipua semper in existimatione apud Nos fore declaravimus. Praeclarissimos enim et probatissimos viros hodie in Collegium Vestrum adlegere constituimus, quorum alii magna praestantia zeli, consilii, solertiae in pastoralibus muneribus gerendis, in animarum salute curanda, ac in Ecclesiae doctrina et iuribus tum publicis scriptis, tum verbi ministerio tuendis ; alii magna commendatione scientiae et illustri fama, quam sive in docendi munere, sive nobilibus editis ingenii sui monumentis adepti sunt ; omnes demum immota fide erga hanc Apostolicam Sedem, exantlatis pro Ecclesia laboribus, et

egregiis meritis sacerdotalis virtutis et constantiae, multis argumentis spectatae et cognitae, sese dignos omnino exhibuerunt, ut sublimis honoris Vestri titulo et insignibus honestarentur. — Hi sunt :

FRIDERICUS LANTGRAVIUS DE FURSTENBERG, Archiepiscopus Olomucensis

JULIANUS FLORIANUS DESPREZ Archiepiscopus Tolosanus et Narbonnensis

LUDOVICUS HAYNALD, Archiepiscopus Colocensis et Bacsiensis

LUDOVICUS FRANCISCUS PIE, Episcopus Pictaviensis

AMERICUS FERREIRA DOS SANTOS SILVA, Episcopus Portugalliensis

CAJETANUS ALIMONDA, Episcopus Albinganensis

JOANNES NEWMAN, Presbyter Philippianus e Congregatione Londinensi

JOSEPHUS HERGENROTHER, Antistes Pontificiae Nostrae domus, Doctor in Academia Herbipolensi

THOMAS ZIGLIARA, Sodalis Ordinis Dominicani, Rector Collegii s. Thomae Aquinatis de Urbe.

Horum autem in numerum adiicimus etiam germanum Fratrem Nostrum JOSEPHUM PECCI, Bibliothecae Nostrae Vaticanae vicario munere Praefectum, de quo hoc unum dicemus, Venerabiles Fratres, eum diuturno litterarum ac severiorum disciplinarum magisterio perfunctum, Nobisque intimo affectu devinctum pari a Nobis caritate diligi ; eius vero electionis Vos, honestissimo iudicio Vestro, concordibus atque humanissimis in ipsum studiis participes extitisse ; de quo propterea, ut par esse intelligimus, gratum Vobis animum profitemur.

Quid Vobis videtur ?

Auctoritate itaque Omnipotentis Dei, Sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra creamus Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteros Cardinales

FRIDERICUM LANTGRAVIUM DE FURSTENBERG
JULIANUM FLORIANUM DESPREZ
LUDOVICUM HAYNALD

LUDOVICUM FRANCISCUM PIE *12 MAII 1879.*
AMERICUM FERREIRA DOS SANTOS SILVA
CAJETANUM ALIMONDA

Diaconos vero

JOSEPHUM PECCI
JOANNEM NEWMAN
JOSEPHUM HERGENROTHER
THOMAM ZIGLIARA.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

# EPISTOLA

## Ad Episc. provinc. Taurin., Vercellen., Genuen.

## DE INIQUA LEGE CIVILIS MATRIMONII.

*I JUNII 1879.*

Ci siamo grandemente compiaciuti della vostra pastorale sollecitudine, o Venerabili Fratelli, nel prendere alacremente la difesa del matrimonio cristiano, or che viene minacciato da un nuovo sfregio con la promulgazione d'un penale interdetto contro la religiosa celebrazione del medesimo. — Ben ricordiamo come Voi stessi, e generalmente tutto l'Episcopato italiano, sentitamente protestaste anche in passato, contro proposte di simil fatta che andavano a ferire la dignità e la libertà del connubio cristiano. Ma ora Voi raddoppiando gli sforzi per iscongiurare dalla cattolica Italia questa nuova sciagura, rinnovaste le vostre rimostranze ed autorevoli richiami : e quantunque questi non abbiano avuto sin qui altro effetto ed altro onore che quello di un'arida menzione, condannati poi all'archivio senza lettura e senza esame ; non è per questo men degna di essere da Noi commendata l'opera vostra per avere opportunamente proclamata la verità cattolica al cospetto anche di quelli che, decisi di battere la via dell'errore ad ogni costo, schifano la voce amica che alla verità li richiama.

*Matrimonium quoad substantiam actus est sacer et religiosus.*

Del resto ben a ragione, o Venerabili Fratelli, lamentavate come funesta alla religione e alla morale una riforma di tal fata, che dopo aver tolto ogni valore giuridico al cristiano matrimonio, ne inceppa la celebrazione e la sottopone con penali sanzioni alle esigenze di un procedimento civile. Conviene sconoscere i principii fondamentali del Cristianesimo, e diremo anche le nozioni elementari del naturale diritto, per affermare che il matrimonio sia una creazione dello Stato, e niente più che un volgare contratto e un sociale consorzio, tutto di ragione civile. La connubiale unione non è opera o invenzione dell'uomo : Iddio stesso, supremo Autore della natura, sin dalle prime con detta

unione ordinò la propagazione del genere umano e la costituzione della famiglia : e nella legge di grazia, la volle di più nobilitare con imprimerle il divino suggello del Sacramento. Ondechè il matrimonio per giure cristiano, in quanto concerne la sostanza e santità del vincolo, è un atto essenzialmente sacro e religioso, il cui ordinamento naturalmente appartiene alla potestà religiosa, non per delegazione dello Stato, o per assenso di Principi, ma per mandato del divin Fondatore del Cristianesimo e Autore dei Sacramenti.

Voi ben sapete peraltro, o Venerabili Fratelli, come per coonestare le intrusioni del potere civile nella legislazione cristiana del matrimonio, pongasi in campo, qual portato del moderno progresso, il concetto della dissociazione del contratto dal Sacramento; sicchè consideratolo isolatamente come contratto, lo si vuole in tutto assoggettare alla signoria dello Stato, lasciando alla Chiesa la sola ingerenza di una rituale benedizione. Ad accreditar poi simile teoria si ricorre all'autorità di codici stranieri, e al fatto di qualche nazione cattolica, presso cui il matrimonio è oggidi governato da una legislazione al tutto civile e laicale.

*In matrimonio ratio contractus a ratione sacramenti separari nequit.*

Ma checchè dicano giuristi acattolici o ligii all'autocrazia dello Stato, egli è certo che la coscienza di quanti sono sinceramente cattolici non può accogliere questa dottrina come base d'una legislazione cristiana sul matrimonio, per la ragione che fondasi sopra un errore dommatico più volte condannato dalla Chiesa, quale è quello di ridurre il Sacramento ad una estrinseca ceremonia e alla condizione di un semplice rito ; dottrina che sovverte l'essenziale concetto del matrimonio cristiano, nel quale il vincolo connubiale santificato dalla religione, s'indentifica col Sacramento e costituisce inseparabilmente con esso un solo soggetto ed una sola realità. Perlocchè dissacrare il connubio in mezzo ad una società cristiana val quanto degradarlo, fare onta alla fede religiosa dei sudditi, ed ordire un funesto inganno alle loro coscienze, essendochè la sola legalità dell'atto civile senza il Sacramento non valga, nè possa valere, ad onestare le loro unioni e felicitare le loro famiglie. — Nè monta

l'esempio di quelle nazioni cattoliche che travagliate già profondamente da fiere lotte e da sconvolgimenti sociali, si videro astrette a subire una riforma di tal tempra, o ispirata da dottrine ed influenze eterodosse o stabilita dalla prepotenza degl' imperanti; la quale riforma peraltro, oltr' essere stata ivi feconda di amarissimi frutti, non ebbe mai pacifico possesso, ma fu constantemente disapprovata dalla coscienza degli onesti cattolici e dal legittimo magistero della Chiesa.

*Dum Ecclesia ius suum in substantiam matrimonii vindicat, auctoritati saeculari relinquit definitionem effectuum civilium.*

E qui mette bene notare quanto immeritamente viene incolpata la Chiesa di voler esercitare un'azione invasiva in fatto di legislazione matrimoniale a danno, come dicono, delle prerogative dello Stato e della politica autorità. La Chiesa interviene a tutelare solamente ciò che è sotto l'impero del gius divino, e che a lei inalienabilmente fu commesso, cioè la santità del vincolo e le religiose attinenze che gli sono proprie.— Niuno poi contende allo Stato quelle parti che possono competergli per ordinare temporalmente il matrimonio al ben comune, e per regolarne secondo giustizia gli effetti civili. Ma non così quando esso, entrando nel santuario della religione e della coscienza, si fa arbitro e riformatore delle intime attinenze d'un vincolo augusto che Iddio da se stesso ordinò, e che le potestà del secolo come non possono annodare così non possono sciogliere nè immutare giamai.

*Matrimonii civilis constitutio iniuriosa religioni et sacerdotio, libertati conscientiae et moralitati publicae.*

Laonde ben comprendete, o Venerabili Fratelli, qual giudizio può farsi di uno Stato cattolico che, messi da banda i santi principii e le sapienti discipline del giure cristiano sul matrimonio, si pone nel triste impegno di creare una moralità connubiale tutta sua, d'indole affatto umana, sotto forme e guarentigie meramente forensi; e di poi per quanto è da lui, coattivamente la impone alle coscienze dei sudditi, sostituendola a quella religiosa e sacramentale, senza la quale il coniugio fra cristiani non può essere nè lecito, nè onorato, nè stabile. Vi confessiamo, o Venerabili Fratelli, che non poco Ci accuora il vedere che questa è la sorte preparata dagli odierni reggitori alla cattolica Italia, e che in questa Metropoli stessa del Cattolicismo si va ora maturando l'ingiurioso e infausto disegno.

Riguardato difatti in sè stesso e nelle sue conseguenze un tale disegno, pur troppo s'appalesa ingiurioso ed infausto sia alla religione e al Sacerdozio, sia alla libertà delle coscienze ed alla publica morale. Imperocchè lo Stato invadendo audacemente il campo religioso, e disponendo di materia non sua, tien conto del Sacramento solamente per vincolarne l'esercizio, e sottoporlo all'impero del Codice e alle esigenze d'un formalismo forense. Anzi dal Sacramento trae un titolo di reità per colpire il sacro Ministro e i contraenti con pene pecuniarie ed afflittive; riguarda come illegittima e di niun valore, quantunque benedetta da Dio, la unione sacramentale, se non è preceduta dalla formalita civile; volge ingiustamente a colpa della Chiesa e del Clero ció che è effetto naturale dell'istituzione e delle religiose convinzioni del popolo italiano, l'infrequenza cioé delle civili celebrazioni e la noncuranza del legale procedimento. E per non dire altro, impedisce al sacro Ministro, anche quando il dovere glielo impone, di provvedere prontamente ed opportunamente in supremi frangenti con la sacramentale celebrazione alla riconciliazione di angustiate coscienze, ed alla pace e all'onore compromesso delle famiglie. — E in riguardo poi ai sudditi, vincola indebitamente la loro fede e libertà religiosa col divieto di usare al Sacramento se non dipendentemente dallo Stato; impone alle loro coscienze pel coniugale consorzio e per la creazione della famiglia la sola moralità del Codice, che innanzi a Dio e alla religione non li giustifica; e nel medesimo tempo lascia libero il vizioso concubinato, sicchè possa impunemente dilatarsi e signoreggiare in mezzo al civile consorzio (come dimostrano le statistiche), eludendo i doveri cristiani e le prescrizioni stesse del Codice: e quel che è sommamente periglioso, mette in mano un'arma legale ad uomini frodolenti per tradire la coscienza di timorate fanciulle e di onesti genitori con rifiutarsi dopo l'atto civile alla religiosa celebrazione.

*1 Junii 1879.*

Dal che, o Venerabili Fratelli, sorge naturale il dubbio, che l'odierna riforma contro il matrimonio religioso sia dettata, più che da sentimenti di ordine e di rettitudine sociale, dal proposito di recare nuove tribolazioni alla

*Ex quibus principiis oriantur iniquae leges matrimonii christiani libertatem impedientes.*

Chiesa ed al Clero, e di accrescere incentivi di perversione al popolo italiano. E il dubbio pur troppo si avvalora, se si osservi come la detta riforma vada a colpire di maggior pena il sacro Ministro, che non i principali trasgressori, lasciando pure a questi uno scampo per esimersi, entro un termine, dalle'azione penale, ma non così al sacro Ministro: e se inoltre si ponga mente agli ignobili commenti e alle irreligiose declamazioni, onde si volle innanzi al publico accreditare la riforma stessa, non senza offesa e cordoglio d'ogni cuore cattolico. Poichè si osò dire senza ambagi — Che la morale sociale non è la morale religiosa, ed il legislatore civile non deve farla da moralista; Che lo Stato non guarda a Sacramenti, nè si perita di punire anche un Sacramento per sostenere le sue instituzioni: Che la presente riforma è una rappresaglia contro la Chiesa, perchè condamna come iniqua la legge civile che disconose il carattere religioso del sacramento: Che il Sacramento del matrimonio è una unione simulata, è un concubinato che offende la lege sociale. — Voi ben vedete, o Venerabili Fratelli, dopo siffatte manifestazioni, da quali principii è ispirata, ed a qual termine intenda la proposta riforma!

*Fideles ab erroribus praemuniendi, veritas inculcanda; accusationes redarguendae.*

Preghiamo perciò di tutto cuore l'Altissimo che Ci risparmi l'angoscia di vedere spargere nella vigna evangelica questa nuova semenza, la quale non può recare che frutti perniciosi alla fede ed alla domestica e publica morale, e sarà pure una sorgente di nuove offensioni e violenze a danno dei sacri Ministri. — In pari tempo non desistiamo, o Venerabili Fratelli, di premunire i fedeli con opportune esortazioni sulla grande verità cattolica, che l'origine e santificazione delle nozze è da Dio, e che fuori delle forme da Dio e dalla Chiesa stabilite non v'è onestà è santità di vincolo, nè grazia di Sacramento. — Ad ismentire poi le speciose accuse che oggi si vanno lanciando contro la Chiesa ed il Clero, facendoli credere sistematicamente ostili a quelli ordinamenti che regolano il matrimonio nelle sue civili attinenze, non abbiamo che a ricordare le sapienti istruzioni con cui la Chiesa stessa, posta in salvo l'integrità del domma e la dignità del Sacramento, lascia che i fedeli, di

fronte a siffatte legislazioni, fruiscano dei sociali vantaggi che da quelle discendono. Queste istruzioni Voi ben le conoscette, o Venerabili Fratelli, da moltissimi atti della Sede Apostolica, e segnatamente dal Breve di Benedetto XIV ai Vescovi di Olanda *Redditae sunt*, del 17 Settembre 1746; dal Breve di Pio VI al Vescovo di Luçon del 28 Maggio 1793; dall'Enciclica di Pio VII all'Episcopato francese del 17 Febbraio 1806; e ai giorni nostri dalla generale Istruzione della s. Penitenzieria ai Vescovi d'Italia del 15 Gennaio 1866.

*I JUNII 1879.*

Quanto vi abbiamo esposto, o Venerabili Fratelli, potrebbe certo valere ad illuminare le menti e a scongiurare il temuto pericolo. — Che se ciò malgrado la malvagità degli uomini Ci astringesse a vedere con queste ed altre perniciose riforme sempre più compromesso il Sacramento, Noi con Voi ne saremmo per fermo profondamente addolorati: ma dall'invitto esempio degli Apostoli e dei Nostri Predecessori trarremmo le norme per tutelare maisempre, secondo il divino mandato, la sancta causa del matrimonio cristiano, e la salute spirituale dei fedeli.

Intanto a pegno della Nosta particolare benevolenza a Voi, Venerabili Fratelli, a tutto il Clero e popolo alle vostre cure affidato impartiamo con effusione di cuore l'Apostolica Benedizione.

Roma dal Vaticano, il giorno di Pentecoste, 1 giugno 1879.

# EPISTOLA ENCYCLICA

## Ad universos episcopos catholici orbis

## DE COLENDA S. THOMAE PHILOSOPHIA.

*4 AUGUSTI 1879.*

Aeterni Patris Unigenitus Filius, qui in terris apparuit, ut humano generi salutem et divinae sapientiae lucem afferret, magnum plane ac mirabile mundo contulit beneficium, cum coelos iterum ascensurus, Apostolis praecepit, ut *euntes docerent omnes gentes* (1); Ecclesiamque a se conditam communem et supremam populorum magistram reliquit. Homines enim, quos veritas liberaverat, veritate erant conservandi : neque diu permansissent coelestium doctrinarum fructus, per quos est homini parta salus, nisi Christus Dominus erudiendis ad fidem mentibus perenne magisterium constituisset. Ecclesia vero divini Auctoris sui cum erecta promissis, tum imitata caritatem, sic iussa perfecit, ut hoc semper spectarit, hoc maxime voluerit, de religione praecipere et cum erroribus perpetuo dimicare. Huc sane pertinent singulorum Episcoporum vigilati labores ; huc Conciliorum perlatae leges ac decreta, et maxime Romanorum Pontificum sollicitudo quotidiana, penes quos, beati Petri Apostolorum Principis in primatu successores, et ius et officium est docendi et confirmandi fratres in fide. Quoniam vero, Apostolo monente, *per philosophiam et inanem fallaciam* (2), Christifidelium mentes decipi solent, et fidei sinceritas in hominibus corrumpi, idcirco supremi Ecclesiae Pastores muneris sui perpetuo esse duxerunt etiam veri nominis scientiam totis viribus provehere, simulque singulari vigilantia providere, ut ad fidei catholicae normam ubique traderentur humanae disciplinae omnes, praesertim vero *philosophia*, a qua nimirum magna ex parte pendet ceterarum scientiarum recta ratio. Id ipsum et Nos inter cetera breviter monuimus, Venerabiles Fratres, cum primum Vos omnes per Litteras Encyclicas allocuti sumus ; sed modo rei gravitate, et tem-

*Ecclesia veritatis revelatae magistra etiam in disciplinas humanas ac maxime in philosophiam constanter invigilavit.*

*Praesens autem rerum conditio Pontificem compellit agere de recta philosophicorum studiorum ratione ineunda.*

1. Matth. XXVIII, 19. — 2. Coloss. II, 8.

porum conditione compellimur rursus Vobiscum agere de ineunda philosophicorum studiorum ratione, quae et bono fidei apte respondeat, et ipsi humanarum scientiarum dignitati sit consentanea.

Si quis in acerbitatem nostrorum temporum animum intendat, earumque rerum rationem, quae publice et privatim geruntur, cogitatione complectatur, is profecto comperiet, fecundam malorum causam, cum eorum quae premunt tum eorum quae pertimescimus, in eo consistere, quod prava de divinis humanisque rebus scita, e scholis philosophorum iampridem profecta, in omnes civitatis ordines irrepserint, communi plurimorum suffragio recepta. Cum enim insitum homini natura sit, ut in agendo rationem ducem sequatur, si quid intelligentia peccat, in id et voluntas facile labitur : atque ita contingit, ut pravitas opinionum, quarum est in intelligentia sedes, in humanas actiones influat, easque pervertat. Ex adverso, si sana mens hominum fuerit, et solidis verisque principiis firmiter insistat, tum vero in publicum privatumque commodum plurima beneficia progignet. — Equidem non tantam humanae philosophiae vim et auctoritatem tribuimus, ut cunctis omnino erroribus propulsandis, vel evellendis parem esse iudicemus : sicut enim, cum primum est religio christiana constituta, per admirabile fidei lumen *non persuasibilibus humanae sapientiae verbis* diffusum, *sed in ostensione spiritus et virtutis* (1), orbi terrarum contigit ut primaevae dignitati restitueretur ; ita etiam in praesens ab omnipotenti potissimum virtute et auxilio Dei expectandum est, ut mortalium mentes, sublatis errorum tenebris, resipiscant. Sed neque spernenda, neu posthabenda sunt naturalia adiumenta, quae divinae sapientiae beneficio, fortiter suaviterque omnia disponentis, hominum generi suppetunt ; quibus in adiumentis rectum philosophiae usum constat esse praecipuum. Non enim frustra rationis lumen humanae menti Deus inseruit ; et tantum abest, ut superaddita fidei lux intelligentiae virtutem extinguat aut imminuat, ut potius perficiat, auctisque viribus, habilem ad maiora reddat. — Igitur postulat ipsius divinae Providentiae ratio,

*Sicut malorum huius aetatis causa fecunda est prava de divinis humanisque rebus doctrina, ita in revocandis ad fidem populis etiam ab humana scientia praesidium quaeratur oportet.*

1. Cor. II, 4.

ut in revocandis ad fidem et ad salutem populis etiam ab humana scientia praesidium quaeratur : quam industriam, probabilem ac sapientem, in more positam fuisse praeclarissimorum Ecclesiae Patrum, antiquitatis monumenta testantur. Illi scilicet neque paucas, neque tenues rationi partes dare consueverunt, quas omnes perbreviter complexus est magnus Augustinus, *huic scientiae tribuens... illud quo fides saluberrima... gignitur, nutritur, defenditur, roboratur* (1).

*Philosophia viam ad fidem aperit.*

Ac primo quidem philosophia, si rite a sapientibus usurpetur, iter ad veram fidem quodammodo sternere et munire valet, suorumque alumnorum animos ad revelationem suscipiendam convenienter praeparare : quamobrem a veteribus modo *praevia ad christianam fidem institutio* (2), modo *christianismi praeludium et auxilium* (3), modo *ad Evangelium paedagogus* (4) non immerito appellata est.

Et sane benignissimus Deus, in eo quod pertinet ad res divinas, non eas tantum veritates lumine fidei patefecit, quibus attingendis impar humana intelligentia est, sed nonnullas etiam manifestavit, rationi non omnino impervias, ut scilicet, accedente Dei auctoritate, statim et sine aliqua erroris admixtione omnibus innotescerent. Ex quo factum est, ut quaedam vera, quae vel divinitus ad credendum proponuntur, vel cum doctrina fidei arctis quibusdam vinculis colligantur, ipsi ethnicorum sapientes, naturali tantum ratione praelucente, cognoverint, aptisque argumentis demonstraverint ac vindicaverint. *Invisibilia enim ipsius*, ut Apostolus inquit, *a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas* (5) ; et *gentes quae legem non habent*... ostendunt nihilominus *opus legis scriptum in cordibus suis* (6). Haec autem vera, vel ipsis ethnicorum sapientibus explorata, vehementer est opportunum in revelatae doctrinae commodum utilitatemque convertere, ut reipsa ostendatur, humanam quoque sapientiam, atque ipsum adversariorum testimonium fidei christianae suffragari. Quam agendi rationem,

1. De Trin. lib. XIV, c. 1. — 2. Clem. Alex. Strom. lib. 1, c. 16 ; l. VII, c. 3. — 3. Orig. ad Greg. Thaum. — 4. Clem. Alex., Strom. I, c. 5. — 5. Rom. 1, 20. — 6. Ib. 11, 14-15.

4 AUGUSTI 1879.

non recens introductam sed veterem esse constat, et sanctis Ecclesiae Patribus saepe usitatam. Quin etiam venerabiles isti religiosarum traditionum testes et custodes formam quandam eius rei et prope figuram agnoscunt in Hebraeorum facto, qui Aegypto excessuri, deferre secum iussi sunt argentea atque aurea Aegyptiorum vasa cum vestibus pretiosis, ut scilicet, mutato repente usu, religioni veri Numinis ea supellex dedicaretur, quae prius ignominiosis ritibus et superstitioni inservierat. Gregorius Neocaesariensis (1) laudat Origenem hoc nomine, quod plura ex ethnicorum placitis ingeniose decerpta, quasi erepta hostibus tela, in patrocinium christianae sapientiae et perniciem superstitionis singulari dexteritate retorserit. Et parem disputandi morem cum Gregorius Nazianzenus (2), tum Gregorius Nyssenus (3) in Basilio Magno et laudant et probant; Hieronymus vero magnopere commendat in Quadrato Apostolorum discipulo, in Aristide, in Iustino, in Irenaeo, aliisque permultis (4). Augustinus autem, *Nonne aspicimus*, inquit, *quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus, doctor suavissimus et martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Graeci* (5)? Quod si vero naturalis ratio opimam hanc doctrinae segetem prius fudit, quam Christi virtute fecundaretur, multo uberiorem certe progignet, posteaquam Salvatoris gratia nativas humanae mentis facultates instauravit et auxit. — Ecquis autem non videat, iter planum et facile per huiusmodi philosophandi genus ad fidem aperiri?

*Fidei praeambula et motiva credibilitatis ratio humana praebet.*

Non his tamen limitibus utilitas circumscribitur, quae ex illo philosophandi instituto dimanat. Et revera divinae sapientiae eloquiis graviter reprehenditur eorum hominum stultitia, qui *de his quae videntur bona, non potuerunt intelligere Eum qui est; neque, operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex* (6). Igitur primo loco magnus hic et praeclarus ex humana ratione fructus capitur, quod illa Deum esse demonstret: *a magnitudine enim speciei et creaturae cognos-*

1. Orat. paneg. ad Origen. — 2, Vit. Moys. — 3. Carm. I, Iamb. 3. — 4. Epist. ad Magn. — 5. De doct. christ. l., II, c. 40. — 6. Sap. XIII, 1.

*cibiliter poterit Creator horum videri* (1). — Deinde Deum ostendit omnium perfectionum cumulo singulariter excellere, infinita in primis sapientia, quam nulla usquam res latere, et summa iustitia, quam pravus nunquam vincere possit affectus, ideoque Deum non solùm veracem esse, sed ipsam etiam veritatem falli et fallere nesciam. Ex quo consequi perspicuum est, ut humana ratio plenissimam verbo Dei fidem atque auctoritatem conciliet. — Simili modo ratio declarat, evangelicam doctrinam mirabilibus quibusdam signis, tamquam certis certae veritatis argumentis, vel ab ipsa origine emicuisse : atque ideo omnes, qui Evangelio fidem adiungunt, non temere adiungere, tanquam doctas fabulas secutos (2), sed rationabili prorsus obsequio intelligentiam et iudicium suum divinae subiicere auctoritati. Illud autem non minoris pretii esse intelligitur, quod ratio in perspicuo ponat, Ecclesiam a Christo institutam (ut statuit Vaticana Synodus) *ob suam admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus locis fecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum esse motivum credibilitatis, et divinae suae legationis testimonium irrefragabile* (3).

*Etiam bene exculta ratio fidei veritates explicat*

Solidissimis ita positis fundamentis, perpetuus et multiplex adhuc requiritur philosophiae usus, ut sacra Theologia naturam, habitum, ingeniumque verae scientiae suscipiat atque induat. In hac enim nobilissima disciplinarum magnopere necesse est, ut multae ac diversae coelestium doctrinarum partes in unum veluti corpus colligantur, ut suis quaeque locis convenienter dispositae, et ex propriis principiis derivatae apto inter se nexu cohaereant; demum ut omnes et singulae suis iisque invictis argumentis confirmentur. — Nec silentio praetereunda, aut minimi facienda est accuratior illa atque uberior rerum, quae creduntur, cognitio, et ipsorum fidei mysteriorum, quoad fieri potest, aliquando lucidior intelligentia, quam Augustinus aliique Patres et laudarunt et assequi studuerunt, quamque ipsa Vaticana Synodus (4) fructuosissimam esse decrevit. Eam

1. Sap. XIII, 5. — 2. II Petr. I, 16, — 3. Const. dogm. de Fid. Cath., cap. 3. — 4. Const. cit., cap. 4.

siquidem cognitionem et intelligentiam plenius et facilius certe illi consequuntur, qui cum integritate vitae fideique studio ingenium coniungunt philosophicis disciplinis expolitum, praesertim cum eadem Synodus Vaticana doceat, eiusmodi sacrorum dogmatum intelligentiam *tum ex eorum, quae naturaliter cognoscuntur, analogia; tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo* peti oportere (1). *4 AUGUSTI 1879.*

*easque vindicat*

Postremo hoc quoque ad disciplinas philosophicas pertinet, veritates divinitus traditas religiose tueri, et iis qui oppugnare audeant resistere. Quam ad rem, magna est philosophiae laus, quod fidei propugnaculum ac veluti firmum religionis munimentum habeatur. *Est quidem*, sicut Clemens Alexandrinus testatur, *per se perfecta et nullius indiga Servatoris doctrina, cum sit Dei virtus et sapientia. Accedens autem graeca philosophia veritatem non fecit potentiorem ; sed cum debiles efficiat sophistarum adversus eam argumentationes, et propulset dolosas adversus veritatem insidias, dicta est vineae apta sepes et vallus* (2). Profecto sicut inimici catholici nominis, adversus religionem pugnaturi, bellicos apparatus plerumque a philosophica ratione mutuantur, ita divinarum scientiarum defensores plura e philosophiae penu depromunt, quibus revelata dogmata valeant propugnare. Neque mediocriter in eo triumphare fides christiana censenda est, quod adversariorum arma, humanae rationis artibus ad nocendum comparata, humana ipsa ratio potenter expediteque repellat. Quam speciem religiosi certaminis ab ipso gentium Apostolo usurpatam commemorat s. Hieronymus scribens ad Magnum : *Ductor christiani exercitus Paulus et orator invictus, pro Christo causam agens, etiam inscriptionem fortuitam arte torquet in argumentum fidei : didicerat enim a vero David extorquere de manibus hostium gladium, et Goliath superbissimi caput proprio mucrone truncare* (3). Atque ipsa Ecclesia istud a philosophia praesidium christianos doctores petere non tantum suadet, sed etiam iubet. Etenim Concilium Lateranense V. posteaquam constituit, *omnem assertionem veritati illu-*

1. Ibid — 2. Strom. lib. I, c. 20. — 3. Epist. ad Magn.

*minatae fidei contrariam omnino falsam esse, eo quod verum vero minime contradicat* (1), philosophiae doctoribus praecipit, ut in dolosis argumentis dissolvendis studiose versentur; siquidem, ut Augustinus testatur, *si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit, veri similitudine; nam vera esse non potest* (2).

*Ut pretiosis hisce afferendis fructibus par philosophia inveniatur, humana ratio auctoritati divinae subiiciatur oportet.*

Verum ut pretiosis hisce, quos memoravimus, afferendis fructibus par philosophia inveniatur, omnino oportet, ut ab eo tramite nunquam deflectat, quem et veneranda Patrum antiquitas ingressa est, et Vaticana Synodus solemni auctoritatis suffragio comprobavit. Scilicet cum plane compertum sit, plurimas ex ordine supernaturali veritates esse accipiendas, quae cuiuslibet ingenii longe vincunt acumen, ratio humana, propriae infirmitatis conscia, maiora se affectare ne audeat, neque easdem veritates negare, neve propria virtute metiri, neu pro lubitu interpretari; sed eas potius plena atque humili fide suscipiat, et summi honoris loco habeat, quod sibi liceat, in morem ancillae et pedissequae, famulari coelestibus doctrinis, easque aliqua ratione, Dei beneficio, attingere. — In iis autem doctrinarum capitibus, quae percipere humana intelligentia naturaliter potest, aequum plane est, sua methodo, suisque principiis et argumentis uti philosophiam: non ita tamen, ut auctoritati divinae sese audacter subtrahere videatur. Imo, cum constet, ea quae revelatione innotescunt, certa veritate pollere, et quae fidei adversantur pariter cum recta ratione pugnare, noverit philosophus catholicus se fidei simul et rationis iura violaturum, si conclusionem aliquam amplectatur, quam revelatae doctrinae repugnare intellexerit.

Novimus profecto non deesse, qui facultates humanae naturae plus nimio extollentes, contendunt, hominis intelligentiam, ubi semel divinae auctoritati subiiciatur, e nativa dignitate excidere, et quodam quasi servitutis iugo demissam plurimum retardari atque impediri, quominus ad veritatis excellentiaeque fastigium progrediatur. — Sed haec plena erroris et fallaciae sunt; eoque tandem spectant, ut homines summa cum stultitia, nec sine crimine ingrati animi, subli-

1. Bulla *Apostolici regiminis*. — 2. Epist. 143, (al 7) ad Marcellin. n. 7.

miores veritates repudient, et divinum beneficium fidei, ex qua omnium bonorum fontes etiam in civilem societatem fluxere, sponte reiiciant. Etenim cum humana mens certis finibus, iisque satis angustis, conclusa teneatur, pluribus erroribus, et multarum rerum ignorationi est obnoxia. Contra fides christiana, cum Dei auctoritate nitatur, certissima est veritatis magistra ; quam qui sequitur, neque errorum laqueis irretitur, neque incertarum opinionum fluctibus agitatur. Quapropter qui philosophiae studium cum obsequio fidei christianae coniungunt, ii optime philosophantur : quandoquidem divinarum veritatum splendor, animo exceptus, ipsam iuvat intelligentiam ; cui non modo nihil de dignitate detrahit, sed nobilitatis, acuminis, firmitatis plurimum addit. — Cum vero ingenii aciem intendunt in refellendis sententiis, quae fidei repugnant, et in probandis, quae cum fide cohaerent, digne ac perutiliter rationem exercent : in illis enim prioribus, causas erroris deprehendunt, et argumentorum, quibus ipsae fulciuntur, vitium dignoscunt : in his autem posterioribus, rationum momentis potiuntur, quibus solide demonstrentur et cuilibet prudenti persuadeantur. Hac vero industria et exercitatione augeri mentis opes et explicari facultates qui neget, ille veri falsique discrimen nihil conducere ad profectum ingenii, absurde contendat necesse est. Merito igitur Vaticana Synodus praeclara beneficia, quae per fidem rationi praestantur, his verbis commemorat : *Fides rationem ab erroribus liberat ac tuetur, eamque multiplici cognitione instruit* (1). Atque idcirco homini, si saperet, non culpanda fides, veluti rationi et naturalibus veritatibus inimica, sed dignae potius Deo grates essent habendae, vehementerque laetandum, quod, inter multas ignorantiae causas et in mediis errorum fluctibus, sibi fides sanctissima illuxerit, quae, quasi sidus amicum, citra omnem errandi formidinem portum veritatis commonstrat.

*4 AUGUSTI 1879.*

Quod si, Venerabiles Fratres, ad historiam philosophiae respiciatis, cuncta, quae paulo ante diximus, re ipsa comprobari intelligetis. Et sane philosophorum veterum, qui fidei beneficio caruerunt, etiam qui habebantur sapientissimi,

1. Const. dogm. de Fid. Cath., cap. 4.

in pluribus deterrime errarunt. Nostis enim, inter nonnulla vera, quam saepe falsa et absona, quam multa incerta et dubia tradiderint de vera divinitatis ratione, de prima rerum origine, de mundi gubernatione, de divina futurorum cognitione, de malorum causa et principio, de ultimo fine hominis, aeternaque beatitudine, de virtutibus et vitiis, aliisque doctrinis, quarum vera certaque notitia nihil magis est hominum generi necessarium. — Contra vero primi Ecclesiae Patres et Doctores,qui satis intellexerant, ex divinae voluntatis consilio, restitutorem humanae etiam scientiae esse Christum, qui Dei virtus est Deique sapientia (1) et *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* (2), veterum sapientum libros investigandos, eorumque sententias cum revelatis doctrinis conferendas suscepere : prudentique delectu quae in illis vere dicta et sapienter cogitata occurrerent, amplexi sunt, ceteris omnibus vel emendatis, vel reiectis. Nam providissimus Deus, sicut ad Ecclesiae defensionem martyres fortissimos, magnae animae prodigos, contra tyrannorum saevitiem excitavit, ita philosophis falsi nominis aut haereticis viros sapientia maximos obiecit, qui revelatarum veritatum thesaurum etiam rationis humanae praesidio tuerentur. Itaque ab ipsis Ecclesiae primordiis, catholica doctrina eos nacta est adversarios multo infensissimos, qui christianorum dogmata et instituta irridentes, ponebant plures esse deos, mundi materiam principio causaque caruisse, rerumque cursum caeca quadam vi et fatali contineri necessitate, non divinae providentiae consilio administrari.Iamvero cum his insanientis doctrinae magistris mature congressi sunt sapientes viri, quos *Apologetas* nominamus, qui, fide praeeunte, ab humana quoque sapientia argumenta sumpserunt, quibus constituerent, unum Deum, omni perfectionum genere praestantissimum esse colendum; res omnes e nihilo omnipotenti virtute productas, illius sapientia vigere, singulasque ad proprios fines dirigi ac moveri.— Principem inter illos sibi locum vindicat *S. Iustinus* martyr,qui posteaquam celeberrimas Graecorum Academias, quasi experiendo, lustrasset, plenoque ore nonnisi ex reve-

*Quid valeat ratio revelatione et fide adjuta exemplo suo ostenderunt Patres et doctores :*

*S. Justinus,*

1. Cor. I, 24. — 2. Coloss. II, 3.

latis doctrinis, ut idem ipse fatetur, veritatem hauriri posse pervidisset, illas toto animi ardore complexus, calumniis purgavit, penes Romanorum Imperatores acriter copioseque defendit, et non pauca graecorum philosophorum dicta cum eis composuit. Quod et *Quadratus* et *Aristides*, *Hermias* et *Athenagoras* per illud tempus egregie praestiterunt. — Neque minorem in eadem causa gloriam adeptus est *Irenaeus* martyr invictus, Ecclesiae Lugdunensis Pontifex: qui cum strenue refutaret perversas orientalium opiniones, Gnosticorum opera per fines romani imperii disseminatas, *origines haereseon singularum* (auctore Hieronymo), *et ex quibus philosophorum fontibus emanarint..., explicavit* (1). — Nemo autem non novit *Clementis Alexandrini* disputationes, quas idem Hieronymus sic, honoris causa, commemorat: *Quid in illis indoctum? imo quid non de media philosophia est?* (2). Multa ipse quidem incredibili varietate disseruit ad condendam philosophiae historiam, ad artem dialecticam rite exercendam, ad concordiam rationis cum fide conciliandam utilissima. — Hunc secutus *Origenes*, scholae Alexandrinae magisterio insignis, graecorum et orientalium doctrinis eruditissimus, perplura eademque laboriosa edidit volumina, divinis litteris explanandis, sacrisque dogmatibus illustrandis mirabiliter opportuna; quae licet erroribus, saltem ut nunc extant, omnino non vacent, magnam tamen complectuntur vim sententiarum, quibus naturales veritates et numero et firmitate augentur. — Pugnat cum haereticis *Tertullianus* auctoritate sacrarum Litterarum; cum philosophis, mutato armorum genere, philosophice; hos autem tam acute et erudite convincit, ut iisdem palam fidenterque obiiciat: *Neque de scientia, neque de disciplina, ut putatis, aequamur* (3). — *Arnobius* etiam, vulgatis adversus gentiles libris, et *Lactantius* divinis praesertim Institutionibus, pari eloquentia et robore dogmata ac praecepta catholicae sapientiae persuadere hominibus strenue nituntur, non sic philosophiam evertentes, ut Academici solent (4), sed partim suis armis, partim vero ex philosophorum inter se concertatione sumptis eos revin-

*4 AUGUSTI 1879.*

*S. Irenaeus,*

*Clemens Alexandrinus,*

*Origenes,*

*Tertullianus,*

*Arnobius,*

*Lactantius,*

1. Epist. ad Magn. — 2. Loc. cit. — 3. Apologet. § 46. — 4. Inst. VII, cap. 7.

centes (1). — Quae autem de anima humana, de divinis attributis, aliisque maximi momenti quaestionibus, magnus *Athanasius* et *Chrysostomus* oratorum princeps, scripta reliquerunt, ita, omnium iudicio, excellunt, ut prope nihil ad illorum subtilitatem et copiam addi posse videatur. — Et ne singulis recensendis nimii simus, summorum numero virorum quorum est mentio facta, adiungimus *Basilium* magnum et utrumque *Gregorium*, qui, cum Athenis, ex domicilio totius humanitatis, exiissent philosophiae omnis apparatu affatim instructi, quas sibi quisque doctrinae opes inflammato studio pepererat, eas ad haereticos refutandos instituendosque christianos converterunt. — Sed omnibus veluti palmam praeripuisse visus est *Augustinus*, qui ingenio praepotens, et sacris profanisque disciplinis ad plenum imbutus, contra omnes suae aetatis errores acerrime dimicavit fide summa, doctrina pari. Quem ille philosophiae locum non attigit; imo vero quem non diligentissime investigavit, sive cum altissima fidei mysteria et fidelibus aperiret, et contra adversariorum vesanos impetus defenderet; sive cum, Academicorum aut Manichaeorum commentis deletis, humanae scientiae fundamenta et firmitudinem in tuto collocavit, aut malorum, quibus premuntur homines, rationem et originem et causas est persecutus? Quanta de angelis, de anima, de mente humana, de voluntate et libero arbitrio, de religione et de beata vita, de tempore et aeternitate, de ipsa quoque mutabilium corporum natura subtilissime disputavit? — Post id tempus per Orientem *Ioannes Damascenus*, Basilii et Gregorii Nazianzeni vestigia ingressus, per Occidentem vero *Boëtius* et *Anselmus*, Augustini doctrinas professi, patrimonium philosophiae plurimum locupletarunt.

*SS. Athanasius et Chrysostomus,*

*S. Basilius et uterque Gregorius,*

*S. Augustinus,*

*S. Joannes Damascenus, Boetius et S. Anselmus.*

Exinde mediae aetatis Doctores, quos *Scholasticos* vocant, magnae molis opus agressi sunt, nimirum segetes doctrinae fecundas et uberes, amplissimis Sanctorum Patrum voluminibus diffusas, diligenter congerere, congestasque uno velut loco condere, in posterorum usum et commoditatem.— Quae autem scholasticae disciplinae sit origo, indoles et ex-

*Scholastici.*

1. De opif. Dei, cap. 21.

cellentia, iuvat hic, Venerabiles Fratres, verbis sapientissimi viri, Praedecessoris Nostri, Sixti V, fusius aperire : « Divino « Illius munere, qui solus dat spiritum scientiae et sapientiae « et intellectus, quique Ecclesiam suam per saeculorum « aetates, prout opus est, novis beneficiis auget, novis prae- « sidiis instruit, inventa est a maioribus nostris sapientis- « simis viris, Theologia scholastica quam duo potissimum « gloriosi Doctores, angelicus S. Thomas et seraphicus « S. Bonaventura, clarissimi huius facultatis professores... « excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus et « vigiliis excoluerunt atque ornarunt, eamque optime dispo- « sitam, multisque modis praeclare explicatam posteris « tradiderunt. Et huius quidem tam salutaris scientiae « cognitio et exercitatio, quae ab uberrimis divinarum « Litterarum, summorum Pontificum, sanctorum Patrum « et Conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum « Ecclesiae adiumentum afferre potuit, sive ad Scripturas « ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive « ad Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, « sive ad varios errores et haereses detegendas et refellendas: « his vero novissimis diebus,quibus iam advenerunt tempora « illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blas- « phemi, superbi, seductores proficiunt in peius, errantes et « alios in errorem mittentes, sane catholicae fidei dogmatibus « confirmandis et haeresibus confutandis pernecessaria « est (1). » Quae verba quamvis Theologiam scholasticam dumtaxat complecti videantur, tamen esse quoque de Philosophia eiusque laudibus accipienda perspicitur. Siquidem praeclarae dotes, quae Theologiam scholasticam hostibus veritatis faciunt tantopere formidolosam, nimirum, ut idem Pontifex addit, « apta illa et inter se nexa rerum « et causarum cohaerentia, ille ordo et dispositio tamquam « militum in pugnando instructio, illae dilucidae definitiones « et distinctiones, illa argumentorum firmitas et acutissimae « disputationes, quibus lux a tenebris, verum a falso distin- « guitur,haereticorum mendacia multis praestigiis et fallaciis « involuta, tamquam veste detracta patefiunt et denudan-

4 AUGUSTI 1879.

1. Bulla *Triumphantis*, an. 1588.

« tur (1), » praeclarae, inquimus, et mirabiles istae dotes unice a recto usu repetendae sunt eius philosophiae, quam magistri scholastici, data opera et sapienti consilio,in disputationibus etiam theologicis, passim usurpare consueverunt. — Praeterea cum illud sit scholasticorum Theologorum proprium ac singulare, ut scientiam humanam ac divinam arctissimo inter se vinculo coniunxerint, profecto Theologia, in qua illi excelluerunt,non erat tantum honoris et commendationis ab opinione hominum adeptura, si mancam atque imperfectam aut levem philosophiam adhibuissent.

*Scholasticorum princeps S. Thomas.*

Iamvero inter Scholasticos Doctores, omnium princeps et magister,longe eminet *Thomas Aquinas*:qui,uti Caietanus animadvertit, veteres *doctores sacros, quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est* (2). Illorum doctrinas, velut dispersa cuiusdam corporis membra, in unum Thomas collegit et coagmentavit, miro ordine digessit, et magnis incrementis ita adauxit,ut catholicae Ecclesiae singulare praesidium et decus iure meritoque habeatur. — Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitae integerrimus, veritatis unice amator, divina humanaque scientia praedives, Soli comparatus, orbem terrarum calore virtutum fovit, et doctrinae splendore complevit. Nulla est philosophiae pars, quam non acute simul et solide pertractarit : de legibus ratiocinandi, de Deo et incorporeis substantiis,de homine aliisque sensibilibus rebus, de humanis actibus eorumque principiis ita disputavit, ut in eo neque copiosa quaestionum seges, neque apta partium dispositio, neque optima procedendi ratio, neque principiorum firmitas aut argumentorum robur, neque dicendi perspicuitas aut proprietas, neque abstrusa quaeque explicandi facilitas desideretur.

Illud etiam accedit, quod philosophicas conclusiones angelicus Doctor speculatus est in rerum rationibus et principiis, quae quam latissime patent, et infinitarum fere veritatum semina suo velut gremio concludunt, a posterioribus magistris opportuno tempore et uberrimo cum fructu aperienda. Quam philosophandi rationem cum in

1. Bull. cit. — 2. In $2^{m}$ $2^{ae}$ q. 148, a. 4. in fin.

erroribus refutandis pariter adhibuerit, illud a se ipse impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus debellarit, et ad profligandos, qui perpetua vice in posterum exorituri sunt, arma invictissima suppeditarit. — Praeterea rationem, ut par est, a fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tum iura conservavit, tum dignitati consuluit, ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Thomae pennis evecta, iam fere nequeat sublimius assurgere; neque fides a ratione fere possit plura aut validiora adiumenta praestolari, quam quae iam est per Thomam consecuta.

*4 AUGUSTI 1879.*

*S. Thomam magistrum acceperunt Ordines religiosi*

Has ob causas, doctissimi homines, superioribus praesertim aetatibus, theologiae et philosophiae laude praestantissimi, conquisitis incredibili studio Thomae voluminibus immortalibus, angelicae sapientiae eius sese non tam excolendos, quam penitus innutriendos tradiderunt. — Omnes prope conditores et legiferos Ordinum religiosorum iussisse constat sodales suos, doctrinis s. Thomae studere et religiosius haerere, cauto, ne cui eorum impune liceat a vestigiis tanti viri vel minimum discedere. Ut Dominicianam familiam praetereamus, quae summo hoc magistro iure quodam suo gloriatur, ea lege teneri Benedictinos, Carmelitas, Augustinianos, Societatem Iesu, aliosque sacros Ordines complures, statuta singulorum testantur.

*et Academiae;*

Atque hoc loco magna cum voluptate provolat animus ad celeberrimas illas, quae olim in Europa floruerunt, Academias et Scholas, Parisiensem nempe, Salmantinam, Complutensem, Duacenam, Tolosanam, Lovaniensem, Patavinam, Bononiensem, Neapolitanam, Coimbricensem, aliasque permultas. Quarum Academiarum nomen aetate quodammodo crevisse, rogatasque sententias, cum graviora agerentur negotia, plurimum in omnes partes valuisse, nemo ignorat. Iamvero compertum est, in magnis illis humanae sapientiae domiciliis, tanquam in suo regno, Thomam consedisse principem; atque omnium vel doctorum vel auditorum animos miro consensu in unius angelici Doctoris magisterio et auctoritate conquievisse.

Sed, quod pluris est, Romani Pontifices Praedecessores

*Romani Pontifices summis laudum praeconiis eum prosecuti sunt;*

Nostri sapientiam Thomae Aquinatis singularibus laudum praeconiis, et testimoniis amplissimis prosecuti sunt. Nam Clemens VI (1), Nicolaus V (2), Benedictus XIII (3) aliique testantur, admirabili eius doctrina universam Ecclesiam illustrari ; s. Pius V (4) vero fatetur eadem doctrina haereses confusas et convictas dissipari, orbemque universum a pestiferis quotidie liberari erroribus ; alii cum Clemente XII (5), uberrima bona ab eius scriptis in Ecclesiam universam dimanasse, Ipsumque eodem honore colendum esse affirmant, qui summis Ecclesiae doctoribus, Gregorio, Ambrosio, Augustino et Hieronymo defertur ; alii tandem s. Thomam proponere non dubitarunt Academiis et magnis Lyceis exemplar et magistrum, quem tuto pede sequerentur. Qua in re memoratu dignissima videntur b. Urbani V verba ad Academiam Tolosanam : *Volumus et tenore praesentium vobis iniungimus, ut b. Thomae doctrinam tamquam veridicam et catholicam sectemini, eamdemque studeatis totis viribus ampliare* (6). Urbani autem exemplum Innocentius XII (7) in Lovaniensi studiorum Universitate, et Benedictus XIV (8) in Collegio Dionysiano Granatensium renovarunt. — His vero Pontificum maximorum de Thoma Aquinate iudiciis, veluti cumulus, Innocentii VI testimonium accedat : *Huius* (Thomae) *doctrina prae ceteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut numquam qui eam tenuerit, inveniatur a veritatis tramite deviasse ; et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus* (9).

*Eidem concilia oecumenica singularem honorem habere studuerunt.*

Ipsa quoque Concilia Oecumenica, in quibus eminet lectus ex toto orbe terrarum flos sapientiae, singularem Thomae Aquinati honorem habere perpetuo studuerunt. In Conciliis Lugdunensi, Viennensi, Florentino, Vaticano, deliberationibus et decretis Patrum interfuisse Thomam et pene praefuisse dixeris, adversus errores Graecorum, haereticorum et rationalistarum ineluctabili vi et faustissimo exitu decertantem. — Sed haec maxima est et Thomae

1. Bulla *In Ordine.* — 2. Breve ad FF. Ord. Praedic. 1451. — 3. Bulla *Pretiosus.* — 4. Bulla *Mirabilis.* — 5. Bulla *Verbo Dei.* — 6. Const. 5a dat. die 3, Aug. 1368 ad Cancell. Univ. Tolos. — 7. Litt. in form. Brev., die 6. feb. 1694. — 8. Litt. in form. Brev., die 21 Aug. 1752. — 9. Serm. de S. Thom.

propria, nec cum quopiam ex doctoribus catholicis communicata laus, quod Patres Tridentini, in ipso medio conclavi ordini habendo, una cum divinae Scripturae codicibus et Pontificum Maximorum decretis *Summam* Thomae Aquinatis super altari patere voluerunt, unde consilium, rationes, oracula peterentur.

*4 AUGUSTI 1879.*

*Ipsi fidei catholicae hostes praeconia dixerunt.*

Postremo haec quoque palma viro incomparabili reservata videbatur, ut ab ipsis catholici nominis adversariis obsequia, praeconia, admirationem extorqueret. Nam exploratum est, inter haereticarum factionum duces non defuisse, qui palam profiterentur, sublata semel e medio doctrina Thomae Aquinatis, se facile posse *cum omnibus* catholicis doctoribus *subire certamen et vincere, et Ecclesiam dissipare* (1). — Inanis quidem spes, at testimonium non inane.

*Male a philosophia S. Thomae ultimis hisce temporibus recessum est.*

His rebus et causis, Venerabiles Fratres, quoties respicimus ad bonitatem, vim preclarasque utilitates eius disciplinae philosophicae, quam maiores nostri adamarunt, iudicamus temere esse commissum, ut eidem suus honos non semper, nec ubique permanserit : praesertim cum philosophiae scholasticae et usum diuturnum et maximorum virorum iudicium, et, quod caput est, Ecclesiae suffragium favisse constaret. Atque in veteris doctrinae locum nova quaedam philosophiae ratio hac illac successit, unde non ii percepti sunt fructus optabiles ac salutares, quos Ecclesia et ipsa civilis societas maluissent. Adnitentibus enim Novatoribus saeculi XVI, placuit philosophari citra quempiam ad fidem respectum, petita dataque vicissim potestate quaelibet pro lubitu ingenioque excogitandi. Qua ex re pronum fuit, genera philosophiae plus aequo multiplicari, sententiasque diversas atque inter se pugnantes oriri etiam de iis rebus, quae sunt in humanis cognitionibus praecipuae. A multitudine sententiarum ad haesitationes dubitationesque persaepe ventum est : a dubitationibus vero in errorem quam facile mentes hominum delabantur, nemo est qui non videat. — Hoc autem novitatis studium, cum homines imitatione trahantur, catholicorum quoque philosophorum animos visum est alicubi pervasisse ; qui patrimonio antiquae sa-

1. Beza — Bucerus.

pientiae posthabito, nova moliri, quam vetera novis augere et perficere maluerunt, certe minus sapienti consilio, et non sine scientiarum detrimento. Etenim multiplex haec ratio doctrinae, cum in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nitatur, mutabile habet fundamentum, eaque de causa non firmam atque stabilem neque robustam, sicut veterem illam, sed nutantem et levem facit philosophiam. Cui si forte contingat, hostium impetu ferendo vix parem aliquando inveniri, eius rei agnoscat in seipsa residere causam et culpam. — Quae cum dicimus, non eos profecto improbamus doctos homines atque solertes, qui industriam et eruditionem suam, ac novorum inventorum opes ad excolendam philosophiam afferunt : id enim probe intelligimus ad incrementa doctrinae pertinere. Sed magnopere cavendum est, ne illa industria atque eruditione tota aut praecipua exercitatio versetur. — Et simili modo de sacra Theologia iudicetur ; quam multiplici eruditionis adiumento iuvari atque illustrari quidem placet, sed omnino necesse est, gravi Scholasticorum more tractari, ut, revelationis et rationis coniunctis in illa viribus, *invictum fidei propugnaculum* (1) esse perseveret.

*Restauratio philosophiae S. Thomae maxime profutura:*

Optimo itaque consilio cultores disciplinarum philosophicarum non pauci, cum ad instaurandam utiliter philosophiam novissime animum adiecerint, praeclaram Thomae Aquinatis doctrinam restituere, atque in pristinum decus vindicare studuerunt et student. Pari voluntate plures ex ordine Vestro, Venerabiles Fratres, eamdem alacriter viam esse ingressos, magna cum animi Nostri laetitia cognovimus. Quos cum laudamus vehementer, tum hortamur, ut in suscepto consilio permaneant : reliquos vero omnes ex Vobis singulatim monemus, nihil Nobis esse antiquius et optabilius, quam ut sapientiae rivos purissimos ex angelico Doctore iugi et praedivite vena dimanantes, studiosae iuventuti large copioseque universi praebeatis.

*iuventutis, praesertim ecclesiasticae institutioni,*

Quae autem faciunt, ut magno id studio velimus, plura sunt. — Principio quidem, cum in hac tempestate nostra, machinationibus et astu fallacis cuiusdam sapientiae,

1. Sixtus V, Bull. cit.

christiana fides oppugnari soleat, cuncti adolescentes, sed ii nominatim qui in Ecclesiae spem succrescunt, pollenti ac robusto doctrinae pabulo ob eam causam enutriendi sunt, ut viribus validi, et copioso armorum apparatu instructi, mature assuescant causam religionis fortiter et sapienter agere, *parati semper*, secundum Apostolica monita, *ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quae in nobis est, spe* (1) et *exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere* (2). — Deinde plurimi ex iis hominibus qui, abalienato a fide animo, instituta catholica oderunt, solam sibi esse magistram ac ducem rationem profitentur. Ad hos autem sanandos, et in gratiam cum fide catholica restituendos, praeter supernaturale Dei auxilium nihil esse opportunius arbitramur, quam solidam Patrum et Scholasticorum doctrinam, qui firmissima fidei fundamenta, divinam illius originem, certam veritatem, argumenta quibus suadetur, beneficia in humanum genus collata, perfectamque cum ratione concordiam tanta evidentia et vi commonstrant, quanta flectendis mentibus vel maxime invitis et repugnantibus abunde sufficiat.

*4 AUGUSTI 1879.*

*hominum a fide praetextu scientiae deviorum conversioni,*

Domestica vero, atque civilis ipsa societas, quae ob perversarum opinionum pestem quanto in discrimine versetur, universi perspicimus, profecto pacatior multo et securior consisteret, si in Academiis et scholis sanior traderetur, et magisterio Ecclesiae conformior doctrina, qualem Thomae Aquinatis volumina complectuntur. Quae enim de germana ratione libertatis, hoc tempore in licentiam abeuntis, de divina cuiuslibet auctoritatis origine, de legibus earumque vi, de paterno et aequo summorum Principum imperio, de obtemperatione sublimioribus potestatibus, de mutua inter omnes caritate; quae scilicet de his rebus et aliis generis eiusdem a Thoma disputantur, maximum atque invictum robur habent ad evertenda ea iuris novi principia, quae pacato rerum ordini et publicae saluti periculosa esse dignoscuntur. — Demum cunctae humanae disciplinae spem incrementi praecipere, plurimumque sibi debent praesidium polliceri ab hac, quae Nobis est proposita, disciplinarum philosophicarum instauratione. Etenim a philosophia tam-

*pacis domesticae et socialis conservationi,*

*caeterarum disciplinarum humanarum culturae;*

1. I Pet. III, 15. — 2. Tit. I, 9.

quam a moderatrice sapientia, sanam rationem rectumque modum bonae artes mutuari, ab eaque, tamquam vitae communi fonte, spiritum haurire consueverunt. Facto et constanti experientia comprobatur, artes liberales tunc maxime floruisse, cum incolumis honor et sapiens iudicium philosophiae stetit; neglectas vero et prope obliteratas iacuisse, inclinata atque erroribus vel ineptiis implicita philosophia. — Quapropter etiam physicae disciplinae quae nunc tanto sunt in pretio, et tot praeclare inventis, singularem ubique cient admirationem sui, ex restituta veterum philosophia non modo nihil detrimenti, sed plurimum praesidii sunt habiturae. Illarum enim fructuosae exercitationi et incremento non sola satis est consideratio factorum, contemplatioque naturae; sed, cum facta constiterint, altius assurgendum est, et danda solerter opera naturis rerum corporearum agnoscendis, investigandisque legibus, quibus parent, et principiis, unde ordo illarum et unitas in varietate, et mutua affinitas in diversitate proficiscuntur. Quibus investigationibus mirum quantam philosophia scholastica vim et lucem, et opem, est allatura, si sapienti ratione tradatur.

*etiam rerum physicarum studio.*

Qua in re et illud monere iuvat, nonnisi per summam iniuriam eidem philosophiae vitio verti, quod naturalium scientiarum profectui et incremento adversetur. Cum enim Scholastici, sanctorum Patrum sententiam secuti, in Anthropologia passim tradiderint, humanam intelligentiam nonnisi ex rebus sensibilibus ad noscendas res corpore materiaque carentes evehi, sponte sua intellexerunt, nihil esse philosopho utilius, quam naturae arcana diligenter investigare, et in rerum physicarum studio diu multumque versari. Quod et facto suo confirmarunt: nam S. Thomas, B. Albertus magnus, aliique Scholasticorum principes, non ita se contemplationi philosophiae dediderunt, ut non etiam multum operae in naturalium rerum cognitione collocarint: imo non pauca sunt in hoc genere dicta eorum et scita, quae recentes magistri probent, et cum veritate congruere fateantur. Praeterea, hac ipsa aetate, plures iique insignes scientiarum physicarum doctores palam aperteque testantur, inter certas ratasque recentioris Physicae conclusiones, et philosophica

Scholae principia nullam veri nominis pugnam existere. *4 AUGUSTI 1879.*

Nos igitur, dum edicimus libenti gratoque animo excipiendum esse quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum ; Vos omnes, Venerabiles Fratres, quam enixe hortamur, ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum auream sancti Thomae sapientiam restituatis, et quam latissime propagetis. Sapientiam sancti Thomae dicimus : si quid enim est a doctoribus Scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi. — Ceterum, doctrinam Thomae Aquinatis studeant magistri, a Vobis intelligenter lecti, in discipulorum animos insinuare ; eiusque prae ceteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant. Eamdem Academiae a Vobis institutae aut instituendae illustrent ac tueantur, et ad grassantium errorum refutationem adhibeant. — Ne autem supposita pro vera, neu corrupta pro sincera bibatur, providete ut sapientia Thomae ex ipsis eius fontibus hauriatur, aut saltem ex iis rivis, quos ab ipso fonte deductos, adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est : sed ab iis, qui exinde fluxisse dicuntur, re autem alienis et non salubribus aquis creverunt, adolescentium animos arcendos curate.

*Exhortatio ad Episcopos ut S. Thomae sinceram doctrinam propagari curent.*

Probe autem novimus conatus Nostros irritos futuros, nisi communia cepta, Venerabiles Fratres, Ille secundet, qui *Deus scientiarum* in divinis eloquiis (1) appellatur ; quibus etiam monemur, *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum* esse, *descendens a Patre luminum* (2). Et rursus : *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo ; qui dat omnibus affluenter, et non improperat ; et dabitur ei* (3). — Igitur hac quoque in re exempla sequamur Doctoris angelici, qui numquam se lectioni aut scriptioni dedit, nisi propitiato precibus Deo ; quique candide confessus est, quidquid sciret, non tam se studio aut labore suo sibi peperisse, quam

1. I Reg. II, 3. — 2. Iac. I, 17. — 3. Ibid.

divinitus accepisse : ideoque humili et concordi obsecratione Deum simul omnes exoremus, ut in Ecclesiae filios spiritum scientiae et intellectus emittat, et aperiat eis sensum ad intelligendam sapientiam. Atque ad uberiores percipiendos divinae bonitatis fructus, etiam B. Virginis Mariae, quae sedes sapientiae appellatur, efficacissimum patrocinium apud Deum interponite ; simulque deprecatores adhibete purissimum Virginis Sponsum B. Iosephum, et Petrum ac Paulum Apostolos maximos, qui orbem terrarum, impura errorum lue corruptum, veritate renovarunt, et coelestis sapientiae lumine compleverunt.

Denique divini auxilii spe freti, et pastorali Vestro studio confisi, Apostolicam benedictionem, coelestium munerum auspicem et singularis Nostrae benevolentiae testem, Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, universoque Clero et populo singulis commisso peramanter in Domino impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die 4 augusti ann. 1879. Pontificatus Nostri anno secundo.

LEO PP. XIII.

# EPISTOLA

## Ad Leopoldum Dujardin et Julium Jacques

## DE GALLICA VERSIONE OPERUM S. ALPHONSI.

LICET universum iam orbem pervaserint, non sine amplissimo christianae rei emolumento, scripta Sancti Doctoris Alphonsi Mariae de Ligorio, Dilecti Filii, ea tamen magis adhuc magisque vulgari desiderandum est et ad manus omnium traduci. Scitissime nam Ille catholicas veritates omnium captui accommodavit, omnium morali regimini prospexit, mirifice pietatem omnium excitavit, et « in media saeculi nocte errantibus viam ostendit, qua, eruti de potestate tenebrarum transire possent in Dei lumen et regnum. » Et sane firmissimis argumentis divinam revelationem munivit contra Deistas ; veritatem fidei nostrae strenue defendit ; efficacissime asseruit immaculatum Deiparae conceptum ; nervosissime propugnavit Romani Pontificis primatum et infallibile magisterium ; divinae Providentiae consilia in comparanda per Iesum Christum hominum salute docte pieque illustravit ; psalmos et cantica aptissimis ad fovendam Clericorum pietatem commentariis exposuit ; Ecclesiae gloriam ostendit in triumphis martyrum ; editis historia haeresum et opere dogmatico acriter perstrinxit haereses omnes, sed praesertim iansenianos et febronianos profligavit errores tunc maxime gliscentes, et monstruosarum illa opinionum segete graves, qua nunc religiosae civilisque societatis fundamenta quatiuntur : et quam ipse iam tunc ea perspicacia fuit insectatus, ut pleraeque e *propositionibus* post saeculum in *Syllabo* damnatae ab eius scriptis nominatim refutatae conspiciantur : imo « praedicari verissime possit, nullum esse nostrorum temporum errorem, qui maxima saltem ex parte, non sit ab Alphonso refutatus. » Et ne quid dicamus de Morali Theologia ubique terrarum celebratissima tutamque plane praebente normam quam conscientiae moderatores sequan-

*28 AUGUSTI 1879.*

*Praeconiis ornantur universa S. Alphonsi opera,*

*maxime dogmatica et polemica,*

*moralia et ascetica.*

tur, frigescentem Ipse caritatem per crebras doctasque lucubrationes asceticas, veluti subditis igniculis, fovit, aluit, provexit; ac praesertim erga Dominum Nostrum Iesum Christum eiusque dulcissimam Matrem, quorum amore, miro cum fidelium profectu rigentia quoque corda succendit. Et in hisce omnibus « illud in primis notatu dignum est, quod, licet copiosissime scripserit, eiusdem tamen opera inoffenso prorsus pede percurri a fidelibus posse, post diligens institutum examen, perspectum fuerit. » Gratulamur itaque, Dilecti Filii, vos dogmatica omnia et ascetica sanctissimi et doctissimi Parentis vestri scripta, sive latine sive italice edita, in gallicam vertisse linguam, tum quia haec omnibus ferme populis nota latius proferre poterit fructus laborum egregii Doctoris, tum quia vobis potissimum arduum id munus demandatum fuit, qui et alias iam de indole, doctrina, sanctitate eorumdem operum scribere debuistis, et, uti filii facilius et plenius aliis assequi poteratis spiritum Parentis. Imo ipsi quoque gratulamur incepto vestro, eo nomine, quod cum Sanctus Auctor saepe in scriptis suis Angeli Scholarum doctrinam se sequutum fuisse glorietur; ex huiusmodi recentioris Ecclesiae Doctoris erga illum obsequio nova Sancti Thomae doctrinae laus accedat et gloria, quae gravius etiam commendet instaurationem illam christianae philosophiae, quam Nos studiosissime per recentes encyclicas litteras Nostras ad Angelici Doctoris mentem exigendam suasimus. Successum itaque nuperae isti operum Sancti Alphonsi editioni ominamur amplissimum Nostrisque et votis vestris plane respondentem; ac interim superni favoris auspicem vobis, Dilecti Filii, ac toti Sanctissimi Redemptoris Congregationi Benedictionem Apostolicam paternae Nostrae benevolentiae testem peramanter impertimus.

*Notatur S. Alphonsi in Doctorem Angelicum reverentia.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die 28 augusti 1879, Pontificatus Nostri anno secundo.

LEO PP. XIII.

# LITTERA

## Ad Cardinalem de Luca

## ACADEMIA S. THOMAE IN URBE ERIGENDA. — ANGELICI OPERA EDENDA.

IAMPRIDEM considerando experiendoque intelleximus, teterrimum quod adversus Ecclesiam ipsamque humanam societatem modo geritur bellum, citius feliciusque, opitulante Deo, componi non posse, quam rectis sciendi agendique principiis per philosophicas disciplinas ubilibet restitutis ; ideoque ad summam totius causae pertinere sanam solidamque ubique locorum reflorescere philosophiam. Litteras idcirco Encyclicas ad universos catholici orbis Antistites nuper dedimus, quibus pluribus ostendimus, huius generis utilitatem non esse alibi quaerendam, quam in philosophia christiana a priscis Ecclesiae Patribus procreata et educta, quae fidei catholicae non modo maxime convenit, sed etiam defensionis et luminis utilia adiumenta praebet. Eam ipsam, decursu aetatum, magnis fecundam fructibus, a s. Thoma Aquinate, summo Scholasticorum Magistro, quasi hereditario iure acceptam commemoravimus; in eaque ordinanda, illustranda et augenda mentis illius vim virtutemque sic enituisse, ut cognominis sui mensuram Angelicus Doctor cumulate implesse videatur. Maiorem autem in modum Episcopos hortati sumus ut, collatis Nobiscum viribus, excitare aggrediantur motam gradu et prope collapsam philosophiam illam veterem, scholisque catholicis redonatam, in sede honoris pristini collocare.

*15 OCTOBRIS 1879.*

*Finis quem sibi Pontifex proposuit encyclica* aeterni patris *promulgata.*

Nec mediocrem animi laetitiam ex eo percepimus, quod Litterae illae Nostrae, divina ope favente, pronum ubique obsequium et singularem animorum assensum nactae sunt. Cuius rei testimonium Nobis luculentum impertiunt plures Episcoporum ad Nos ex Italia praesertim, ex Gallia, Hispania, Hibernia, perlatae epistolae, sive singulares, sive plurium eiusdem provinciae vel gentis communes, egregia

*Encyclica communi plausu excepta.*

animi sensa praeferentes. Nec doctorum hominum suffragium defuit, ultro et reverenter datum, cum insignes eruditorum Academiae eumdem plane, ac Sacrorum Antistites, animum Nobis scripto declaraverint.—In his autem litteris placet maxime obsequium auctoritati Nostrae et huic Apostolicae Sedi praestitum ; placent mens et iudicia ab auctoribus prolata. Una est enim omnium vox, una sententia, notari et tuto designari Litteris illis Nostris, quo tandem loco sit praesentium malorum radix, et unde petenda remedia. Omnes consentiunt humanam rationem, si a divina fidei auctoritate discesserit, dubitationum fluctibus et praesentissimis errorum periculis esse propositam ; haec autem pericula facile evasuram, si ad catholicam philosophiam homines perfugerint.

*Voluntas Pontificis ut S. Thomae doctrina in omnibus scholis reviviscat, maxime in Urbe.*

Quamobrem, Venerabilis Frater Noster, illud Nobis est magnopere in optatis, ut s. Thomae doctrina, fidei veritati apprime conformis, cum in omnibus catholicis Athenaeis quamprimum reviviscat, tum maxime in hac Urbe principe catholici nominis ; quae ob eam causam, quod est sedes Pontificis Maximi, debet optimarum doctrinarum laude caeteris antecellere.—Huc accedit quod Romam, catholicae unitatis centrum, soleant adolescentes ex omni terrarum loco frequentes celebrare, nullibi, quam penes augustam B. Petri cathedram, germanam incorruptamque sapientiam satius hausturi. Itaque si philosophiae christianae, quam diximus, largiter hinc copia defluxerit, non unius Urbis finibus conclusa tenebitur, sed ad omnes populos, velut abundantissimus amnis, manabit.

*Insuper Romae erigenda doctorum virorum Academia quae opera S. Thomae explanet.*

Sic igitur primo loco curavimus, ut in Seminario Romano, in Lyceo Gregoriano, in Urbaniano aliisque Collegiis, Nostrae adhuc auctoritati obnoxiis, philosophicae disciplinae secundum mentem et principia Doctoris Angelici, enucleate, dilucide, copiose tradantur atque excolantur. Et maxime in hoc omnem vigilare curam et contentionem doctorum volumus, ut quas ipsi doctrinae opes ex voluminibus sancti Thomae diligenter collegerint, easdem explicando, dilatando, suaviter et fructuose auditoribus impertiant.

Sed praeterea quo magis haec studia vigeant et floreant,

curandum est, ut amatores philosophiae Scholasticae in eius gratiam sedulo, quod possunt, enitantur; maxime autem in societates coeant, coetusque identidem habeant, in quibus studiorum suorum fructus singulis in medium adducant, et in communem afferant utilitatem. *15 OCTOBRIS 1879.*

Haec autem iudicia mentemque Nostram Tecum communicare voluimus, Venerabilis Frater Noster, qui sacro Consilio praees studiis disciplinarum regundis, certa spe freti, nec industriam, nec prudentiam Tuam hac in re Nobis defuturam. — Te profecto non latet doctorum hominum coetus, sive Academias, nobilissimas veluti palaestras fuisse, in quibus viri ingenio peracri et doctrina praestantes cum se ipsi utiliter exercerent de maximis rebus scribentes ac disputantes, tum adolescentes erudirent, magno cum scientiarum incremento. Ex hoc optimo more institutoque iungendi vires et intelligentiae lumina conferendi, extiterunt illustria Doctorum collegia, alia pluribus simul disciplinis addicta, alia singularibus. Vivax fama et gloria eorum permansit, quae, Romanis Pontificibus non uno nomine faventibus, ubique floruerunt, ut in hac Italia nostra Bononiae, Patavii, Salerni, et alibi alia.—Cum igitur tanta fuerit laus et utilitas in voluntariis hisce hominum coetibus ad excolendas perpoliendasque disciplinas coeuntium, cumque eius utilitatis et laudis plurimum adhuc supersit, certum Nobis est eodem uti praesidio, quo consilia Nostra plenius perficiamus. — Scilicet auctores sumus, ut coetus Academicus in Urbe Roma instituatur, qui S. Thomae Aquinatis nomine et patronatu insignis, eo studia industriamque convertat, ut eius opera explanet, illustret; placita exponat et cum aliorum philosophorum sive veterum sive recentium placitis conferat; vim sententiarum earumque rationes demonstret; salutarem doctrinam propagare, et ad grassantium errorum refutationem recensque inventorum illustrationem adhibere contendat. — Idcirco Tibi, Venerabilis Frater Noster, cuius perspecta habemus ornamenta doctrinae, celeritatem ingenii, studiumque rerum omnium quae ad humanitatem pertinent, id negotii damus, ut propositum Nostrum exequaris. Interim rem altius consideres; cumque

rationem excogitaveris quae consiliis Nostris opportune respondeat, litteris expressam Nobis inspiciendam subiicies, ut probemus et auctoritate Nostra muniamus.

*Nova operum S. Thomae editio adornanda.*

Demum quo latius spargatur ac disseminetur Angelici Doctoris sapientia, constituimus omnia eius opera de integro in lucem edere, exemplo S. Pii V, Decessoris Nostri, rerum gestarum gloria et vitae sanctitate praeclari ; cui quidem in ea re tam felix contigit exitus, ut Thomae exemplaria, iussu illius evulgata, permagni sint apud viros doctos, summoque studio requirantur. Verum quanto plus editio illa est rara, tanto magis alia desiderari coepta, quae nobilitate ac praestantia cum Piana comparari possit. Ceterae enim cum veteres tum recentiores, partim quod non omnia s. Thomae scripta exhibeant, partim quod optimorum eius interpretum atque explanatorum careant commentariis, partim quod minus diligenter adornatae sint, non omne tulisse punctum videntur. Certa autem spes est, huiusmodi necessitati consultum iri per novam editionem quae cuncta omnino sancti Doctoris scripta complectatur, optimis quoad fieri poterit, formis litterarum expressa, accurateque emendata; iis etiam adhibitis codicum manuscriptorum subsidiis, quae aetate hac nostra in lucem et usum prolata sunt. Coniunctim vero edendas curabimus clarissimorum eius interpretum, ut Thomae de Vio Cardinalis Caietani et Ferrariensis, lucubrationes, per quas tanquam per uberes rivulos, tanti viri doctrina decurrit. — Observantur quidem animo rei gerendae cum magnitudo, tum difficultas ; nec tamen deterrent quominus ad eam magna cum alacritate quamprimum aggrediamur. Confidimus enim in re tam gravi, quae ad commune Ecclesiae bonum magnopere pertinet, adfore Nobis divinam opem et concors Episcoporum studium, et prudentiam atque industriam Tuam, spectatam iam et diu cognitam.

Interim praecipuae dilectionis testem, Apostolicam benedictionem Tibi, Venerabilis Frater Noster, ex intimo cordis affectu impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 15 octobris an. 1879, Pontificatus Nostri anno secundo.

LEO PP. XIII.

# MOTU PROPRIO

## EDITIONIS OPERUM S. THOMAE EXEQUENDAE RATIO PRAESCRIBITUR.

*18 IANUARII 1880.*

PLACERE Nobis, omnia sancti Thomae Aquinatis Opera de integro publicari, superiore anno significavimus per Litteras Nostras idibus octobribus datas ad Cardinalem Praefectum Sacri Consilii studiis disciplinarum regundis. Eiusque causam propositi hanc esse diximus, ut longe lateque fluat Angelici Doctoris excellens sapientia, qua opprimendis opinionibus perversis nostrorum temporum fere nihil est aptius, conservandae veritati nihil efficacius. Nunc autem quia commodum videtur esse manum operi admovere, decernenda Nobis nonnulla esse censemus, quae spem laetam portendunt, futurum ut coepta Nostra ad exitus pervehantur optatos.

*Editio committitur officinae librariae Cong. de Prop. Fide.*

Primum itaque, ne almae Urbi Nostrae haec pereat laus, editionem, quam supra diximus, reservatam esse volumus Officinae librariae Sacri Consilii Christiano nomini propagando, clarae iam ob alia magnae molis et laudati operis edita volumina.

*Rei exequendae tres S. R. E. cardinales praeficiuntur.*

Editioni autem curandae destinamus ac praecipua auctoritate praeesse volumus tres sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales ; scilicet Antoninum de Luca, Praefectum Sacri Consilii studiis regundis; Ioannem Simeoni, Praefectum Sacri Consilii Christiano nomini propagando ; Thomam Zigliara ex Familia Dominicana, ad disciplinam S. Thomae apprime institutum atque eruditum. His autem ius et potestas esto statuendi ac decernendi Nostro nomine quidquid ad rem pertinere intellexerint. Quare prospiciant ut omnia ac singula Angelici Doctoris Opera integra prodeant, additis clarissimorum Interpretum Thomae de Vio Cardinalis Caietani in *Summam Theologicam* et Francisci de Sylvestris Ferrariensis in *Summam contra Gentiles* commentariis. Similiter curent et provideant ne litterarum optima forma, ne accurata emendatio, ne intelligens in rerum singularum delectu iudicium desideretur; ac demum constituant quo ordine, quo tempore singula volumina in lucem oporteat proferri.

*Expensis providetur.* Quod vero ad expensas attinet, argenteorum italicorum CCC millia Nos ultro damus atque addicimus suppeditandis sumptibus in praesenti necessariis. Reliquo autem tempore necessarios suppeditari volumus ex eiusdem Sacri Consilii Fidei propagandae aerario : cui tamen quidquid erit vendendis exemplaribus redactum pecuniae, tamdiu in rem cedat, quoad par ratio fuerit acceptorum et expensorum. Si quidquam eidem accrevisse contingat, accrescentem pecuniam omnem insumi iubemus in lucubrationes eorum Scriptorum edendas, qui s. Thomae Aquinatis illustrandis operibus maxime excellant. Cui vero inter illos scriptores decerni primas oporteat, viderint ipsi Cardinales quos nominavimus : hoc tantum monemus, eos scriptores esse ceteris anteponendos, quorum doctrina maiorem fructuum ubertatem sit allatura, et temporum necessitatibus accommodatior esse videatur.

Datum Romae apud S. Petrum die 18 ianuarii 1880. Pontificatus Nostri, anno secundo.

LEO PP. XIII.

# EPISTOLA ENCYCLICA

## Ad Episcopos universos catholici Orbis

## DE MATRIMONIO CHRISTIANO.

ARCANUM divinae sapientiae consilium, quod Salvator hominum IESUS CHRISTUS in terris erat perfecturus, eo spectavit, ut mundum, quasi vetustate senescentem, Ipse per se et in se divinitus instauraret. Quod splendida et grandi sententia complexus est Paulus Apostolus, cum ad Ephesios ita scriberet : *Sacramentum voluntatis suae.... instaurare omnia in Christo, quae in coelis et quae in terra sunt* (1). — Revera cum Christus Dominus mandatum facere instituit quod dederat illi Pater, continuo novam quamdam formam ac speciem rebus omnibus impertiit, vetustate depulsa. Quae enim vulnera piaculum primi parentis humanae naturae imposuerat, Ipse sanavit : homines universos, natura filios irae, in gratiam cum Deo restituit ; diuturnis fatigatos erroribus ad veritatis lumen traduxit ; omni impunitate confectos ad omnem virtutem innovavit ; redonatisque hereditati beatitudinis sempiternae spem certam fecit, ipsum eorum corpus, mortale et caducum, immortalitatis et gloriae coelestis particeps aliquando futurum. Quo vero tam singularia beneficia, quamdiu essent homines, tamdiu in terris permanerent, Ecclesiam constituit vicariam muneris sui, eamque iussit, in futurum prospiciens, si quid esset in hominum societate perturbatum, ordinare ; si quid collapsum, restituere.

*10 FEBRUARII 1880.*

*Instauratio ordinis supernaturalis*

Quamquam vero divina haec instauratio, quam diximus, praecipue et directo homines attigit in ordine gratiae supernaturali constitutos, tamen pretiosi ac salutares eiusdem fructus in ordinem quoque naturalem largiter permanarunt ; quamobrem non mediocrem perfectionem in omnes partes acceperunt cum singuli homines, tum humani generis societas universa. Etenim, christiano rerum ordine semel condito, hominibus singulis feliciter contigit, ut ediscerent

*multa bona attulit ipsi ordini naturali*

*tum pro singulis hominibus*

1. Ad Eph. I, 9. 10.

atque adsuescerent in paterna Dei providentia conquiescere, et spem alere, quae non confundit coelestium auxiliorum; quibus ex rebus fortitudo, moderatio, constantia, aequabilitas pacati animi, plures denique praeclarae virtutes et egregia facta consequuntur. — Societati vero domesticae et civili mirum est quantum dignitatis, quantum firmitudinis et honestatis accesserit. Aequior et sanctior effecta principum auctoritas; propensior et facilior populorum obtemperatio; arctior civium coniunctio; tutiora iura dominii. Omnino rebus omnibus, quae in civitate habentur utiles, religio christiana consuluit et providit; ita quidem, ut, auctore S. Augustino, plus ipsa afferre momenti ad bene beateque vivendum non potuisse videatur, si esset parandis vel augendis mortalis vitae commodis et utilitatibus unice nata.

*tum pro tota societate;*

Verum de hoc genere toto non est Nobis propositum modo singula enumerare; volumus autem de convictu domestico eloqui, cuius est in *matrimonio* principium et fundamentum.

*nominatim pro convictu domestico.*

Constat inter omnes, Venerabiles Fratres, quae vera sit matrimonii origo. — Quamvis enim fidei christianae vituperatores perpetuam hac de re doctrinam Ecclesiae fugiant agnoscere, et memoriam omnium gentium, omnium saeculorum delere iamdiu contendant, vim tamen lucemque veritatis nec extinguere nec debilitare potuerunt. Nota omnibus et nemini dubia commemoramus; posteaquam sexto creationis die formavit Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, sociam illi voluit adiungere, quam de latere viri ipsius dormientis mirabiliter eduxit. Qua in re hoc voluit providentissimus Deus, ut illud par coniugum esset cunctorum hominum naturale principium, ex quo scilicet propagari humanum genus, et, nunquam intermissis procreationibus, conservari in omne tempus oporteret. Atque illa viri et mulieris coniunctio, quo sapientissimis Dei consiliis responderet aptius, vel ex eo tempore duas potissimum, easque in primis nobiles, quasi alte impressas et insculptas prae se tulit proprietates, nimirum unitatem et perpetuitatem. — Idque declaratum aperteque confirmatum ex Evangelio perspicimus divina

*Matrimonium divinitus institutum*

*duas ab initio habuit proprietates: unitatem et indissolubilitatem.*

IESU CHRISTI auctoritate; qui Iudaeis et Apostolis testatus est, matrimonium ex ipsa institutione sui dumtaxat inter duos esse debere, scilicet virum inter et mulierem; ex duobus unam veluti carnem fieri; et nuptiale vinculum sic esse Dei voluntate intime vehementerque nexum, ut a quopiam inter homines dissolvi, aut distrahi nequeat. *Adhaerebit* (homo) *uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet* (1). *10 FEBRUARII 1880.*

Verum haec coniugii forma, tam excellens atque praestans, sensim corrumpi et interire apud ethnicos populos coepit; et penes ipsum Hebraeorum genus quasi obnubilari atque obscurari visa. — Nam apud hos de uxoribus susceperat consuetudo communis, ut singulis viris habere plus una liceret; post autem, cum *ad duritiam cordis* (2) eorum indulgenter permisisset Moyses repudiorum potestatem, ad divortium factus est aditus. — In societate vero ethnicorum vix credibile videatur, quantam corruptelam et demutationem nuptiae contraxerint, quippe quae obiectae fluctibus essent errorum uniuscuiusque populi et cupiditatum turpissimarum. Cunctae plus minus gentes dediscere notionem germanamque originem matrimonii visae sunt; eamque ob caussam de coniugiis passim ferebantur leges, quae esse e republica viderentur, non quas natura postularet. Solemnes ritus, arbitrio legumlatorum inventi, efficiebant ut honestum uxoris, aut turpe concubinae nomen mulieres nanciscerentur; quin eo ventum erat, ut auctoritate principum reipublicae caveretur, quibus esset permissum inire nuptias, et quibus non esset, multum legibus contra aequitatem contendentibus, multum pro iniuria. Praeterea polygamia, polyandria, divortium caussae fuerunt, quamobrem nuptiale vinculum magnopere relaxaretur. Summa quoque in mutuis coniugum iuribus et officiis perturbatio extitit, cum vir dominium uxoris acquireret, eamque suas sibi res habere, nulla saepe iusta caussa, iuberet; sibi vero ad effrenatam et indomitam libidinem praecipiti impune liceret *excurrere per lupanaria et ancillas, quasi culpam dignitas faciat, non voluntas* (3).

*Primitiva matrimonii forma apud ipsos Hebraeos obscurata polygamia et divortio; apud ethnicos omnis generis malis corrupta*

1. Matth. XIX, 5, 6. — 2. Matth. XIX, 8. — 3. Hieronym. Oper. tom. I, col. 455.

Exsuperante viri licentia, nihil erat uxore miserius, in tantam humilitatem deiecta, ut instrumentum pene haberetur ad explendam libidinem, vel gignendam sobolem comparatum. Nec pudor fuit, collocandas in matrimonium emi, vendi, in rerum corporearum similitudinem (1), data interdum parenti maritoque facultate extremum supplicium de uxore sumendi. Talibus familiam ortam connubiis necesse erat aut in bonis reipublicae esse, aut in mancipio patrifamilias (2), cui leges hoc quoque posse dederant, non modo liberorum conficere et dirimere arbitratu suo nuptias, verum etiam in eosdem exercere vitae necisque immanem potestatem.

*Christus Dominus matrimonium ad suam primaevam formam revocavit,*

Sed tot vitiis, tantisque ignominiis, quibus erant inquinata coniugia, sublevatio tandem et medicina divinitus quaesita est; quandoquidem restitutor dignitatis humanae legumque mosaicarum perfector IESUS CHRISTUS non exiguam, neque postremam de matrimonio curam adhibuit. Etenim nuptias in Cana Galilaeae Ipse praesentia sua nobilitavit, primoque ex prodigiis a se editis fecit memorabiles (3); quibus caussis vel ex eo die in hominum coniugia novae cuiusdam sanctitudinis initia videntur esse profecta. Deinde matrimonium revocavit ad primaevae originis nobilitatem, cum Hebraeorum mores improbando, quod et multitudine uxorum et repudii facultate abuterentur; tum maxime praecipiendo, ne quis dissolvere auderet quod perpetuo coniunctionis vinculo Deus ipse constrinxisset. Quapropter cum difficultates diluisset ab institutis mosaicis in medium allatas, supremi legislatoris suscepta persona, haec de coniugibus sanxit: *Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur* (4).

*illudque ad dignitatem sacramenti erexit.*

Verum quae auctoritate Dei de coniugiis decreta et constituta sunt, ea nuncii divinarum legum Apostoli plenius et enucleatius memoriae litterisque prodiderunt. Iamvero Apostolis magistris accepta referenda sunt, quae *sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiae traditio semper*

1. Arnob. *adv. Gent. 4.* — 2. Dionys. Halicar., lib. II, c. 26, 27. — 3. Ioan. II. 4. Matth. XIX, 9.

*docuerunt* (1), nimirum Christum Dominum ad Sacramenti dignitatem evexisse matrimonium; simulque effecisse ut coniuges, coelesti gratia quam merita eius pepererunt septi ac muniti, sanctitatem in ipso coniugio adipiscerentur: atque in eo, ad exemplar mystici connubii sui cum Ecclesia mire conformato, et amorem qui est naturae consentaneus perfecisse (2), et viri ac mulieris individuam suapte natura societatem divinae caritatis vinculo validius coniunxisse. *Viri*, Paulus inquit ad Ephesios, *diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret... Viri debent diligere uxores suas ut corpora sua... nemo enim unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam; quia membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (3). — Similiter Apostolis auctoribus didicimus unitatem perpetuamque firmitatem quae ab ipsa requirebatur nuptiarum origine, sanctam esse et nullo tempore violabilem Christum iussisse. *Iis qui matrimonio iuncti sunt*, idem Paulus ait, *praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari* (4). Et rursus: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit: quod si dormierit vir eius, liberata est* (5). — Hisce igitur caussis matrimonium extitit *sacramentum magnum* (6), *honorabile omnibus* (7), pium, castum, rerum altissimarum imagine et significatione verendum.

*10 FEBRUARII 1880.*

Neque iis dumtaxat quae commemorata sunt, christiana eius perfectio absolutioque continetur. Nam primo quidem nuptiali societati excelsius quiddam et nobilius propositum est, quam antea fuisset; ea enim spectare iussa est non modo ad propagandum genus humanum, sed ad ingenerandam Ecclesiae sobolem, *cives Sanctorum et domesticos Dei* (8); *ut* nimirum *populus ad veri Dei et Salvatoris*

*Inde nuptiali societati finis excelsior propositus.*

1. Trid. sess. XXIV, in pr. — 2. Trid. sess. XXIV, cap. 1 *de reform. matr.* — 3. Ad Ephes. v, 25 et seqq. — 4. I Cor. VII, 10, 11. — 5. Ibid. v, 39. — 6. Ad Eph. v, 32. — 7. Ad. Hebr. XIII, 4. — 8 Ad Eph. II, 19.

*utrique coniugum iura et officia definita,*

*nostri Christi cultum et religionem procrearetur atque educaretur* (1). — Secundo loco sua utrique coniugum sunt officia definita, sua iura integre descripta. Eos scilicet ipsos necesse est sic esse animo semper affectos, ut amorem maximum, constantem fidem, sollers assiduumque praesidium alteri alterum debere intelligant. — Vir est familiae princeps, et caput mulieris; quae tamen, quia caro est de carne illius et os de ossibus eius, subiiciatur pareatque viro, in morem non ancillae, sed sociae; ut scilicet obedientiae praestitae nec honestas, nec dignitas absit. In eo autem qui praeest, et in hac quae paret, cum imaginem uterque referant alter Christi, altera Ecclesiae, divina caritas esto perpetua moderatrix officii. Nam *vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae... Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus* (2). — Ad liberos quod pertinet, subesse et obtemperare parentibus, hisque honorem adhibere propter conscientiam debent; et vicissim in liberis tuendis atque ad virtutem potissimum informandis omnes parentum curas cogitationesque evigilare necesse est: *Patres..... educate illos* (filios) *in disciplina et correctione Domini* (3). Ex quo intelligitur, nec pauca esse coniugum officia, neque levia; ea tamen coniugibus bonis, ob virtutem quae Sacramento percipitur, non modo tolerabilia fiunt, verum etiam iucunda.

*item praescripta parentum in filios auctoritas, filiorum in parentes reverentia.*

*Matrimonii disciplinam Christus Ecclesiae commisit; haec autem potestatem divinitus acceptam constanter exercuit, suisque legibus nuptiarum sanctitati, incolumitati, decori consuluit.*

Christus igitur, cum ad talem ac tantam excellentiam matrimonia renovavisset, totam ipsorum disciplinam Ecclesiae credidit et commendavit. Quae potestatem in coniugia christianorum omni cum tempore, tum loco exercuit, atque ita exercuit, ut illam propriam eius esse appareret, nec hominum concessu quaesitam, sed auctoris sui voluntate divinitus adeptam. — Quot vero et quam vigiles curas in retinenda sanctitate nuptiarum collocarit, ut sua his incolumitas maneret, plus est cognitum quam ut demonstrari debeat: — et sane improbatos novimus Concilii Hierosolymitani sententia amores solutos et liberos (4); civem Corinthium incesti damnatum beati Pauli auctoritate (5);

1. Cath. Rom. Cap. VIII. — 2. Ad Eph. V, 23, 24. — 3. Ad Eph. VI, 4. — 4. Act. XV, 29. — 5. I Cor. V, 5.

propulsatos ac reiectos eodem semper tenore fortitudinis conatus plurimorum, matrimonium christianum hostiliter petentium, videlicet Gnosticorum, Manichaeorum, Montanistarum sub ipsa rei christianae primordia, nostra autem memoria Mormonum, Sansimonianorum, Phalansterianorum, Communistarum.—Simili modo ius matrimonii aequabile inter omnes atque unum omnibus est constitutum, vetere inter servos et ingenuos sublato discrimine (1); exaequata viri et uxoris iura; etenim, ut aiebat Hieronymus (2), *apud nos quod non licet feminis, aeque non licet viris, et eadem servitus pari conditione censetur:* atque illa eadem iura ob remunerationem benevolentiae et vicissitudinem officiorum stabiliter firmata; adserta et vindicata mulierum dignitas; vetitum viro poenam capitis de adultera sumere (3), iuratamque fidem libidinose atque impudice violare. — Atque illud etiam magnum est quod de potestate patrumfamilias Ecclesia, quantum oportuit, limitaverit, ne filiis et filiabus coniugii cupidis quidquam de iusta libertate minueretur (4); quod nuptias inter cognatos et affines certis gradibus nullas esse posse decreverit (5), ut nimirum supernaturalis coniugum amor latiore se campo diffunderet; quod errorem et vim et fraudem, quantum potuit, a nuptiis prohibenda curaverit (6); quod sanctam pudicitiam thalami, quod securitatem personarum (7), quod coniugiorum decus (8), quod religionis incolumitatem (9) sarcta tecta esse voluerit. Denique tanta vi, tanta providentia legum divinum istud institutum communiit, ut nemo sit rerum aequus existimator, quin intelligat, hoc etiam ex capite quod ad coniugia refertur, optimam esse humani generis custodem ac vindicem Ecclesiam; cuius sapientia et fugam temporum, et iniurias hominum, et rerum publicarum vicissitudines innumerabiles victrix evasit.

*10 FEBRUARII 1880.*

Sed, adnitente humani generis hoste, non desunt qui,

1. Cap. 1, *de coniug. serv.* — 2. Oper. tom. I, col. 455. — 3. Can. *Interfectores*, et Can. *Admonere*, quaest. 2. — 4. Cap. 30, quaest. 3 *de cognat. spirit.* — 5. Cap. 8, *de consang. et affin.*; cap. 1, *de cognat. legali.*—6. Cap. 26 *de sponsal.*; capp. 13, 15, 29, *de sponsal. et matrim.*, et alibi. — 7. Cap. 1 *de convers. infid.* ; capp. 5 et 6 *de eo qui duxit in matr.* — 8. Capp. 3, 5 et 8, *de sponsal. et matr.* Trid. sess. XXXIV, cap. 3 *de reform. matr.* — 9. Cap. 7, *de divort.*

*Matrimonium ab Ecclesiae auctoritate subtrahere conantur Rationalistae, illud ceu institutum mere humanum traducentes.*

sicut cetera redemptionis beneficia ingrate repudiant, sic restitutionem perfectionemque matrimonii aut spernunt, aut omnino non agnoscunt. — Flagitium nonnullorum veterum est, inimicos fuisse nuptiis in aliqua ipsarum parte; sed multo aetate nostra peccant perniciosius qui earum naturam, perfectam expletamque omnibus suis numeris et partibus, malunt funditus pervertere. Atque huius rei caussa in eo praecipue sita est, quod imbuti falsae philosophiae opinionibus corruptaque consuetudine animi plurimorum, nihil tam moleste fuerunt, quam subesse et parere; acerrimeque laborant, ut non modo singuli homines, sed etiam familiae atque omnis humana societas imperium Dei superbe contemnant. — Cum vero et familiae et totius humanae societatis in matrimonio fons et origo consistat, illud ipsum iurisdictioni Ecclesiae subesse nullo modo patiuntur; imo deiicere ab omni sanctitate contendunt, et in illarum rerum exiguum sane gyrum compellere, quae auctoribus hominibus institutae sunt, et iure civili populorum reguntur atque administrantur. Unde sequi necesse erat, ut principibus reipublicae ius in connubia omne tribuerent, nullum Ecclesiae esse decernerent; quae si quando potestatem eius generis exercuit, id ipsum esse aut indulgentia principum, aut iniuria factum. Sed iam tempus esse, inquiunt, ut qui rempublicam gerunt, iidem sua iura fortiter vindicent, atque omnem coniugiorum rationem arbitrio suo moderari aggrediantur. — Hinc illa nata, quae *matrimonia civilia* vulgo appellantur; hinc scitae leges de caussis, quae coniugiis impedimento sint; hinc iudiciales sententiae de contractibus coniugalibus, iure ne initi fuerint, an vitio. Postremo omnem facultatem in hoc genere iuris constituendi et dicendi videmus Ecclesiae catholicae praereptam tanto studio, ut nulla iam ratio habeatur nec divinae potestatis eius, nec providarum legum, quibus tamdiu vixere gentes, ad quas urbanitatis lumen cum christiana sapientia pervenisset.

*Verum ad ius Ecclesiae matrimonium spectare ostendunt:*

Attamen *Naturalistae* iique omnes qui reipublicae numen se maxime colere profitentes, malis hisce doctrinis totas civitates miscere nituntur, non possunt reprehensionem falsitatis effugere. Etenim cum matrimonium habeat Deum

auctorem, fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum. Quocirca Innocentius III (1) et Honorius III (2) decessores Nostri, non iniuria nec temere affirmare potuerunt, *apud fideles et infideles existere Sacramentum coniugii.* Testamur et monumenta antiquitatis, et mores atque instituta populorum, qui ad humanitatem magis accesserant et exquisitiore iuris et aequitatis cognitione praestiterant: quorum omnium mentibus informatum anticipatumque fuisse constat, ut cum de matrimonio cogitarent, forma occurreret rei cum religione et sanctitate coniunctae. Hanc ob caussam nuptiae apud illos non sine caeremoniis religionum, auctoritate pontificum, ministerio sacerdotum fieri saepe consueverunt. — Ita magnam in animis coelesti doctrina carentibus vim habuit natura rerum, memoria originum, conscientia generis humani! — Igitur cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium. — Deinde consideranda sacramenti dignitas est, cuius accessione matrimonia christianorum evasere longe nobilissima. De sacramentis autem statuere et praecipere, ita, ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis eius vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam. — Postremo magnum pondus est, magna vis historiae, qua luculenter docemur, potestatem legiferam et iudicialem, de qua loquimur, libere constanterque ab Ecclesia usurpari consuevisse iis etiam temporibus, quando principes reipublicae consentientes fuisse aut conniventes in ea re, inepte et stulte fingeretur. Illud enim quam incredibile, quam absurdum, Christum Dominum damnasse polygamiae repudiique inveteratam consuetudinem delegata sibi a procuratore provinciae vel a principe Iudaeorum potestate; similiter Paulum Apostolum divortia incestasque nuptias edixisse non licere, cedentibus aut tacite mandantibus Ti-

*10 FEBRUARII 1880.*

*ratio rei sacrae, quae ab institutione primaeva ipsi inest;*

*dignitas sacramenti, quae Christi voluntate addita est;*

*modus agendi ipsius Salvatoris, Apostolorum, Pontificum;*

1. Cap. 8, *de divort.* — 2. Cap. 11, *de transact.*

berio, Caligula, Nerone! Neque illud unquam homini sanae mentis potest persuaderi, de sanctitate et firmitudine coniugii (1), de nuptiis servos inter et ingenuas (2), tot esse ab Ecclesia conditas leges, impetrata facultate ab Imperatoribus romanis, inimicissimis nomini christiano, quibus nihil tam fuit propositum, quam vi et caede religionem Christi opprimere adolescentem: praesertim cum ius illud ab Ecclesia profectum a civili iure interdum adeo dissideret, ut Ignatius Martyr (3), Iustinus (4), Athenagoras (5) et Tertullianus (6), tamquam iniustas vel adulterinas publice traducerent nonnullorum nuptias, quibus tamen imperatoriae leges favebant. — Postea vero quam ad christianos Imperatores potentatus omnis reciderat, Pontifices maximi et Episcopi in Concilia congregati, eadem semper cum libertate conscientiaque iuris sui, de matrimoniis iubere vetare perseverarunt quod utile esse, quod expedire temporibus censuissent, utcumque discrepans ab institutis civilibus videretur. Nemo ignorat quam multa de impedimentis ligaminis, voti, disparitatis cultus, consanguinitatis, criminis, publicae honestatis in Conciliis Illiberitano (7), Arelatensi (8), Chalcedonensi (9), Milevitano II (10) aliisque, fuerint ab Ecclesiae praesulibus constituta, quae a decretis iure imperatorio sancitis longe saepe distarent. — Quin tantum abfuit, ut viri principes sibi adsciscerent in matrimonia christiana potestatem, ut potius eam, quanta est, penes Ecclesiam esse agnoscerent et declararent. Revera Honorius, Theodosius iunior, Iustinianus (11) fateri non dubitarunt, in iis rebus quae nuptias attingant, non amplius quam custodibus et defensoribus sacrorum canonum sibi esse licere. Et de connubiorum impedimentis si quid per edicta sanxerunt, caussam docuerunt non inviti, nimirum id sibi sumpsisse ex Ecclesiae permissu atque auctoritate (12); cuius ipsius iudicium exquirere et reverenter accipere consueverunt in controversiis de honestate natalium (13), de

*consensus principum.*

1. Can. Apost., 16, 17, 18. — 2. Philosophum. Oxon., 1851. — 3. *Epist. ad Polycarp.*, cap. 5. — 4. *Apolog.*, mai. n. 15. — 5. *Legat. pro Christian.*, nn. 32, 33. — 6. *De coron. milit.*, cap. 13. — 7. De Aguirre, *Conc. Hispan.*, tom. I. can. 13, 15, 16, 17. — 8. Harduin., *Act. Concil.*, tom. I, can. 11. — 9. Ibid., can. 16. — 10. Ibid. can. 17. — 11. Novel. 137. — 12. Fejer, *Matrim. ex instit. Christ.* Pest. 1835. — 13. Cap. 3, *de ordin. cognit.*

divortiis (1), denique de rebus omnibus cum coniugali vinculo necessitudinem quoquo modo habentibus (2). — Igitur iure optimo in Concilio Tridentino definitum est in Ecclesiae potestate esse *impedimenta matrimonium dirimentia constituere* (3), *et caussas matrimoniales ad iudices ecclesiasticos spectare* (4). *10 FEBRUARII 1880.*

*In matrimonio christiano contractus a sacramento disiungi nequit.*

Neque quemquam moveat illa tantopere a Regalistis praedicata distinctio, vi cuius contractum nuptialem a sacramento disiungunt, eo sane consilio, ut, Ecclesiae reservatis sacramenti rationibus, contractum tradant in potestatem arbitriumque principum civitatis. — Etenim non potest huiusmodi distinctio, seu verius distractio, probari; cum exploratum sit in matrimonio christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem; atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum. Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus iure. — Huc accedit, quod ob hanc caussam matrimonium est sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam, et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia. Istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur summae coniunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se conligantur, quodque aliud nihil est, nisi ipsum matrimonium. Itaque apparet, omne inter christianos iustum coniugium in se et per se esse sacramentum: nihilque magis abhorrere a veritate, quam esse sacramentum decus quoddam adiunctum, aut proprietatem allapsam extrinsecus, quae a contractu disiungi ac disparari hominum arbitratu queat. — Quapropter nec ratione efficitur, nec teste temporum historia comprobatur potestatem in matrimonia christianorum ad principes reipublicae esse iure traductam. Quod si hac in re alienum violatum ius est, nemo profecto dixerit esse ab Ecclesia violatum.

*Mala ex profanatis coniugiis profluentia*

Utinam vero Naturalistarum oracula, ut sunt plena falsitatis et iniustitiae, ita non etiam essent fecunda detrimentorum et calamitatum. Sed facile est pervidere quantam

1. Cap. 3, *de divort.* — 2. Cap. 13, *qui filii sint legit.* — 3. Trid. sess. XXIV, can. 4. — 4. Ibid., can. 12.

profanata coniugia perniciem attulerint; quantam allatura sint universae hominum communitati. — Principio quidem lex est provisa divinitus, ut quae Deo et natura auctoribus instituta sunt, ea tanto plus utilia ac salutaria experiamur, quanto magis statu nativo manent integra atque incommutabilia; quandoquidem procreator rerum omnium Deus probe novit quid singularum institutioni et conservationi expediret, cunctasque voluntate et mente sua sic ordinavit, ut suum unaquaeque exitum convenienter habitura sit. At si rerum ordinem providentissime constitutum immutare et perturbare hominum temeritas aut improbitas velit, tum vero etiam sapientissime atque utilissime instituta aut obesse incipiunt, aut prodesse desinunt, vel quod vim iuvandi mutatione amiserint, vel quod tales Deus ipse poenas malit de mortalium superbia atque audacia sumere. Iamvero qui sacrum esse matrimonium negant, atque omni despoliatum sanctitate in rerum profanarum coniiciunt genus, ii pervertunt fundamenta naturae, et divinae providentiae tum consiliis repugnant, tum instituta, quantum potest, demoliuntur. Quapropter mirum esse non debet, ex huiusmodi conatibus insanis atque impiis eam generari malorum segetem, qua nihil est saluti animorum, incolumitatique reipublicae perniciosius.

Si consideretur quorsum matrimoniorum pertineat divina institutio, id erit evidentissimum, includere in illis voluisse Deum utilitatis et salutis publicae uberrimos fontes. Et sane, praeter quam quod propagationi generis humani prospiciunt, illuc quoque pertinent, ut meliorem vitam coniugum beatioremque efficiant; idque pluribus caussis, nempe mutuo ad necessitates sublevandas adiumento, amore constanti et fideli, communione omnium bonorum, gratia coelesti, quae a sacramento proficiscitur. Eadem vero plurimum possunt ad familiarum salutem; nam matrimonia quamdiu sint congruentia naturae, Deique consiliis apte conveniant, firmare profecto valebunt animorum concordiam inter parentes, tueri bonam institutionem liberorum, temperare patriam potestatem proposito divinae potestatis exemplo, filios parentibus, famulos heris facere obedientes.

Ab eiusmodi autem coniugiis expectare civitates iure possunt genus et sobolem civium qui probe animati sint, Deique reverentia atque amore assueti, sui officii esse ducant iuste et legitime imperantibus obtemperare, cunctos diligere, laedere neminem. *10 FEBRUARII 1880.*

Hos fructus tantos ac tam praeclaros tamdiu matrimonium revera genuit, quamdiu munera sanctitatis, unitatis, perpetuitatisque retinuit,a quibus vim omnem accipit frugiferam et salutarem ; neque est dubitandum similes paresque ingeneraturum fuisse,si semper et ubique in potestatem fidemque fuisset Ecclesiae, quae illorum munerum est fidissima conservatrix et vindex. — Sed quia modo passim libuit humanum ius in locum naturalis et divini supponere, deleri non solum coepit matrimonii species ac notio praestantissima, quam in animis hominum impresserat et quasi consignaverat natura; sed in ipsis etiam Christianorum coniugiis, hominum vitio, multum vis illa debilitata est magnorum bonorum procreatrix. Quid est enim boni quod nuptiales afferre possint societates, unde abscedere christiana religio iubetur, quae parens est omnium bonorum, maximasque alit virtutes, excitans et impellens ad decus omne generosi animi atque excelsi ? Illa igitur semota ac reiecta, redigi nuptias oportet in servitutem vitiosae hominum naturae et pessimarum dominarum cupiditatum, honestatis naturalis parum valido defensas patrocinio. Hoc fonte multiplex derivata pernicies, non modo in privatas familias, sed etiam in civitates influxit. Etenim salutari depulso Dei metu, sublataque curarum levatione, quae nusquam alibi est quam in religione christiana maior, persaepe fit, quod est factu proclive, ut vix ferenda matrimonii munera et officia videantur ; et liberari nimis multi vinculum velint, quod iure humano et sponte nexum putant, si dissimilitudo ingeniorum, aut discordia, aut fides ab alterutro violata, aut utriusque consensus, aliaeve caussae liberari suadeant oportere. Et si forte satisfieri procacitati voluntatum lege prohibeatur, tum iniquas clamant esse leges, inhumanas, cum iure civium liberorum pugnantes; quapropter omnino videndum ut, illis antiquatis abrogatisque, licere divortia humaniore lege decernatur.

*unde devenitur ad legem divortii,*

Nostrorum autem temporum legumlatores, cum eorumdem iuris principiorum tenaces se ac studiosos profiteantur, ab illa hominum improbitate, quam diximus, se tueri non possunt, etiamsi maxime velint: quare cedendum temporibus ac divortiorum concedenda facultas. — Quod historia idem ipsa declarat. Ut enim alia praetereamus, exeunte saeculo superiore, in illa non tam perturbatione quam deflagratione Galliarum, cum societas omnis, amoto Deo, profanaretur, tum demum placuit ratas legibus esse coniugum discessiones. Easdem autem leges renovari hoc tempore multi cupiunt, propterea quod Deum et Ecclesiam pelli e medio ac submoveri volunt a societate coniunctionis humanae; stulte putantes extremum grassanti morum corruptelae remedium ab eiusmodi legibus esse quaerendum.

*quae novorum malorum foecunda parens est,*

At vero quanti materiam mali in se divortia contineant, vix attinet dicere. Eorum enim caussa fiunt maritalia foedera mutabilia; extenuatur mutua benevolentia; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur; dissuendis societatibus domesticis praebetur occasio; discordiarum inter familias semina sparguntur; minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt, ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. — Et quoniam ad perdendas familias, frangendasque regnorum opes nihil tam valet, quam corruptela morum, facile perspicitur, prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia, quae a depravatis populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum usu, ad vitiosiores vitae privatae et publicae consuetudines aditum ianuamque patefaciunt. — Multoque esse graviora haec mala constabit, si consideretur, frenos nullos futuros tantos, qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos, aut ante provisos, limites coercere. Magna prorsus est vis exemplorum, maior cupiditatum: hisce incitamentis fieri debet, ut divortiorum libido latius quotidie serpens plurimorum animos invadat, quasi morbus contagione vulgatus, aut agmen aquarum, superatis aggeribus, exundans.

*ut testis est omnium temporum experientia.*

Haec certe sunt omnia per se clara; sed renovanda rerum gestarum memoria fiunt clariora. — Simul ac iter divortiis

tutum lege praestari coepit, dissidia, simultates, secessiones plurimum crevere ; et tanta est vivendi turpitudo consecuta, ut eos ipsos, qui fuerant talium discessionum defensores, facti poenituerit ; qui nisi contraria lege remedium mature quaesissent, timendum erat, ne praeceps in suam ipsa perniciem respublica dilaberetur. — Romani veteres prima divortiorum exempla dicuntur inhorruisse ; sed non longa mora sensus honestatis in animis obstupescere, moderator cupiditatis pudor interire, fidesque nuptialis tanta cum licentia violari coepit, ut magnam verisimilitudinem habere videatur quod a nonnullis scriptum legimus, mulieres non mutatione consulum, sed maritorum enumerare annos consuevisse. — Pari modo apud Protestantes principio quidem leges sanxerant, ut divortia fieri liceret certis de caussis, iisque non sane multis : istas tamen propter rerum similium affinitatem, compertum est in tantam multitudinem excrevisse apud Germanos, Americanos, aliosque, ut qui non stulte sapuissent, magnopere deflendam putarint infinitam morum depravationem, atque intolerandam legum temeritatem. — Neque aliter se res habuit in civitatibus catholici nominis : in quibus si quando datus est coniugiorum discidiis locus, incommodorum, quae consecuta sunt, multitudo opinionem legislatorum longe vicit. Nam scelus plurimorum fuit, ad omnem malitiam fraudemque versare mentem, ac per saevitiam adhibitam, per iniurias, per adulteria fingere caussas ad illud impune dissolvendum, cuius pertaesum esset coniunctionis maritalis vinculum : idque cum tanto publicae honestatis detrimento, ut operam emendandis legibus quamprimum dari omnes iudicaverint oportere. — Et quisquam dubitabit, quin exitus aeque miseros et calamitosos habiturae sint leges divortiorum fautrices, sicubi forte in usum aetate nostra revocentur? Non est profecto in hominum commentis vel decretis facultas tanta, ut immutare rerum naturalem indolem conformationemque possint : quapropter parum sapienter publicam felicitatem interpretantur, qui germanam matrimonii rationem impune perverti posse putant ; et, qualibet sanctitate cum religionis tum Sacramenti posthabita, diffingere ac deformare coniugia turpius

*10 FEBRUARII 1880.*

velle videntur, quam ipsa ethnicorum instituta consuevissent. Ideoque nisi consilia mutentur, perpetuo sibi metuere familiae et societas humana debebunt, ne miserrime coniiciantur in illud rerum omnium certamen atque discrimen, quod est Socialistarum ac Communistarum flagitiosis gregibus iamdiu propositum. — Unde liquet quam absonum et absurdum sit publicam salutem a divortiis expectare, quae potius in certam societatis perniciem sunt evasura.

*Ecclesia sanctitati et perpetuitati coniugiorum prospiciendo bene merita est de communi populorum bono.*

Igitur confitendum est, de communi omnium populorum bono meruisse optime Ecclesiam catholicam, sanctitati et perpetuitati coniugiorum tuendae semper intentam; nec exiguam ipsi gratiam deberi, quod legibus civicis centum iam annos in hoc genere multa peccantibus palam reclamaverit (1); quod haeresim deterrimam Protestantium de divortiis et repudiis anathemate perculerit (2); quod usitatam graecis diremptionem matrimoniorum multis modis damnaverit (3); quod irritas esse nuptias decreverit ea conditione initas ut aliquando dissolvantur (4); quod demum vel a prima aetate leges imperatorias repudiarit, quae divortiis et repudiis perniciose favissent (5). — Pontifices vero maximi quoties restiterunt principibus potentissimis, divortia a se facta ut rata Ecclesiae essent minaciter petentibus, toties existimandi sunt non modo pro incolumitate religionis, sed etiam pro humanitatis gentium propugnavisse. Quam ad rem omnis admirabitur posteritas invicti animi documenta a Nicolao I edita adversus Lotharium; ab Urbano II et Paschali II adversus Philippum I regem Galliarum; a Coelestino III et Innocentio III adversus Philippum II principem Galliarum; a Clemente VII et Paulo III adversus Henricum VIII; denique a Pio VII sanctissimo fortissimoque Pontifice adversus Napoleonem I, secundis rebus et magnitudine imperii exultantem.

Quae cum ita sint, omnes gubernatores administrato-

1. Pius VI, epist. ad Episc. Lucion. 28 maii 1793. — Pius VII, litter. encycl. die 17 febr. 1809, et Const. dat. die 19 iul. 1817. — Pius VIII, litter. encycl. die 29 maii 1829. — Gregorius XVI, Const. dat. die 15 augusti 1832. — Pius IX, alloc. habit. die 22 sept. 1852. — 2. Trid. sess. XXIV, can. 5 et 7. — 3. Concil. Floren., et Instr. Eug. IV ad Armenos. — Bened. XIV, Const. *Etsi pastoralis*, 6 maii 1742. — 4. Cap. 7 *de condit. appos.* — 5. Hieron., epist. 79 ad Ocean. — Ambros., lib. VIII in cap. XVI Lucae, n. 5. — August. *de nuptiis*, cap. 10.

resque rerum publicarum, si rationem sequi, si sapientiam, si ipsam populorum utilitatem voluissent, malle debuerant sacras de matrimonio leges intactas manere, oblatumque Ecclesiae adiumentum in tutelam morum prosperitatemque familiarum adhibere, quam ipsam vocare Ecclesiam in suspicionem inimicitiae, et in falsam atque iniquam violati iuris civilis insimulationem.

*10 FEBRUARII 1880.*

Eoque magis, quod Ecclesia catholica, ut in re nulla potest ab religione officii et defensione iuris sui declinare, ita maxime solet esse ad benignitatem indulgentiamque proclivis in rebus omnibus, quae cum incolumitate iurium et sanctitate officiorum suorum possunt una consistere. Quam ob rem nihil unquam de matrimoniis statuit, quin respectum habuerit ad statum communitatis, ad conditiones populorum; nec semel suarum ipsa legum praescripta, quoad potuit, mitigavit, quando ut mitigaret caussae iustae et graves impulerunt. — Item non ipsa ignorat neque diffitetur, sacramentum matrimonii, cum ad conservationem quoque et incrementum societatis humanae dirigatur, cognationem et necessitudinem habere cum rebus ipsis humanis, quae matrimonium quidem consequuntur, sed in genere civili versantur: de quibus rebus iure decernunt et cognoscunt qui rei publicae praesunt.

*Civili potestati Ecclesia minime adversatur, quin potius eam magnopere iuvat.*

Nemo autem dubitat, quin Ecclesiae conditor IESUS CHRISTUS potestatem sacram voluerit esse a civili distinctam, et ad suas utramque res agendas liberam atque expeditam; hoc tamen adiuncto, quod utrique expedit, et quod interest omnium hominum, ut coniunctio inter eas et concordia intercederet, in iisque rebus quae sint, diversa licet ratione, communis iuris et iudicii, altera, cui sunt humana tradita, opportune et congruenter ab altera penderet, cui sunt coelestia concredita. Huiusmodi autem compositione, ac fere harmonia, non solum utriusque potestatis optima ratio continetur, sed etiam opportunissimus atque efficacissimus modus iuvandi hominum genus in eo quod pertinet ad actionem vitae et ad spem salutis sempiternae. Etenim sicut hominum intelligentia, quemadmodum in superioribus Encyclicis Litteris ostendimus, si cum fide christiana

*Optanda utriusque potestatis concordia.*

conveniat, multum nobilitatur multoque evadit ad vitandos ac repellendos errores munitior, vicissimque fides non parum praesidii ab intelligentia mutuatur ; sic pariter, si cum sacra Ecclesiae potestate civilis auctoritas amice congruat, magna utrique necesse est fiat utilitatis accessio. Alterius enim amplificatur dignitas, et, religione praeeunte, numquam erit non iustum imperium : alteri vero adiumenta tutelae et defensionis in publicum fidelium bonum suppeditantur.

*Principi- auxilium suum offert Pontifex.*

Nos igitur, harum rerum consideratione permoti, cum studiose alias, tum vehementer in praesenti viros principes in concordiam atque amicitiam iungendam iterum hortamur ; iisdemque paterna cum benevolentia veluti dexteram primi porrigimus, oblato supremae potestatis Nostrae auxilio, quod tanto magis est hoc tempore necessarium, quanto ius imperandi plus est in opinione hominum, quasi accepto vulnere, debilitatum. Incensis iam procaci libertate animis, et omne imperii, vel maxime legitimi, iugum nefario ausu detrectantibus, salus publica postulat, ut vires utriusque potestatis consocientur ad prohibenda damna, quae non modo Ecclesiae, sed ipsi etiam civili societati impendent.

*Episcopi vero fidelibus studeant inculcare*

Sed cum amicam voluntatum coniunctionem valde suademus, precamurque Deum, principem pacis, ut amorem concordiae in animos cunctorum hominum iniiciat, tum temperare Nobis ipsi non possumus, quin Vestram industriam, Venerabiles Fratres, Vestrum studium ac vigilantiam, quae in Vobis summa esse intelligimus, magis ac magis hortando incitemus. Quantum contentione assequi, quantum auctoritate potestis, date operam, ut apud gentes fidei Vestrae commendatas integra atque incorrupta doctrina retineatur, quam Christus Dominus et coelestis voluntatis interpretes Apostoli tradiderunt, quamque Ecclesia catholica religiose ipsa servavit, et a Christifidelibus servari per omnes aetates iussit.

*matrimonii divinam originem, supernaturalem dignitatem, unitatem et perpetuitatem.*

Praecipuas curas in id insumite, ut populi abundent praeceptis sapientiae christianae, semperque memoria teneant matrimonium non voluntate hominum, sed auctoritate nutuque Dei fuisse initio constitutum, et hac lege prorsus ut sit unius ad unam : Christum vero novi Foederis auctorem

illud ipsum ex officio naturae in Sacramenta transtulisse, et quod ad vinculum spectat, legiferam et iudicialem Ecclesiae suae adtribuisse potestatem. Quo in genere cavendum magnopere est, ne in errorem mentes inducantur a fallacibus conclusionibus adversariorum, qui eiusmodi potestatem ademptam Ecclesiae vellent. — Similiter omnibus exploratum esse debet, si qua coniunctio viri et mulieris inter Christifideles citra Sacramentum contrahatur, eam vi ac ratione iusti matrimonii carere ; et quamvis convenienter legibus civicis facta sit, tamen pluris esse non posse, quam ritum aut morem, iure civili introductum ; iure autem civili res tantummodo ordinari atque administrari posse, quas matrimonia efferunt ex sese in genere civili, et quas gigni non posse manifestum est, nisi vera et legitima illarum caussa, scilicet nuptiale vinculum, existat. — Haec quidem omnia probe cognita habere maxime sponsorum refert, quibus etiam probata esse debent et notata animis, ut sibi liceat hac in re morem legibus gerere ; ipsa non abnuente Ecclesia, quae vult atque optat ut in omnes partes salva sint matrimoniorum effecta, et ne quid liberis detrimenti afferatur. — In tanta autem confusione sententiarum, quae serpunt quotidie longius, id quoque est cognitu necessarium, solvere vinculum coniugii inter christianos rati et consummati nullius in potestate esse ; ideoque manifesti criminis reos esse, si qui forte coniuges, quaecumque demum caussa esse dicatur, novo se matrimonii nexu ante implicare velint, quam abrumpi primum morte contigerit. — Quod si res eo devenerint, ut convictus ferri diutius non posse videatur, tum vero Ecclesia sinit alterum ab altera seorsum agere, adhibendisque curis ac remediis ad coniugum conditionem accommodatis, lenire studet secessionis incommoda ; nec umquam committit, ut de reconcilianda concordia aut non laboret aut desperet. — Verum haec extrema sunt ; quo facile esset non descendere, si sponsi non cupiditate acti, sed praesumptis cogitatione tum officiis coniugum, tum caussis coniugiorum nobilissimis, ea qua aequum est mente ad matrimonium accederent ; neque nuptias anteverterent continuatione quadam serieque flagitiorum, irato Deo. Et

*10 FEBRUARII 1880.*

ut omnia paucis complectamur, tunc matrimonia placidam quietamque constantiam habitura sunt, si coniuges spiritum vitamque hauriant a virtute religionis, quae forti invictoque animo esse tribuit; quae efficit ut vitia, si qua sint in personis, ut distantia morum et ingeniorum, ut curarum maternarum pondus, ut educationis liberorum operosa sollicitudo, ut comites vitae labores, ut casus adversi non solum moderate, sed etiam libenter perferantur.

*Vitanda matrimonia mixta.* Illud etiam cavendum est, ne scilicet coniugia facilè appetantur cum alienis a catholico nomine: animos enim de disciplina religionis dissidentes vix sperari potest futuros esse cetera concordes. Quin imo ab eiusmodi coniugiis ex eo maxime perspicitur esse abhorrendum, quod occasionem praebent vetitae societati et communicationi rerum sacrarum, periculum religioni creant coniugis catholici, impedimento sunt bonae institutioni liberorum, et persaepe animos impellunt, ut cunctarum religionum aequam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine. — Postremo loco, cum probe intelligamus, alienum esse a caritate Nostra neminem oportere, auctoritati, fidei et pietati Vestrae, Venerabiles Fratres, illos commendamus, valde quidem miseros, qui aestu cupiditatum abrepti, et salutis suae planè immemores contra fas vivunt, haud legitimi matrimonii vinculo coniuncti. In his ad officium revocandis hominibus Vestra solers industria versetur: et cum per Vos ipsi, tum interposita virorum bonorum opera, modis omnibus contendite, ut sentiant se flagitiose fecisse, agant nequitiae poenitentiam, et ad iustas nuptias ritu catholico ineundas animum inducant.

Haec de matrimonio christiano documenta ac praecepta, quae per has litteras Nostras Vobiscum, Venerabiles Fratres, communicanda censuimus, facile videtis, non minus ad conservationem civilis communitatis, quam ad salutem hominum sempiternam magnopere pertinere. — Faxit igitur Deus ut quanto plus habent illa momenti et ponderis, tanto dociles promptosque magis ad parendum animos ubique nanciscatur. Huius rei gratia, supplice atque humili prece omnes pariter opem imploremus beatae Mariae Virginis Immacu-

latae, quae, excitatis mentibus ad obediendum fidei, matrem se et adiutricem hominibus impertiat. Neque minore studio Petrum et Paulum obsecremus, Principes Apostolorum, domitores superstitionis, satores veritatis, ut ab eluvione renascentium errorum humanum genus firmissimo patrocinio tueantur.

*10 FEBRUARII 1880.*

Interea coelestium munerum auspicem et singularis benevolentiae Nostrae testem, Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, et populis vigilantiae Vestrae commissis, Apostolicam Benedictionem ex animo impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 10 februarii an. 1880, Pontificatus Nostri anno secundo.

LEO PP. XIII.

# EPISTOLA

## Ad Archiepiscopum Coloniensem

## DE RECUPERANDA ECCLESIAE LIBERTATE IN IMPERIO GERMANICO.

*24 FEBRUARII 1880.*

LIBENTI prorsus animo perlegimus commentarium a Te nuper editum in Nostras encyclicas litteras, quibus socialismi mala deploravimus. Opportunam sane ac utilem Te operam impendisse putamus, Venerabilis Frater, in declarandis salutaribus documentis et paternis monitis, quae, catholicae Ecclesiae doctrinam explicantes, hac super re superiore anno tradidimus. Gravis enim et perniciosa socialismi pestis quae in dies magis serpit, et rectum populorum sensum alte corrumpit, cum inde vim suam nanciscatur, quod lux aeternarum veritatum in mentibus plurimorum hominum velut errorum tenebris obscuratur, et immutabiles morum regulae quas christiana disciplina tradit reiiciuntur, nunquam profecto compesci et sisti poterit, nisi in eorum qui decepti sunt animos supremae iusti honestique rationes revocentur. Hae quidem, coelesti gratia adiuvante, vim habent, ut corruptas mala libidine voluntates ad saniora consilia convertant, et tum singulos homines, tum populos ipsos ad officium colendum et ad virtutis semitam terendam adducant. — Cum autem praeclarum hoc munus Ecclesiae suae Christus demandaverit, eidem vim etiam attribuit virtutemque infudit tanto muneri explendo omnino parem. — Quod quidem et omnes orbis terrarum nationes testantur, quas Christi Ecclesia ex errorum tenebris erutas, ad evangelicae veritatis lucem traduxit.— Hoc ipsum salutare munus assidue colere et perficere Nostri potissimum officii est, Venerabilis Frater. Nam licet aetate hac Nostra in artibus quae ad vitae cultum pertinent, et in naturalibus scientiis tam admirabilis incredibilisque progressio, nemine diffitente, facta sit, tamen morum depravatio triste in dies incrementum capit. Et cum probe noscamus, historia etiam superiorum saeculorum

*Sola Ecclesia doctrina, quam a Christo accepit, socialismi malo remedium afferre potest;*

*ut autem salutare munus suum exerceat, libertate eget.*

edocti, non artium et scientiarum naturalium progressum, sed studium quod ad cognoscendam et implendam Christi legem confertur, deviis gentibus saluti esse, easque ab exitio prohibere, vehementer desideramus Christi Ecclesiam sua libertate ubique frui, ut salutarem huius legis doctrinam tradere gentibus possit, earum corda ad illius amorem excitare, eiusque vim sacerdotali ministerio ita fovere, ut in animis hominum uberrimos fructus operetur.

*Speratur talis libertas Ecclesiae germanicae reddenda.*

Atque hoc maiorem in modum optamus, Venerabilis Frater, ad illustris tuae Patriae prosperitatem et bonum, quam potissimum sancti Bonifacii labores olim Christo adiunxerunt, ac plurimorum martyrum sanguis et praeclarae sanctorum virorum virtutes fecundarunt, qui nunc coelestis regni gloria fruuntur. — Alter iam vertitur annus cum tuas tuorumque fidelium preces Nostris coniungi postulavimus, ut dives in misericordia Deus, Nostris annuens votis, optatissimae libertati in Germanorum imperio Ecclesiam feliciter redonaret. Nondum contigit Nobis ut voti compotes essemus ; at firma spe nitimur, divina ope suffragante, curas Nostras optatum exitum habituras. Sensim ac paullatim vanae suspiciones et quae inde oriri solet iniusta contra Ecclesiam aemulatio, labentur et corruent : atque ii qui publicis ibi praesunt rebus, aequo bonoque animo factorum rationem intuentes, facile intelligent non eos Nos esse, qui in aliena iura involemus, et inter sacram et politicam potestatem stabilem constare posse concordiam, dummodo utrimque seu pacis conservandae seu reconciliandae, ubi opus fuerit, voluntas amica non desit. Hoc Nos animo, hac voluntate esse, Tibi Venerabilis Frater, et omnibus Germaniae fidelibus compertum plane et exploratum est ; imo hanc voluntatem ita firmam fovemus, ut bona prospicientes in salutem animarum et in publicum ordinem inde oritura, Tibi declarare non dubitemus, Nos huius concordiae maturandae caussa passuros, ut Borussico Gubernio ante canonicam institutionem nomina exhibeantur sacerdotum illorum, quos Ordinarii Dioecesium ad gerendam animarum curam in partem suae sollicitudinis vocant.

*Bonae suae voluntatis pignus Pontifex ultro offert.*

Fervidis interea precibus instemus, Venerabilis Frater, ut

Dominus noster JESUS CHRISTUS corda omnium movere dignetur, ac propitius perficere, ut sua quisque studia pro sui muneris ratione conferat ad Regnum Eius, non in animis singulorum solum, sed in universa hominum societate instaurandum.

Sit demum auspex omnium gratiarum et pignus praecipuae dilectionis Nostrae Apostolica Benedictio, quam Tibi, Venerabilis Frater, et universo cui praesides gregi peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 24 februarii 1880.

Pontificatus Nostri anno tertio.

# ALLOCUTIO

## Ad catholicos Scientiarum Cultores

## DE NECESSARIO STUDIO PHILOSOPHIAE S. THOMAE.

*7 Martii 1880.*

PERGRATUS Nobis perque iucundus est conspectus vester, dilecti filii, in omni scientiarum genere praeclari ac nobiles, qui hodierno die, sacro ob memoriam Thomae Aquinatis Doctoris Angelici, laudabili sane consilio huc confluxistis, ut huic Apostolicae Sedi et communi christianorum Parenti ac Magistro obsequium et observantiam praesentes significaretis. — Quae autem vestro omnium nomine sunt ab eximio viro, qui vobis praeest, tam amanter sapienterque dicta, ea animo Nostro non mediocrem consolationem afferunt. Laetandum est enim, et Deo gratiae singulares agendae, quod tanta sit praestantissimorum hominum multitudo, quibus suprema lex est doctrinae laudem cum religionis amore coniungere, atque humanitatis artes ita excolere, ut divinam JESU CHRISTI Ecclesiaeque auctoritatem pari studio venerentur. — Itaque gratulamur sapientiae, gratulamur virtuti vestrae, dilecti filii, qui re ipsa profitemini obedientiam fidei christianae praestitam rationis humanae dignitati nihil obesse, prodesse autem plurimum ; quoniam homines tunc veritatem melius intuentur et securius assequuntur, si mentibus discendi cupidis divina fides, quasi face, praeluxerit.

*Obedientia fidei nihil obest humanae rationis dignitati.*

Quod quidem qui aut infitiantur aut omnino non intelligunt, eos dolendum est in re maxima errare. Multos equidem esse videmus, qui veritates divinitus traditas parvipendunt, vel prorsus reiiciunt, propterea quod cum effatis humanarum scientiarum ac recentioribus placitis eas componi non posse existimant ; atque ipsam Ecclesiae divinam potestatem acriter adoriuntur, quod eam iuribus civili societati recens adsertis, principum maiestati et populorum prosperitati inimicam arbitrantur.

*Multorum error existimantium veritates revelatas cum effatis scientiarum componi non posse.*

Quorum caussam errorum si quis paullo diligentius

*Erroris causa est in neglectis vel perversis altioribus disciplinis.*

investigaverit, in eo potissimum sitam esse intelliget, quod nostris hisce temporibus, quanto rerum naturalium studia vehementius fervent, tanto magis severiores altioresque disciplinae defloruerint : quaedam enim fere in oblivione hominum conticescunt ; quaedam remisse leviterque tractantur, et quod indignum est, splendore pristinae dignitatis deleto, pravitate sententiarum et immanibus opinionum portentis inficiuntur. — Hinc in plurimorum mentibus maximarum veritatum lumen quasi restinctum : hinc in privatos homines non solum, sed in ipsas res publicas communis derivata pernicies. Ipsa iuris novi, ut vocant, principia, quae sibi plurimum infesta passim experiuntur civitates, splendidis quibusdam inanis philosophiae mendaciis nituntur. Exemplo sit principatus exlex humanae intelligentiae tributus ; aequata veri falsique iura ; cunctarum religionum par habita ratio ; effrenata libertas seu verius quidlibet audendi potestas, cuius vel in cogitando vel in agendo expertem esse neminem prorsus volunt.

*Remedium habetur in sana solidaque philosophia,*

Igitur in tanta perturbatione animorum et confusione rerum, opportunissimum sane remedium homini suppetit in sana solidaque philosophia, si sapienter studioseque excolatur. Hanc enim maxime natam aptamque esse apparet tum deiiciendis erroribus insanienti nostrorum temporum sapientia partis, tum contra stabiliendis firmiter ordinis, aequitatis, iustitiae fundamentis, quibus tranquillitas reipublicae, salus populorum, germana gentium humanitas continentur.

*nempe S. Thomae.*

De huius philosophiae instaurandae necessitate, plura, ut nostis, elocuti sumus superiore anno in Litteris Nostris Encyclicis, ad universos orbis Episcopos datis. — Quibus etiam ediximus planeque demonstravimus, optimam philosophandi formam eam esse, quae ingenio studioque sancti Thomae Aquinatis, totius sapientiae veteris opibus conquisitis, ad immortalitatem est elaborata ; quaeque per omnes insequentes aetates summam cultoribus suis laudem decusque comparavit, et magnorum per Europam Lyceorum gloriam, omniumque scientiarum incrementa provexit.

At enim, sancti Thomae et Scolasticorum doctrinam in honorem revocantes, retrahere homines velle dicimur ad

superiorum saeculorum parum adultam urbanitatem, tamquam Nos maturitatis et perfectionis aevi nostri pigeret. — Quid tandem? Exemplar proponimus in quo quid virtus, quid sapientia possit splendidissime elucet; virum nempe humanis divinisque disciplinis ad plenum imbutum tot saeculis insigni memoria cultum, Ecclesiae praeconiis Romanorumque Pontificum celebratum oraculis, Angelicis ipsis mentibus exaequatum. — Nonne simili omnino ratione litterarum atque ingenuarum artium studiosis non invidetur, sed inservitur, cum magistri artificesque perveteres, in aliquo genere excellentes, ad imitandum proponuntur? *7 MARTII 1880.*

Quapropter cum vos, solemni hoc die, quædam a Nobis documenta expostuletis, accipite haec breviter, dilecti filii, haud equidem nova, magni tamen momenti maximeque opportuna.

*Fidei et scientiae concordia necessaria*

Scilicet, fidei christianae ut plurimum debet philosophia, ita opem ferre, quantum potest, maxime studeat. — Huic illa infensa nec fuit unquam, nec esse potest; fidei enim et rationis parens atque auctor Deus sic utramque temperavit ut societate et quadam cognatione, inter se continerentur. — Ex quo factum est, ut in alendis excitandisque scientiarum studiis Ecclesia catholica primas sibi partes semper vindicaverit.

*in scriptis S. Thomae maxime apparet.*

Huiusmodi autem perfecta fidei intelligentiaeque concordia facile nusquam melius apparet, quam in libris a principe philosophorum Thoma Aquinate exaratis. — Date igitur operam, ut ad plures quotidie pertineat tanti magistri disciplina; atque in eius pervestigatione doctrinae hanc vobis ipsi legem dicite, ut talem amplectamini sententiam, qualis ex illius admirabili proprietate et perspicuitate sermonis sponte emineat, non qualem praeiudicata aliqua opinio, a communibus et probatioribus aliena, forte suaserit.

*Exemplo S. Thomae studio scientiarum naturalium sedulo incumbendum.*

Tandem, sancti Thomae Aquinatis et in hoc exemplum secuti, in rerum naturalium consideratione strenue adlaboretis; quo in genere nostrorum temporum ingeniose inventa et utiliter ausa, sicut iure admirantur aequales, sic posteri perpetua commendatione et laude celebrabunt. — In quibus tamen excolendis scientiarum artibus, illorum morem defu-

gite, qui recens reperta ad oppugnandas tum revelatas tum philosophicas veritates prave detorquent ; sed divinae potius providentiae gratiam habete, quod hanc gloriam et quasi palmam nostrae aetatis hominibus reservarit, ut rerum utilium patrimonium a maioribus acceptum, multis in partibus industria sua locupletarent.

Pauca haec, quae pro rei opportunitate leviter placuit attingere, alte in animos vestros inserite, et religiose servate. — Nostis, dilecti filii, Episcopos catholici orbis omnes, una pene voce, testatos esse se consiliis Nostris, sicut in ceteris rebus solent, ita in hac de qua loquimur, nec voluntate nec opera defuturos. Quod si illorum curis ac vigiliis vestra industria studiumque respondeat, in spem certam ingredimur, brevi futurum, ut ab hac restitutione studiorum, quae Nobis est proposita, magna vis influat in communem populorum salutem et in Ecclesiae tranquillitatem.

*S. Thomam patronum studiorum declarandum annuntiatur.*

Ad coepta feliciter perficienda vobis adiumento sit coeleste praesidium ipsius Doctoris Angelici, quem catholicis scientiarum et bonarum artium domiciliis patronum, uti vobis est in optatis, rite dari quam primum curabimus. — Animum denique vobis viresque addat Apostolica benedictio, quam vobis, viri praestantissimi, et magnis Lyceis, Academiis, sacris Seminariis, iisque omnibus, quorum mandato et nomine ad Nostrum pontificale solium adivistis, libenter et peramanter impertimus.

# LITTERAE

## Ad Rev. Dom. Lebeurier

## DE PIO PRESBYTERORUM SODALITIO.

NON sine magna animi Nostri iucunditate, Dilecte Fili, didicimus e colloquio litterisque tuis, opus revocationis Cleri saecularis ad vitam, qua fieri possit, communem, quantumvis arduum, adeo prospere processisse, ut iam triginta pervaserit Galliarum Dioeceses et Belgicas omnes, probantibus Episcopis. Ad haec tempora, adeo Ecclesiae infensa et animabus periculosa, servasse videtur divina providentia instaurationem salutaris istius Instituti, quod antiquis praeceptum canonibus saeculorum lapsus et vicissitudines obliteraverant; quodque, licet invectum iterum et propagatum serius a Venerabili Bartholomaeo Holzhauser, rursum extinxerant praeteritae nostraeque aetatis commotiones. Et sane, sive exspectare placeat minus solidam et concordem institutionis indolem, cui perturbationes istae seiunctos levitas obnoxios fecerunt, diversamque inde partam sentiendi, iudicandi, docendi rationem, sive considerentur artes, quibus osores Ecclesiae, unitati catholicae disgregandae intenti, adlaborant Clero vitiando, dissociando, avertendo a propriis Pastoribus et ab hac Apostolica Sede; superno prorsus consilio factum videbitur, ut impetitae unitati tuendae confirmandaeque vetus institutum necessitati accommodatissimum ad novam nunc vitam revocaretur. Uniformis enim vivendi ratio universis proposita; exercitia quae foveant pietatem muniantque virtutem adversus saeculi pericula; gestorum propriorum rationes ultro redditae praepositis eorumque animadversionibus periodice subiectae; menstrui conventus ad spiritualia colloquia de rebus ad ministerium spectantibus, quae mentes non satis concordes ad eamdem sententiam adducant; praestitutus finis, ad quem sub Episcopi moderamine vires omnes iungantur; studium ex ipsa consuetudine et amicitia erumpens invicem sibi subveniendi: haec omnia non modo unum facient ex iis omnibus qui communi gaudebunt con-

*31 MAII 1880.*

*Vita communis clericorum*

*antiquis praecepta canonibus*

*necessitatibus nostri temporis accommodatissima:*

tubernio ; sed caeteros etiam sodales inde avocatos a proprii officii curis ita spirituali nexu devincient, ut nemo se sentiat a familia divulsum, moderatore privatum, sibi relictum, opportuno fratrum auxilio consilioque carentem. Quamobrem si Decessores Nostri amplissimis commendarunt laudibus utilissimum hoc Institutum ; id ultro libenterque et Nos facimus, potissimum in tanta temporum difficultate quae illius opem plane postulare videtur ; imo quotquot sunt saeculares sacerdotes hortamur, ut sibi ipsis reique religiosae efficacius prospecturi saluberrimae isti consociationi dent nomen. Moveat eos haud obscurum divinae providentiae placitum quae nunc denuo suscitavit hoc Institutum in Ecclesiae suae laborantis subsidium. Moveant coelestes benedictiones, quibus inter gravissimas difficultates brevi huius operis incrementa mirabiliter provecta fuerunt. Moveant Episcoporum plausus, constantes Apostolicae huius Sedis laudes, fructus iam parti, quos semper uberiores propagatio ipsa consociationis merito spondet. Hos nos amplissimos ipsi ominamur in Cleri sanctificationem religionisque Nostrae sanctissimae gloriam ; dum superni favoris auspicem et paternae Nostrae benevolentiae pignus, Apostolicam Benedictionem, tibi, Dilecte Fili, toti, cui praees, Consociationi, et iis omnibus qui eidem daturi sunt nomen, peramanter impertimus.

*fructus ex ea derivati.*

Datum Romae apud S. Petrum die 31 maii 1880, Pontificatus Nostri anno tertio.

LEO PP. XIII.

# LITTERAE APOSTOLICAE

## in forma brevis

## DE SANCTO THOMA STUDIORUM PATRONO.

*4 Augusti 1880.*

Cum hoc sit et natura insitum et ab Ecclesia catholica comprobatum ut a viris sanctitate praeclaris patrocinium, ab excellentibus autem perfectisque in aliquo genere exempla ad imitandum homines exquirant; idcirco Ordines religiosi non pauci, lycea, Coetus litteratorum, Apostolica Sede approbante, iamdiu magistrum ac patronum sibi sanctum Thomam Aquinatem esse voluerunt, qui doctrina et virtute, solis instar, semper eluxit. Nostris vero temporibus, aucto passim studio doctrinarum Eius, plurimi extiterunt, qui peterent, ut cunctis ille lyceis, academiis, et scholis gentium catholicarum, huius Apostolicae Sedis auctoritate, Patronus assignaretur. Hoc quidem optare se plures Episcopi significarunt, datis in id litteris cum singularibus tum communibus ; hoc pariter studuerunt multarum academiarum sodales et collegia doctorum supplice atque humili obsecratione deposcere. — Quorum omnium incensas desiderio preces cum differre visum esset, ut productione temporis augerentur, idonea ad rem opportunitas accessit ab Encyclicis Litteris Nostris *De philosophia christiana ad mentem s. Thomae Aquinatis Doctoris Angelici in scholis catholicis instauranda*, quas superiore anno hoc ipso die publicavimus. Etenim Episcopi, academiae, doctores decuriales lyceorum, atque ex omni terrarum regione cultores artium optimarum se Nobis dicto audientes et esse et futuros una pene voce et consentientibus animis testati sunt : immo velle se in tradendis philosophicis ac theologicis disciplinis sancti Thomae vestigiis penitus insistere ; sibi enim non secus ac Nobis, exploratum esse affirmant, in doctrinis Thomisticis eximiam quamdam inesse praestantiam, et ad sananda mala, quibus nostra premitur aetas, vim virtutemque singularem. Nos igitur, qui diu multumque cupimus, florere scholas disciplinarum universas tam excel-

*Episcoporum Doctorumque catholicorum preces ut S. Thomas scholarum patronus assignaretur.*

lenti magistro in fidem et clientelam commendatas, quoniam tam clara et testata sunt communia desideria, maturitatem advenisse censemus decernendi, ut Thomae Aquinatis immortale decus novae huius accessione laudis cumuletur.

*Eminet inter omnes S. Thomas quem in variis scientiarum studiis tanquam exemplar catholici intueantur:*

Hoc est autem caussarum, quibus permovemur, caput et summa; eminere inter omnes sanctum Thomam, quem in variis scientiarum studiis, tamquam exemplar, catholici homines intueantur. Et sane praeclara lumina animi et ingenii, quibus ad imitationem sui iure vocet alios, in eo sunt omnia : doctrina uberrima, incorrupta, apte disposita, obsequium fidei et cum veritatibus divinitus traditis mira consensio; integritas vitae cum splendore virtutum maximarum.

*propter eximiam doctrinam,*

Doctrina quidem est tanta, ut sapientiam a veteribus defluentem, maris instar, omnem comprehendat. Quidquid est vere dictum aut prudenter disputatum a philosophis ethnicorum, ab Ecclesiae Patribus et Doctoribus, a summis viris qui ante ipsum floruerunt, non modo ille penitus dignovit, sed auxit, perfecit, digessit tam luculenta perspicuitate formarum, tam accurata disserendi ratione, et tanta proprietate sermonis, ut facultatem imitandi posteris reliquisse, superandi potestatem ademisse videatur. Atque illud est permagnum, quod eius doctrina, cum instructa sit atque apparata principiis latissime patentibus, non ad unius dumtaxat, sed ad omnium temporum necessitates est apta, et ad pervincendos errores perpetua vice renascentes maxime accommodata. Eadem vero, sua se vi et ratione confirmans, invicta consistit, atque adversarios terret vehementer.

*rationis et fidei perfectam convenientiam,*

Neque minoris aestimanda, christianorum praesertim hominum iudicio, rationis et fidei perfecta convenientia. Evidenter enim sanctus Doctor demonstrat, quae ex rerum genere naturalium vera sunt, ab iis dissidere non posse, quae, Deo auctore, creduntur; quamobrem sequi et colere fidem christianam, non esse humilem et minime generosam rationis servitutem, sed nobile obsequium, quo mens ipsa iuvatur et ad sublimiora eruditur; denique intelligentiam et fidem a Deo ambas proficisci, non simultatum secum exercendarum caussa, sed ut sese amicitiae vinculo colli-

gatae mutuis officiis tueantur. — Cuius convenientiae mirabilisque concordiae cunctis beati Thomae scriptis expressa imago perspicitur. In his enim excellit atque eminet modo intelligentia, quae quod vult, fide praeeunte, consequitur in pervestigatione naturae; modo fides, quae rationis ope illustratur ac defenditur, sic tamen, ut suam quaeque inviolate teneat et vim et dignitatem; atque, ubi res postulat, ambae quasi foedere icto ad utriusque inimicos debellandos coniunguntur. Ac si magnopere semper interfuit, firmam rationis et fidei manere concordiam, multo magis post saeculum XVI interesse existimandum est; quoniam per id tempus spargi semina coeperunt finem et modum transeuntis libertatis, quae facit ut humana ratio divinam auctoritatem aperte repudiet, armisque a philosophia quaesitis religiosas veritates pervellat atque oppugnet.

*4 AUGUSTI 1880.*

*sanctitatis splendorem.*

Postremum Angelicus Doctor non est magis doctrina, quam virtute et sanctitate magnus. Est autem virtus ad periclitandas ingenii vires adipiscendamque doctrinam praeparatio optima; quam qui negligunt, solidam fructuosamque sapientiam falso se consecuturos putant, propterea quod *in malevolam animam non introibit sapientia*, *nec habitabit in corpore subdito peccatis* (1). Ista vero comparatio animi, quae ab indole virtutis proficiscitur, in Thoma Aquinate extitit non modo excellens atque praestans, sed plane digna, quae aspectabili signo divinitus consignaretur. Etenim cum maximam voluptatis illecebram victor evasisset, hoc veluti praemium fortitudinis tulit a Deo pudicissimus adolescens, ut lumbos sibi arcanum in modum constringi, atque una libidinis faces extingui sentiret. Quo facto, perinde vixit, ac esset ab omni corporis contagione seiunctus, cum ipsis angelicis spiritibus non minus innocentia, quam ingenio comparandus.

*Scholae catholicae in disciplinam et clientelam Angelici Doctoris traditae, salutares fructus proferent.*

His de caussis dignum prorsus Angelicum Doctorem iudicamus, qui praestes tutelaris studiorum cooptetur. Quod cum libenter facimus, tum illa Nos consideratio movet, futurum ut patrocinium hominis maximi et sanctissimi multum valeat ad philosophicas theologicasque disciplinas,

1. Sap. 1. 4.

summa cum utilitate reipublicae, instaurandas. Nam ubi se scholae catholicae in disciplinam et clientelam Doctoris Angelici tradiderint, facile florebit sapientia veri nominis, firmis hausta principiis, ratione atque ordine explicata. Ex probitate doctrinarum probitas gignetur vitae cum privatae, tum publicae : probe vivendi consuetudinem salus populorum, ordo, pacata rerum tranquillitas consequentur. — Qui in scientia rerum sacrarum elaborant, tam acriter hoc tempore lacessita, ex voluminibus sancti Thomae habituri sunt, quo fundamenta fidei christianae ample demonstrent, quo veritates supernaturales persuadeant, quo nefarios hostium impetus a religione sanctissima propulsent. Eaque ex re humanae disciplinae omnes non impediri aut tardari cursus suos, sed incitari augerique sentient; ratio vero in gratiam cum fide, sublatis dissidiorum caussis, redibit, eamque in indagatione veri sequetur ducem. Demum quotquot sunt homines discendi cupidi, tanti magistri exemplis praeceptisque conformati, comparare sese integritate morum assuescent; nec eam rerum scientiam consectabuntur, quae a caritate seiuncta inflat animos et de via deflectit, sed eam quae sicut a *Patre luminum* et *scientiarum Domino* exordia capit, sic ad eum recta perducit.

*Omnium scholarum catholicarum patronus S. Thomas declaratur.*

Placuit autem hac super re sacri etiam Consilii legitimis ritibus cognoscendi perrogare sententiam; quam cum perspexerimus, dissentiente nemine, votis Nostris plane congruere, Nos ad gloriam omnipotentis Dei et honorem Doctoris Angelici, ad incrementa scientiarum et communem societatis humanae utilitatem, sanctum Thomam Doctorem Angelicum suprema auctoritate Nostra Patronum declaramus universitatum studiorum, academiarum, lyceorum, scholarum catholicarum, atque uti talem ab omnibus haberi, coli, atque observari volumus, ita tamen ut sanctis coelitibus, quos iam academiae aut lycea sibi forte patronos singulares delegerint, suus honos suusque gradus etiam in posterum permanere intelligatur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IV Augusti MDCCCLXXX Pontificatus Nostri anno tertio.

THEODULPHUS CARD. MERTEL.

# ALLOCUTIO

## Ad S. R. E. Cardinales

## DE INIURIA SEDI APOSTOLICAE ILLATA A GUBERNIO BELGICO.

SUMMI Pontificatus sacrosancta maiestas, quam sicut habemus ipsa vita cariorem, sic conservare ac tueri omni contentione volumus et debemus, postulat a Nobis, ut de iniuria longe maxima supremae auctoritati Nostrae et huic Apostolicae Sedi haud ita pridem imposita, ad Vos, Venerabiles Fratres, hodierno die referamus. De iniuria intelligimus illata ab administratoribus rei Belgarum publicae, quod legatum Nostrum nulla iusta caussa repente dimiserunt. *20 Augusti 1880.*

Nos quidem non tam privato dolore permoti, quam de Apostolicae Sedis honore solliciti, totam rei gestae seriem una cum instrumentis atque auctoritatibus, quibus iure credatur, pervulgari iussimus, ut omnia proferrentur in lucem veritatis, et aequi viri facile statuerent, quam parum habeant firmamenti et virium coniectae ab inimicis in Apostolicam Sedem indignissimae criminationes. — Nunc vero eius facti rationem altius considerantes, cum in hoc tum in aliis non absimili genere, quae fere ubique geruntur, certa vestigia agnoscimus quae significant recruduisse vehementer bellum, longo iam tempore adversus Christi Ecclesiam nefarie susceptum. Imo etiam magis apertam nudatamque conspicimus factiosorum hominum de abalienandis ab Apostolica Sede animis veterem coniurationem, eo consilio initam, ut in christianas gentes, quas semel Romani Pontificis auctoritati praesidioque forte subduxerint, omnem ipsi nutu atque arbitratu suo potestatem exerceant. — Atque idem plane propositum inimicis fuit, cum per vim et dolos eripere Romanis Pontificibus civilem principatum voluerunt, manifesto divinae Providentiae consilio et consentiente aetatum suffragio constitutum, uti salva iis perpetuo ea securitas ac libertas esset, qua nihil est magis in gerenda christiana

*Catholici nominis hostes propositum habent Sedis Apostolicae auctoritatem destruere, ab eaque populos subducere.*

republica necessarium. — Neque alio machinationes spectant summis artificiis excogitatae, adhibitaeque calliditate pari, per quas multi iamdiu contendunt invisam et suspectam facere populis Ecclesiam, invidiamque institutis catholicis conflare, praecipue autem Pontificatui Romano, ad communem humani generis salutem divinitus instituto.

*Hoc animo iam pluries edixerant, imo statuerant legationem Belgicam apud S. Sedem esse tollendam.*

Haec eadem consilia etiam in Belgio exequi catholici nominis hostes destinaverant, ut vincula abrumperentur aut relaxarentur quae Belgarum gentem Apostolicae Sedi coniungunt. Quamobrem, data opportunitate, in ipsis legumlatorum publicis coetibus pluries est eorum exaudita vox, legationem Belgicam apud Romanum Pontificem esse tollendam; idque se statutum in animo ac deliberatum habere. Revera duobus ante annis, vix dum ad gubernacula reipublicae homines illarum partium accesserant, mora nulla fuit, quin aperte edicerent, revocationem oratoris Belgici a legatione esse decretam; eamdem reapse perfectum iri, ubi primum per tempora licuisset.

*Rei exequendae occasionem sumpserunt ab Episcoporum et Pontificis gestis circa novam legem de regimine scholarum puerorum.*

Cum haec consilia atque hic habitus animorum in iis esset, perlata lex de primordiis studiorum publice tradendis, propositi perficiendi caussam attulit. — Nostis, Venerabiles Fratres, indolem huiusce legis atque rationem. Profecto in ea condenda hoc maxime consilium atque hanc sententiam fuisse apparet, ab auctoritate catholicae religionis, vel a pueritia, abducere animos, institutionemque iuventutis, remota qualibet Ecclesiae providentia, civilis potestatis imperio voluntatique reservare. Etenim ea lege decernitur, in educatione puerili nullas esse debere sacrorum Pastorum partes, nullam Ecclesiae vigilantiam ; dissociatisque penitus a religione litteris, ab eruditione puerorum, si ipsa publicarum scholarum ratio et disciplina spectetur, omnem de religione doctrinam abesse praecipitur : quod perfacile cernitur quam sit fidei et moribus ineuntis aetatis periculosum. — Eoque gravius esse periculum intelligitur, quod eadem lege omnis religiosa institutio plane excluditur ab iis ipsis litterarum palaestris, quas scholas *normales* vocant, ubi exercitatione praeceptisque conformantur, qui quaeve deinceps velint ad erudiendos pueros sese conferre.

Lex huiusmodi, per quam plurimum de doctrina iuribusque Ecclesiae detrahitur, maximoque discrimini sempiterna adolescentium salus obiicitur, non poterat, salvo officio, Episcopis probari, quibus a Deo id est muneris onerisque impositum, ut in salute animorum fideique sanctitate defendenda vigilanter elaborent. Revera cum probe sentirent, quid a se tempus officiumque postularet, sedulam operam dederunt arcendae ab eiusmodi publicis scholis iuventuti, aliasque aperiendas curarunt, potestati suae obnoxias, in quibus tenerae adolescentulorum mentes cum litterarum tum religionis elementis optime formarentur. Et hanc ad rem, laus est egregia Belgarum, peropportuno huic operi sese alacritate summa adiutores praebuisse. Cum enim animadverterent, quantum religioni periculum ab ea lege impenderet, avitam fidem, quoquo modo possent, tuendam susceperunt ; idque tam inflammato studio, ut laborum ac sumptuum magnitudo admirationem fecerit apud omnes, ad quos huius rei fama pervenit.

*20 AUGUSTI 1880.*

Nos vero, qui propter excelsum supremi Pastoris et Magistri munus, intemeratam ubique fidem conservare, sacra Ecclesiae iura asserere, et salutis discrimina a capite gentium christianarum propulsare debemus, ipsa officii ratione sinere prohibebamur, indemnatam per Nos abire legem, quam Venerabiles Fratres Nostri Episcopi Belgici iure condemnavissent. Quapropter in litteris Nostris ad dilectissimum filium Nostrum Leopoldum II regem Belgarum aperte declaravimus, legem die I Iulio mense actam magnopere catholicae doctrinae praeceptis repugnare; eamdemque perniciosam saluti adolescentium, neque parum ipsi civitati calamitosam futuram. Igitur qua talem improbavimus damnavimusque non semel, sicut nunc in conspectu omnium Vestrum, iisdem de caussis, iterum improbamus atque damnamus. Quam rem more agimus institutisque Apostolicae Sedis, quae semper iudicii atque auctoritatis suae pondere scholas perculit cuiuslibet religionis expertes, quas medias seu *neutras* appellant, quaeque suapte natura illuc tandem evadunt, ut Deum prorsus non agnoscant : neque usquam passa est, eiusmodi scholas a iuventute catholica celebrari,

nisi certis casibus, cum eam tempus et necessitas cogeret, cautoque prius ne praesens esset pravae contagionis periculum. — Nihilominus christiana charitate animati, et quod nolebamus ullam dari caussam quamobrem acerbius bellum fieret, valde auctores fuimus Venerabilibus Fratribus Nostris Episcopis, in medio certamine consistentibus, ut, quod ad decreta exequenda, moderationem et suavitatem in re praesenti ne relinquerent, et in poenis exigendis agerent lenius ; quoniam rei christianae studium, tam iusta caussa incensum, paterna illa benevolentia temperari oporteret, quae devios quosque benigne complectitur.

Multum ad ea quae volebamus cohortationes Nostrae profecerant, multoque magis futurum videbatur, ut in reliquum tempus proficerent ; non satis tamen ex sententia curatorum rerum Belgicarum, qui Episcopos ipsos muneri suo firmissime intentos nihilominus coargui a Nobis, et in quo essent probabiles in eo reprehendi voluissent. Quod cum Nos libere constanterque negavissemus facturos, idcirco officiose amiceque Nobiscum agi desitum est, et insigni, vixque alias audito illiberalitatis exemplo, legatus Noster excedere finibus iussus est. — Plura deinde per ambages et calumnias caussati, indigne factum tegere falsis nominibus conati sunt, omnemque caussam et culpam in Apostolicam Sedem transferre. Crescente autem audacia, nec a conviciis, nec a contumeliis temperatum est : imo ne in Urbe quidem Roma hostilis animi defuit insolens ostentatio.

*Gravissima expostulatio ob violatum ius S. Sedis, calumniasque illatas.*

Quapropter muneris Nostri apostolici memores, casum gravem et repentinum in conspectu omnium Vestrum, Venerabiles Fratres, deplorantes, Nobiscum et cum sancta Petri Sede inique actum esse testamur et conquerimur. Cumque ius potestatemque habeat Pontifex maximus Nuntios aut Legatos ad exteras gentes, nominatim catholici nominis, earumque principes mittendi, de violato huiusmodi iure cum iis quos penes est culpa, expostulamus : eoque magis, quod eius iuris multo augustius est in Romano Pontifice principium, cum ab amplissima auctoritate Primatus, quem ille divinitus obtinet in universam Ecclesiam, proficiscatur ; quemadmodum et Pius VI gloriosae recordationis Pontifex

declaravit his verbis : « Ius est Romano Pontifici habendi ali- « quos, in dissitis praesertim locis, qui sui absentis personam « repraesentent, qui iurisdictionem suam atque auctoritatem « stabili delegatione collatam exerceant, qui denique suas « vices obeant ; idque ex intima vi ac natura primatus, ex « iuribus dotibusque cum primatu coniunctis, ex constanti « Ecclesiae disciplina a primis usque saeculis deducta (1). »

20 AUGUSTI 1880.

Querimur super hoc etiam, quod dimittendi Nostri per Belgium Legati caussa iniuriosa et de industria quaesita allata sit ; cum contra dimissum idcirco esse constet, quod Nos deserere officium recusavimus, factaque significatione Nostrae cum Venerabilibus Fratribus Episcopis Belgicis consentientis voluntatis, discedere ab iis nulla ratione voluimus. — Demum cohibere querelas non possumus propter multa et varia, quae de Nobis et hac Sede Apostolica sunt contumeliose atque atrociter dicta. Equidem quod privatim ad Nos, prompti ad perferendas patienter iniurias sumus, ignoscendumque obtrectatoribus atque inimicis, *gaudentes*, Apostolorum exemplo, *quod digni habiti sumus pro nomine Iesu contumeliam pati* (2). Nihilominus tamen Deum hominesque testamur, numquam esse passuros, ut quicquam de Apostolicae Sedis existimatione et dignitate impune minuatur ; quam Nobis certum est, omni vi et omnium rerum vitaeque ipsius, si res postularet, iactura defendere, ut tantae huius dignitatis amplitudo servetur, Nostrisque Successoribus integra atque inviolata tradatur.

Has autem voces, quas iustus animi dolor et conscientia officii in hoc amplissimo consessu Vestro, Venerabiles Fratres, Nobis expresserunt, late per orbem terrarum propagari volumus, ut viri principes universaeque gentes, querelarum Nostrarum aequitate perspecta, intelligant quibus profecta initiis, quem habuerit exitum res de qua loquimur ; simul fraudes caveant, quibus homines non probi in aures animosque influunt multitudinis ; alacriterque studeant in fide Romani Pontificis, nihil mutata aut labefactata voluntate, permanere.

Quod ad catholicam Belgarum gentem attinet, in summa

1. Resp. super Nuntiaturis Apost. cap. 8, sect. 2, n. 24. — 2. Act. V. 41.

est eorum laude ponendum, quod magna affecti sollicitudine ob Nostri discessum Legati, quem tot annos perhonorifice exceptum modis omnibus observarant, in hoc tempore propensioris voluntatis huic Apostolicae Sedi documenta depromerent: volunt enim, qua ratione possunt, curam et molestiam compensare iniuriarum, quas in persona humilitatis Nostrae Iesu Christi Vicarius accepit. — Atque hic pergratum Nobis est recordari grave quoddam laudum praeconium quod a Gregorio XVI, Pontifice maximo, Nobis praesentibus atque audientibus, Belgis tributum est. Is enim cum Nos pontificiae apud eos Legationi benigne destinaret, de gente illa in universum plura effatus est verbis amplissimis, appellavitque genus hominum fortissimum, pientissimum, quorum fides et amor erga Apostolicam Sedem et erga Principes suos multis rebus ac perdiu constitisset. — Revera has ipsorum virtutes cum superiorum aetatum monumenta testantur, tum Nos usu et consuetudine Ipsi cognovimus, quamdiu illa Legatione functi sumus; illorumque hominum et temporum et rerum iucundissima haerens in animo recordatio, peculiarem Nostram in eos fovit atque aluit benevolentiam. Igitur de Belgis confidimus futurum, ut ab Ecclesiae amore et obsequio numquam discedant, constantesque in fidei catholicae professione, et de christiana iuventutis institutione anxii atque solliciti, sese patribus et maioribus dignos in omne tempus impertiant.

*Belgicae gentis laudes.*

Haec de rebus Belgicis habuimus, quae Vobiscum, Venerabiles Fratres, communicaremus, ut illatam Apostolicae Sedi iniuriam propulsaremus, violatamque dignitatem tueremur. — Attamen per Vos ipsi videtis, praesentes Ecclesiae labores non esse Belgarum finibus circumscriptos. Longius serpit bellum, et latius manant rei catholicae detrimenta: quorum tamen sermonem praesens in tempus omittimus. — Interim vero meliore spe erectos confirmatosque animos gerere oportet, et concordibus obsecrationibus suppliciter contendere a Patre misericordiarum et Deo totius consolationis, ut Ecclesiam sponsam suam, tot fessam malis ac tantis curis exercitam, benigne consoletur; sedatisque undis ac fluctibus, optatam diu tranquillitatem restituat.

# LITTERA ENCYCLICA

## Ad Episcopos universos catholici Orbis

## DE SS. CYRILLO ET METHODIO.

*30 SEPTEMBRIS 1880.*

*Romani Pontifices sanctos Methodium et Cyrillum ad Slavoniae populos apostolos deputarunt:*

GRANDE munus christiani nominis propagandi, beato Petro principi Apostolorum eiusque Successoribus singulari modo demandatum, Romanos Pontifices impulit ut sacri Evangelii nuntios ad varias orbis terrarum gentes diversis temporibus mittendos curarent, prout res et consilia *miserentis Dei* postulare viderentur. — Quamobrem sicut Augustinum ad Britannos in culturam animorum legaverunt, Patritium ad Hibernos, Bonifacium ad Germanos, Villebrordum ad Phrisios, Batavos, Belgas, aliosque persaepe ad alios; sic etiam apostolici muneris apud Slavoniae populos obeundi facultatem CYRILLO et METHODIO, viris sanctissimis, concesserunt : quorum instantia maximisque laboribus perfectum est, ut illi Evangelii lumen aspicerent, et ab agresti vita ad humanum civilemque cultum deducerentur.

*eorumdem memoriam religiose colendam curarunt.*

Cyrillum et Methodium, par Apostolorum nobilissimum, si hominum fama, beneficiorum memor, celebrare Slavonia tota numquam desiit, non minore certe studio colere Ecclesia Romana consuevit, quae et utrumque eorum, quamdiu vixerunt, multis rebus honoravit, et alterius demortui cineribus carere noluit. — Inde iam ab anno MDCCCLXIII Slavonici generis Bohemis, Moravis et Croatis, qui solemnia in honorem Cyrilli et Methodii celebrare quotannis die nono mensis martii consueverant, indulgentia Pii IX immortalis memoriae decessoris Nostri permissum est, ut deinceps diem quintum mensis Iulii festum agerent, horariasque preces ob Cyrilli et Methodii memoriam persolverent. Neque multo post, quo tempore Concilium magnum ad Vaticanum haberetur, perplures Episcopi ab hac Apostolica Sede suppliciter petiverunt, ut eorundem cultus et stata solemnitas ad universam Ecclesiam propagaretur. Verum infecta ad hanc diem re, et ob temporum vices mutato per eas regiones reipublicae statu, opportunus Nobis oblatus videtur locus

iuvandi Slavoniae populos, de quorum incolumitate et salute solliciti magnopere sumus. Igitur cum paternam caritatem Nostram nulla in re ab iis desiderari patimur, tum latius proferri augerique religionem volumus hominum sanctissimorum, qui Slavonicas gentes sicut olim, disseminata fide catholica, ab interitu ad salutem revocarunt, ita nunc sunt coelesti patrocinio potenter defensuri. Quo autem magis emergat, quales sint quos orbi catholico venerandos et colendos proponimus, placet rerum gestarum historiam breviter attingere.

*Cyrilli et Methodii ortus.*

Cyrillus et Methodius, fratres germani, Thessalonicae amplissimo loco nati Constantinopolim mature concesserunt, ut in ipsa urbe Orientis principe humanitatis artes addiscerent. Nec latuit scintilla ingenii, quae iam tum elucebat in adolescentibus; nam uterque plurimum brevi profecerunt; at Cyrillus maxime, qui eam scientiarum laudem adeptus est ut singularis honoris caussa *Philosophus* appellaretur.

*Methodius fit monachus; Cyrillus autem mittitur qui Chazaros in fide christiana erudiat;*

Non longo intervallo monachum agere Methodius coepit; Cyrillus autem dignus est habitus, cui Theodora imperatrix, auctore Ignatio Patriarcha, negotium daret erudiendi ad fidem christianam Chazaros trans Chersonesum incolentes, qui idoneos sacrorum administros Constantinopoli imploraverant. Quod ille munus non gravate accepit. Itaque Chersonam in Tauris adlatus, sermoni vernaculo illius gentis, ut quidam ferunt, aliquandiu operam dedit; eoque tempore sibi contigit optimis auspiciis, ut S. Clementis I P. M. sacros cineres inveniret, quos quidem haud difficile agnovit cum ex pervagata maiorum memoria, tum ex anchora, quacum ipsa martyrem fortissimum Traiani imperatoris iussu in mare praecipitem actum, et deinde conditum fuisse constabat. — Tam pretioso thesauro potitus, in Chazarorum urbes sedesque penetravit; quos praeceptis suis edoctos et Dei numine instinctos, multiplici superstitione deleta, ad Iesum Christum adiunxit. Recenti christianorum communitate optime constituta, continentiae simul et caritatis memorabile documentum edidit, cum oblata ab indigenis dona omnia recusavit, excepta servorum, qui christianum nomen profiterentur, manumissione. Mox

*quo munere feliciter peracto,*

*in monasterium et ipse secedit.*

Constantinopolim rediit alacer, atque in monasterium Polychronis, quo se iam Methodius receperat, Cyrillus ipse secessit. *30 SEPTEMBRIS 1880.*

Interim res apud Chazaros prospere gestas ad Rastilaum Moraviae principem fama detulerat. Is, Chazarorum exemplo incitatus, de aliquot operariis evangelicis Constantinopoli arcessendis cum imperatore Michaële III egit, nec difficile, quod volebat, impetravit. *Cyrillus et Methodius ad Moravos Apostoli deputantur;* Igitur tot iam factis nobilitata virtus, proximorumque iuvandorum in Cyrillo et Methodio perspecta voluntas effecit, ut ii Moraviensi expeditioni destinarentur. Cumque iter per Bulgariam instituissent christianorum initiatam sacris, nullo loco praetermittunt amplificandae religionis opportunitatem. In Moraviam vero, effussa obviam multitudine ad imperii fines, summa voluntate et celebri laetitia excipiuntur. Nec mora fuit, quin imbuere christianis institutionibus animos aggrederentur et in spem coelestium bonorum erigere; idque tanta vi, tam operosa industria, ut non longo intervallo Moravorum gens nomen Iesu Christo libentissime dederit. *gentem illam ad Christi fidem adducunt,* Ad eam rem non parum scientia valuit dictionis slavonicae, quam Cyrillus ante perceperat, multumque potuerunt sacrae utriusque Testamenti litterae, quas proprio populi sermone reddiderat. *et sacros libros in Slavonicam linguam vertunt.* Quare omnis Slavorum natio plurimum homini debet, quod non fidei christianae solum, sed etiam civilis humanitatis ex illo beneficium acceperit: nam Cyrillus et Methodius principes inveniendi fuerunt ipsas litteras, quibus est sermo ipsorum Slavorum signatus et expressus, eaque de caussa eiusdem sermonis autores non immerito habentur.

Ex tam remotis disiunctisque provinciis rerum gestarum gloriam secundus rumor Romam nuntiaverat. — Atque ita cum Nicolaus I P. M. fratres optimos Romam contendere iussisset, ii sine cunctatione imperata facere instituunt; romanumque iter alacriter ingressi, reliquias S. Clementis secum advehunt. *Romam petunt, advecto secum corpore S. Clementis,* Quo nuntio, Hadrianus II, qui in locum Nicolai demortui fuerat suffectus, clero populoque comitante, obviam magna cum honoris significatione progreditur hospitibus illustribus. Corpus S. Clementis magnis extemplo prodigiis nobilitatum, solemni ducta pompa, inlatum est in

*ut sui laboris rationem reddant.*

Basilicam iisdem vestigiis paternae domus martyris invictissimi Constantiniano tempore excitatam. Deinde Cyrillus et Methodius de munere apostolico, in quo essent sancte laborioseque versati, ad Pontificem Maximum, assidente clero, referunt. Et quoniam fecisse contra instituta maiorum religionesque sanctissimas arguebantur, quod sermonem Slavonicum in perfunctione munerum sacrorum usurpavissent, caussam dixere rationibus tam certis tamque illustribus, ut Pontifex totusque clerus et laudarint homines et probarint. Tum ambo, dicto ex formula catholicae professionis sacramento, iuratique se in fide beati Petri et Pontificum Romanorum permansuros, Episcopi ab ipso Hadriano creati consecratique sunt, pluresque ex discipulis eorum variis sacrorum ordinum gradibus initiati.

*Eorum gestis a Pontifice probatis, ambo episcopi creantur.*

*Romae Cyrillus moritur.*

Erat tamen provisum divinitus, ut Cyrillus Romae conderet vitae cursum anno DCCCLXIX die XIV Februarii, virtute magis quam aetate maturus. Elatus est funere publico magnificoque apparatu, eo ipso quo Pontifices Romani solent, et in sepulcro, quod sibi Hadrianus extruxerat, perhonorifice compositus. Sacrum defuncti corpus, quia Constantinopolim asportari populus romanus non pertulit, quamvis parentis moestissimae desiderio expetitum, deductum est ad sancti Clementis, atque huius prope cineres conditum quos Cyrillus ipse tot annis venerabundus asservarat. Cumque veheretur per Urbem inter festos psalmorum cantus, non tam funeris quam triumphi pompa, visus est populus romanus libamenta honorum coelestium viro sanctissimo detulisse.

*In Moraviam reversus Methodius fortis pro fide stat;*

Haec ubi acta, Methodius iussu auspiciisque Pontificis Maximi ad consueta apostolici muneris officia in Moraviam episcopus remigravit. In ea provincia *facta forma gregis ex animo* rei catholicae inservire maiore in dies studio institit; factiosis rerum novarum auctoribus, ne catholicum nomen opinionum insania labefacerent, fortiter resistere; Suentopolcum principem, qui Rastilaum exceperat, ad religionem erudire; eumdemque officium deserentem admonere, increpare, demum sacrorum interdictione punire. His de caussis invidiam excepit teterrimi atque impurissimi tyranni, a quo

actus est in exilium. Sed aliquanto post restitutus tempestivis adhortationibus impetravit, ut mutati animi indicia princeps ederet, pristinamque consuetudinem novo vitae modo redimi intelligeret oportere. Illud vero est mirabile, quod vigilans Methodii caritas, praetervecta Moraviae fines, sicut superstite Cyrillo Liburnicos et Servios attigerat, ita nunc Pannonios complectebatur, quorum principem, Cocelum nomine, ad religionem catholicam informavit, et in officio retinuit : et Bulgaros, quos ipsos cum rege eorum Bogori in fide christiani nominis confirmavit ; et Dalmatas, quibuscum coelestia partiebat communicabatque charismata ; et Carinthios, in quibus ad unius veri Dei notitiam cultumque traducendis plurimum elaboravit.

*30 SEPTEMBRIS 1880.*

*Pannoniorum principem ad religionem catholicam informat,*

*Bulgaros in fide confirmat,*

*Dalmatis et Carinthiis ad Dei cultum traducendis elaborat.*

Sed ea res molestiam homini peperit. Etenim quidam ex novella christianorum societate, quia strenue actis rebus virtutique Methodii inviderent, apud Joannem VIII Hadriani successorem, insontem postularunt de suspecta fide violatoque more maiorum, qui in sacris obeundis sermonem graecum aut latinum unum adhibere consueverunt, praeterea nullum. Tunc Pontifex incolumitatis fidei disciplinaeque veteris studiosissimus, Methodio Romam evocato diluere crimina, seseque purgare imperat. Is, ut semper erat ad parendum alacer conscientiaeque testimonio fretus, anno DCCCLXXX cum coram Joanne et Episcopis aliquot Cleroque urbano adfuisset, facile vicit, eam prorsus fidem et se retinuisse constanter et ceteros diligenter edocuisse, quam praesente et approbante Hadriano declaratam, ad sepulcrum principis Apostolorum iureiurando confirmarat : quod vero ad linguam Slavonicam in sacris peragendis usurpatam, se iustis de caussis, ex venia ipsius Hadriani Pontificis, nec sacris litteris repugnantibus, iure fecisse. Qua peroratione ita se qualibet culpae suspicione liberavit, ut in re praesenti complexus Methodium Pontifex potestatem eius archiepiscopalem, expeditionemque Slavonicam libenti animo ratam esse iusserit. Insuper, aliquot delectis Episcopis, quibus Methodius ipse praeesset, et quorum opera in administranda re christiana iuvaretur, perhonorificis commendatum litteris in Moraviam cum liberis mandatis remisit. Quas res omnes

*Romam evocatus se qualibet culpae suspicione quoad fidem et disciplinam liberat;*

*Archiepiscopus renuntiatur,*

postea Summus Pontifex confirmatas voluit per litteras ad Methodium datas, cum scilicet huic rursus subeunda malevolorum invidia fuit. Quare securus animi, cum Pontifice Maximo cunctaque Ecclesia romana arctissimo caritatis fideique vinculo coniunctus adsignatum sibi munus explere multo vigilantius perseveravit ; nec diu desideratus est egregius operae fructus. Nam cum primum ipse per se ad catholicam fidem Borzivoium principem Bohemorum, deinde Ludmillam uxorem eius, adhibito quodam sacerdote, perduxisset, brevi perfecit, ut in ea gente christianum nomen longe lateque vulgaretur. Per eadem tempora Evangelii lumen in Poloniam invehendum curavit ; quo cum ille per mediam Gallaeciam penetravisset, sedem episcopalem Leopoli statuit. Inde, ut nonnulli tradiderunt, in Moscoviam proprii nominis digressus, thronum pontificale *Kiowense* constituit. Cum his haud sane arescentibus laureis in Moraviam reversus est ad suos : iamque sese abripi ad humanum exitum sentiens, ipsemet sibi successorem designavit ; clerumque et populum supremis praeceptis ad virtutem cohortatus, ea vita, quae sibi via in coelum fuit placidissime defunctus est. — Uti Cyrillum Roma, sic Methodium Moravia decedentem luxit, amissum quaesivit, funere eius modis omnibus honestato.

*Bohemos convertit,*

*inde transiens ad Polonos Leopoli sedem episcopalem erigit;*

*apud Russos thronum pontificale Kiowense constituit.*

Horum factorum, Venerabiles Fratres, periucunda Nobis accidit recordatio ; nec mediocriter commovemur, cum retro longe respicimus optimis initiis splendidam Slavonicarum gentium cum Romana Ecclesia coniunctionem. Etenim duo isti christiani nominis propagatores, de quibus loquuti sumus, Constantinopoli quidem ad ethnicos populos discesserunt ; sed tamen eorum missionem ab hac Apostolica Sede, catholicae unitatis centro, aut omnino imperari, aut, quod plus vice simplici actum est, rite sancteque approbari oportuit. Revera hic in Urbe Roma ab iis est et suscepti muneris ratio reddita, et ad accusationes responsum ; hic ad sepulcra Petri et Pauli in fidem catholicam iuratum, consecratioque episcopalis accepta una cum potestate sacri imperii, retento ordinum discrimine, constituendi. Demum hinc est usus slavonici sermonis in ritibus sanctissimis impe-

*Factorum series splendidam manifestat Slavonicarum gentium cum Ecclesia Romana coniunctionem.*

tratus ; atque hoc anno decimum expletur saeculum, ex quo Joannes VIII P. M. ad Suentopolcum Moraviae principem ita scripsit : *Litteras slavonicas.... quibus Deo laudes debitae resonant, iure laudamus, et in eadem lingua Christi Domini Nostri praeconio et opera ut enarrentur iubemus. Nec sanae fidei vel doctrinae aliquid obstat, sive missas in eadem slavonica lingua canere, sive sacrum Evangelium vel lectiones divinas Novi et Veteris Testamenti bene translatas et interpretatas legere,et alia horarum officia omnia psallere.* Quam consuetudinem multas post vices sanxit Benedictus XIV per apostolicas Litteras anno MDCCLIV die XXV Augusti datas. — Pontifices autem Romani, quotiescumque opem rogati sunt a principibus viris, qui populis praeessent Cyrilli Methodiique opera ad christianos ritus traductis, numquam commiserunt, ut sua desideraretur in adiuvando benignitas, in docendo humanitas, in consiliis dandis benevolentia, in rebus omnibus, quibuscumque possent, eximia voluntas. Prae ceteris vero Rastilaus, Suentopolcus, Cocelus, sancta Ludmilla, Bogoris insignem Decessorum Nostrorum caritatem pro re et tempore experti sunt.

*30 SEPTEMBRIS 1880.*

*Pontificum Romanorum sollicitudo pro Slavoniae populis,*

Necque Cyrilli ac Methodii interitu constitit aut remisit paterna Romanorum Pontificum pro Slavoniae populis sollicitudo ; sed in tuenda apud eos sanctitate religionis conservandaque prosperitate publica semper enituit. Revera ad Bulgaros Nicolaus I sacerdotes qui populum instituerent, et Episcopos Populoniensium et Portuensium ab Urbe Roma misit, qui recentem christianorum societatem ordinarent : item Bulgarorum crebris de sacro iure controversiis is ipse responsa peramanter reddidit, in quibus vel ii, qui minus Ecclesiae Romanae favent, summam prudentiam collaudant atque suspiciunt. Ac post luctuosam dissidii calamitatem, laus est Innocentii III reconciliasse cum Ecclesia catholica Bulgaros, Gregorii autem IX, Innocentii IV, Nicolai IV, Eugenii IV in reconciliata gratia retinuisse. — Similiter erga Bosnienses et Erzegovinenses, pravarum opinionum deceptos contagiis, insigniter eluxit Decessorum Nostrorum caritas, scilicet Innocentii III et Innocentii IV, qui evellere ex animis errorem ; Gregorii IX, Clementis VI, Pii II, qui

*Bulgaris,*

*Bosniensibus,*

sacrae potestatis gradus per eas regiones stabiliter firmare studuerunt. — Nec exiguam, nec postremam curarum

*Serviis,*

suarum partem Innocentius III, Nicolaus IV, Benedictus XI, Clemens V in Servios contulisse putandi sunt, a quibus fraudes, ad labefactandam religionem astute comparatas, pro-

*Dalmatis et Liburnicis,*

videntissime continuerunt. — Dalmatae quoque et Liburnici ob fidei constantiam, vicissitudinemque officiorum a Ioanne X, a Gregorio VII, a Gregorio IX, ab Urbano IV favorem singularem et gravia laudum praeconia adepti sunt. —

*Sermiensibus.*

Denique ipsa in Ecclesia Sermiensi, saeculo sexto barbarorum incursionibus deleta, posteaque sancti Stephani I Hungariae regis pio studio restituta, multa sunt Gregorii IX et Clementis XIV benevolentiae monumenta.

*Leonis XIII studium in Slavorum felicitatem.*

Quapropter agendas Deo grates esse intelligimus, quod idonea Nobis occasio praebeatur gratificandi genti Slavorum, communisque ipsorum utilitatis efficiendae, non minore certe studio, quam quod est in Decessoribus Nostris omni tempore perspectum. Hoc scilicet spectamus, hoc unice cupimus, omni ope contendere ut gentes Slavonici nominis maiore Episcoporum et sacerdotum copia instruantur; ut in professione verae fidei, in obedientia vera IESU CHRISTI Ecclesiae obfirmentur, experiendoque quotidie magis sentiant, quanta vis bonorum ab Ecclesiae catholicae institutis in convictum domesticum omnesque reipublicae ordines redundet. Illae quidem Ecclesiae plurimas et maximas curarum Nostrarum sibi partes vindicant; nec quicquam est, quod optemus vehementius, quam ut earum possimus commoditati prosperitatique consulere, cunctasque perpetuo concordiae nexu Nobiscum habere coniunctas, quod est maximum atque optimum vinculum incolumitatis. Reliquum est, ut adspiret propositis Nostris et incoepta secundet *dives in misericordia Deus.* Nos interim apud ipsum deprecatores adhibemus Cyrillum et Methodium, Slavoniae magistros, quorum sicut volumus amplificari cultum ita coeleste patrocinium Nobis adfuturum confidimus.

*SS. Cyrilli et Methodii festum.*

Itaque praecipimus, ut, rato die quinto mensis Iulii quem f. r. Pius IX constituit, in Kalendarium Romanae atque

universalis Ecclesiae inseratur, agaturque quotannis festum sanctorum Cyrilli et Methodii cum ritus duplicis minoris Officio et Missa propria, quae sacrum Consilium legitimis ritibus cognoscendis approbavit. *30 SEPTEMBRIS 1880.*

Vobis autem omnibus, Venerabiles Fratres, mandamus ut has Litteras Nostras publicandas curetis, et quae in iis praescripta sunt cunctos ex ordine sacricolarum, qui divinum Officium ritu Ecclesiae Romanae celebrant, servare iubeatis, in suis quisque Ecclesiis, provinciis, civitatibus, dioecesibus, et locis Regularium. Denique volumus, Vobis suadentibus et cohortantibus, in universum rogari atque orari Cyrillum et Methodium, ut, qua valent apud Deum gratia, Oriente toto rem christianam tueantur, imploranda catholicis hominibus constantia, dissidentibus reconciliandae cum vera Ecclesia concordiae voluntate.

Haec, ut supra scripta sunt, ita rata et firma esse iubemus, non obstantibus sancti Pii V Pontificis Decessoris Nostri aliisque Apostolicis super Breviarii et Missalis Romani reformatione editis constitutionibus, statutis quoque ac consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Coelestium vero munerum auspicem et praecipuae Nostrae benevolentiae pignus, Apostolicam benedictionem Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, cunctoque clero et populo singulis Vestrum commisso peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die XXX septembris anno MDCCCLXXX, Pontificatus Nostri anno tertio.

LEO PP. XIII.

# EPISTOLA

## Ad Card. Guibert, Archiepiscopum Parisiensem

## DE INIQUIS DECRETIS A GUBERNIO FACTIS

## ADVERSUS COLLEGIA RELIGIOSORUM.

*22 OCTOBRIS 1880.*

PERLECTAE a Nobis libenter sunt litterae, quas ipse, dilecte Fili Noster, ad Principem Reipublicae, ad Praefectum consilii publicis negotiis administrandis, nuperrime vero ad Praepositum negotiis Galliae interioribus misisti super decretis die XXIX mense martio factis adversus collegia sodalium religiosorum, in quibus non sint, ut fere loquuntur, iura collegiorum legitima. In iis quidem litteris non mediocris est commendatio constantiae tuae cum eximia caritate coniunctae : propterea quod libere aeque ac placate demonstras, ubicumque est Ecclesiae catholicae libertas constituta, ibi religiosos ordines sponte coalescere : ipsos enim tamquam ex stirpe quadam existere et quasi nasci ex Ecclesia ; et perinde esse atque auxiliares copias, his temporibus maxime necessarias, quorum sollertiam et industriam cum in perfunctione munerum sacrorum, tum in hominibus christiana caritate adlevandis peropportune atque utilissime Episcopi adhibeant. — Atque illud quoque scienter inter cetera ostendis, nullum esse rei publicae genus, cui religiosae sodalitates adversentur atque repugnent : non parum autem interesse tranquillitatis publicae, tot civibus innoxiis quiete placideque vivendi integram manere facultatem ; non esse denique virorum populo bene consulentium, videri velle a religione, quae communis est omnium, discedere, fidemque catholicam ab avis et maioribus hereditate acceptam hostiliter consectari.

*Archiepiscopi aliorumque episcoporum scripta in religiosorum iura tuenda probantur.*

Ceterorum autem Episcoporum Galliae eadem de funestis illis decretis sententia fuit, idemque iudicium. Omnes enim magna cum laude fortitudinis ac moderationis patrocinium ordinum religiosorum publice studioseque susceperunt, in eaque re fungi se officio intellexerunt iusto atque debito ; sentiunt enim, id quod res est, impendentium malorum

magnitudinem, nec solum Ecclesiae luctum futurum, sed etiam imminentem Galliae calamitatem non levem, liberis civibus iniuriam, publicae tranquillitati discrimen.

*Institutorum religiosorum praeclara merita in omni virtutum et operum genere.*

Et sane, eximios istos viros, in quorum capita vim placuit acuere legum, Ecclesia ipsa et genuit et materna sollicitudine aluit ad decus omne virtutis atque humanitatis. Neque uno tantum nomine plurimum iis debet civilis hominum societas, cum et sanctitate morum ad recte faciendum incitare animos multitudinis consueverint, et doctrinae copia sacras profanasque disciplinas illustrare; demum omnium optimarum artium patrimonium mansuris ingenii sui fructibus locupletare. Et quibus temporibus maior extitit Clericorum penuria, ex coenobiis prodivere sacrorum operariorum manipuli praestanti sapientia et sedulitate, qui adiumento Episcopis essent in excolendis ad pietatem animis, in doctrina evangelica disseminanda, in instituenda ad litteras bonosque mores iuventute. Eorum autem qui ad barbaros populos, Evangelii caussa, mittuntur, maximum numerum semper contulerunt domus sodalium religiosorum in Gallia consistentium; qui magnis pro catholica fide exantlatis laboribus una cum Evangelio christiano Gallorum nomen et gloriam ad dissitas gentes transtulerunt. — Nullum vero in conditione humana prope est infortunii genus, quod non lenire, nullus casus, in quo nomen poni solet calamitatis, cui non sodales religiosi tempestivam admovere medicinam studuerint, in nosocomiis, in domibus infimae plebi recipiundae, in urbium pace et otio, in trepidatione atque aestu tumultuum bellicorum; idque ea suavitate et misericordia, quae non potest nisi a divina caritate proficisci. Cuius caritatis cunctis provinciis, urbibus, oppidis in conspectu sunt nobilissima exempla egregiique fructus.

*Communis Galliae civium in Regulares benevolentia.*

Tot tantorumque meritorum commendatio, concordi Episcoporum testimonio instructa, satis virium ad intentatam prohibendam cladem habitura videbatur; praesertim cum Galliae cives ex omni ordine longe plurimi praesenti sacrorum ordinum discrimine commoti, alius alio studiosius profiteri voluntatem suam, honestissimo certamine obsequii ac benevolentiae, contenderint; neque pauci magistratu abire,

publicisque muneribus sese abdicare memorabili exemplo fortitudinis maluerint, quam aut cladis adiutores se praebere, aut illorum decretorum fautores videri, quibus legitimae usuque diuturno receptae civium libertati inferri grave vulnus intelligebant.

*Sodalitatum religiosarum destructio apud Ecclesiae hostes iamdiu constituta.*

Sed ad nobilissimas Episcoporum voces hominumque catholicorum querimonias, male auspicato consilio, clausae aures fuerunt. Imo prudenter coniiciebatur sodalitates religiosas non esse interitum evasuras, etiamsi legitima societatum iura petivissent; quoniam non obscuris rerum atque animorum indiciis satis apparebat, propositum de tollendis sacris ordinibus iam in mentibus insedisse; eamque ob rem decere unanimi sententia censuerunt abstinere precibus; eo magis quod aliae caussae non deessent, quae id ipsum persuaderent.

*Pontificis querelae apud gubernium.*

Itaque ad constitutam diem, vi adhibita, primo illo decreto agi coeptum, quo sanciebatur ut Societas Iesu universa Gallia dissolveretur. — Eius rei caussa Legatum Nostrum Parisiis consistentem deferre extemplo iussimus querelas Nostras ad reipublicae administratores, simulque ostendere, nihil esse tale meritos tot spectatae virtutis viros; quorum caritatem, doctrinam, curasque summo studio et perspicaci prudentia in educanda praesertim iuventute collocatas haec Apostolica Sedes sicut diu novit, ita plurimi facit. Atque eorumdem virtuti, et gratia et praeclaro iudicii sui testimonio, Galli suffragantur, cum filios adolescentes, carissima pignora, disciplinae integritatique ipsorum alacres et fiduciae pleni commendare soleant.

*Spes cladem prohibendi ope declarationis a Regularibus emittendae:*

Verum cum editae per Legatum Nostrum querelae nihil profecissent, in eo iam eramus ut vocem Nostram apostolicam pro officio et potestate Nostra attolleremus adversus ea quae in sacrorum ordinum perniciem gesta essent, quaeve in posterum gererentur. — Tunc autem significatum Nobis est, posse a decretis ceterum perficiendis desisti si sodales religiosi, datis in id litteris, declararent, se a motibus commutationibusque rerum publicarum esse alienos, nec vivendo agendoque in studia partium discessisse.

Caussae Nobis multae et graves suaserunt, ut conditionem

acciperemus ultro ab ipsis imperantibus oblatam, quae praeterquam quod nec doctrinis catholicis esset, nec ordinum religiosorum dignitati contraria, hoc etiam habebat commodi ut arcere detrimentum permagnum a Gallia, aut saltem eripere ex inimicorum manu quoddam quasi telum posse videretur, quo ipsi saepenumero abuti ad nocendum sodalibus religiosis consueverant. *22 OCTOBRIS 1880.*

Perspectum atque exploratum Nobis et huic Sedi Apostolicae est, quo consilio, cuius rei gratia, sodalitates religiosae sint in Ecclesia catholica constitutae : nimirum ad perfectionem absolutionemque virtutis in sodalibus ipsis progignendam; in actionem autem vitae, quae foras eminet, et propria est singularum, nihil esse aliud ipsis propositum, quam aut sempiternam proximorum salutem, aut miseriarum humani generis levamen ; quibus rebus student alacritate mirabili, assiduitate quotidiana. — Procul dubio nullam Ecclesia catholica reprehendit aut improbat formam civitatis ; et quae ab ipsa Ecclesia ad communem utilitatem instituta sunt, prospere esse possunt, sive unius sive plurium potestate et iustitia regatur res publica. Sedes autem Apostolica quae, in variis vicibus flexibusque rerum publicarum,negotia expediat necesse est cum iis qui populo praesunt, hoc vult, hoc spectat unice, rem christianam salvam esse : laedere vero iura imperii, cuiuscumque tandem ea sint, nec vult, nec velle potest. In rebus autem non iniustis parendum eis esse, qui praesunt, conservandi caussa ordinis, in quo est publicae fundamentum incolumitatis, nemo dubitat : nec tamen est consequens, obtemperando approbari si quidquam est aut in constitutione aut in administratione civitatis non iustum. *talis* declaratio *licita et expediens.*

Cum haec sint iuris publici praecepta catholicorum hominum communia, nihil erat impedimento quominus illa animi declaratio fieret. — Atque idcirco in eo est admiratio nonnulla, quod istud gravissimis momentis ponderatum consilium, et christianae civilisque rei caussa susceptum parum aequos existimatores et iudices offenderit viros cetera probabiles, quod in religione catholica defendenda strenue ingenioseque elaborent. Quibus ad rem aequius aestiman- *Queritur Pontifex, eam emissam non fuisse.*

dam, nosse satis erat, eam, quam diximus, animi declarationem auctoritate, aut hortatu, aut saltem assensu Episcoporum peractam fuisse. Praeesse enim et consulere rebus, quae ad religionem catholicam pertinent, Episcoporum est, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei :* ceteros autem subesse et obtemperare oportere perspicuum est.

Igitur ea, quae expetebatur, declaratione proposita, religiosis familiis minus timendum videbatur. — Verumtamen maxime dolendum est gubernatoribus rerum Galliae publicarum pergere placuisse quo instituerant; iamque illinc nuntii Nobis in dies afferuntur acerbi ac tristes; reliquas etiam ordinum religiosorum familias disiici atque ad interitum vocari coepisse. Qua quidem nova, quam Gallia iam sentit, pernicie Nos graviter commovemur, vehementerque angimur; atque iniuriam, quae Ecclesiae Catholicae infertur, deploramus ac detestamur.

*Subsecutam cladem deplorat ac detestatur.*

Interea tamen cum saeviat atrociter bellum et acriora haud procul sint e conspectu certamina, Nostri muneris est instituta Ecclesiae ubique conservare invicta stabilitate constantiae, et forti excelsoque animo iura tueri, quae sunt fidei Nostrae commissa. — Quam ad rem omnino confidimus, nec tuam Nobis, Dilecte Fili Noster, nec ceterorum Venerabilium Fratrum operam defuturam, qui obsequentem Nobis animum egregiamque voluntatem modis omnibus testari nunquam intermittunt. Vobis igitur adiuvantibus, illud Deo aspirante consequemur, ut in his temporibus rebusque tam trepidis admirabilis illa coniunctio retineatur, a fide et caritate profecta, qua christianas gentes, Episcopos universos et supremum Ecclesiae Pastorem colligatos inter se esse necesse est.

*Malo resistendum.*

Hac spe freti Tibi, Dilecte Fili Noster, Venerabilibus Fratribus Episcopis Galliae, Clero populoque curae vestrae concredito, divinorum munerum auspicem et praecipuae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII octobris A. MDCCCLXXX, Pontificatus Nostri anno tertio.

LEO PP. XIII.

# EPISTOLA ENCYCLICA

## Ad Episcopos universos catholici Orbis

## DE PIA ASSOCIATIONE A FIDEI PROPAGATIONE.

*3 DECEMBRIS 1880.*

SANCTA Dei civitas quae est Ecclesia, cum nullis regionum finibus contineatur, hanc habet vim a Conditore suo inditam, ut in dies magis dilatet *locum tentorii sui, et pelles tabernaculorum suorum* extendat (1). Haec autem christianarum gentium incrementa, quamvis intimo Sancti Spiritus afflatu auxilioque praecipue fiant, extrinsecus tamen hominum opera humanoque more perficiuntur: decet enim sapientiam Dei, eo modo res universas ordinari et ad metam perduci, qui naturae singularum conveniat. Non unum tamen est genus hominum vel officiorum, quorum ope fiat ad hanc terrestrem Sion novorum civium accessio. Nam primae quidem partes eorum sunt, qui praedicant verbum Dei: id exemplis et oraculis suis Christus edocuit; id Paulus Apostolus urgebat iis verbis: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante?... Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (2). Istud autem munus ad eos pertinet, qui rite sacris initiati fuerint. — His porro operae studiique non parum afferunt qui vel auxilia in rebus externis posita suppeditare, vel fusis ad Deum precibus coelestia charismata conciliare solent. Quapropter laudantur in Evangelio mulieres, quae Christo evangelizanti regnum Dei *ministrabant de facultatibus suis* (3), et Paulus testatur, iis qui Evangelium annuntiant voluntate Dei concessum esse ut de Evangelio vivant (4). Pari modo assectatores auditoresque suos Christum ita iussisse novimus: *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam* (5): primosque Eius alumnos, Apostolis praeeuntibus, ita supplicare Deo consuevisse: *Da servis tuis cum omni*

*In fidei propagatione primas partes habent verbi praedicatores;*

*eidem alii efficaciter cooperantur per eleemosynas et preces.*

---

1. Is. LIV, 2. — 2. Rom. X, 14, 17. — 3. Luc. VIII, 3. — 4. I Cor. IX, 14. — 5. Matth. IX, 38; Luc. X, 2.

*fiducia loqui verbum tuum* (1). Duo haec munia quae in largiendo supplicandoque consistunt, cum perutilia sunt ad regni coelorum fines latius proferendos, tum illud habent proprium, ut ab hominibus cuiuslibet ordinis expleri facile queant. Quis enim est aut tam tenui fortuna, ut exiguam dare stipem, aut tantis rebus occupatus, ut pro nuntiis sacri Evangelii Deum obsecrare aliquandiu prohibeatur? Huiusmodi vero praesidia adhibere semper viri apostolici consueverunt, nominatim Pontifices romani, in quos christianae fidei propagandae maxime incumbit sollicitudo: tametsi non eadem perpetuo ratio fuit haec subsidia comparandi, sed varia et diversa, pro varietate locorum temporumque diversitate.

*Societas a* Fidei propagatione, *divino consilio nostris diebus instituta, multopere a summis Pontificibus commendata;*

Cum aetate nostra libeat ardua quaeque coniunctis plurimorum consiliis et viribus aggredi, societates passim coire vidimus, quarum nonnullae etiam ob eam caussam sunt initae, ut provehendae in aliquibus regionibus religioni prodessent. Eminet autem inter ceteras pia consociatio ante annos fere sexaginta Lugduni in Galliis coalita, quae a *propagatione fidei* nomen accepit. Haec primum illuc spectavit, ut quibusdam in America missionibus opem ferret: mox tamquam granum sinapis in arborem ingentem excrevit, cuius rami late frondescunt, adeoque ad missiones omnes, quae ubique terrarum sunt, actuosam beneficentiam porrigit. Praeclarum hoc institutum celeriter Ecclesiae Pastoribus probatum fuit et luculentis laudum testimoniis honestatum. Romani illud Pontifices Pius VII, Leo XII, Pius VIII, Decessores Nostri et commendarunt vehementer et indulgentiarum donis ditaverunt. Ac multo etiam studiosius fovit, et plane caritate paterna complexus est Gregorius XVI, qui in encyclicis litteris die XV mensis augusti anno huius saeculi quadragesimo datis in hanc sententiam de eodem loquutus est: « Magnum sane opus « et sanctissimum, quod modicis oblationibus et quotidianis « precibus a quolibet sodalium ad Deum fusis sustinetur, « augetur, invalescit, quodque Apostolicis operariis susten- « tandis, christianaeque caritatis operibus erga neophytos

1. Act. IV, 29.

« exercendis, nec non fidelibus ab impetu persecutionum « liberandis inductum bonorum omnium admiratione atque « amore dignissimum existimamus. Nec sine peculiari « divinae providentiae consilio tantum commodi atque uti- « litatis Ecclesiae nuperrimis hisce temporibus obvenisse « censendum est. Dum enim omnigena inferni hostis ma- « chinamenta dilectam Christi sponsam lacessunt, nihil illi « opportunius contingere poterat, quam ut desiderio pro- « pagandae catholicae veritatis Christifideles inflammati « iunctis studiis, collataque ope omnes Christo lucrifacere « conarentur. » Haec prolocutus, Episcopos hortabatur, sedulo agerent in sua quisque Dioecesi, ut tam salutare institutum nova quotidie incrementa caperet. — Neque a vestigiis Decessoris sui deflexit gloriosae recordationis Pius IX, qui nullam praetermisit occasionem iuvandae societatis meritissimae, eiusque prosperitatis in maius provehendae. Revera auctoritate eius ampliora pontificalis indulgentiae privilegia in socios collata sunt, excitata ad eius operis subsidium christianorum pietas, et praestantissimi e sodalium numero, quorum singularia merita constitissent, variis honorum insignibus decorati ; demum externa aliquot adiumenta, quae huic instituto accesserant, ab eodem Pontifice ornata laude et amplificata sunt.

*3 DECEMBRIS 1880.*

*item societas a* sacra infantia

Eodem tempore aemulatio pietatis effecit, ut binae aliae societates coalescerent, quarum altera a *sacra Iesu Christi infantia*, altera a *Scholis Orientis* nuncupata est. Priori propositum est tollere et ad christianos mores educere infantes miserrimos, quos desidia vel egestate compulsi parentes inhumaniter exponunt, praesertim in Sinensium regionibus, ubi plus est huius barbaria moris usitata. Illos itaque peramanter excipit sodalium caritas, pretioque interdum redemptos christianae regenerationis lavacro abluendos curat, ut scilicet vel in Ecclesiae spem, Deo iuvante, adolescant, vel saltem morte occupatis sempiternae felicitatis potiundae facultas praebeatur. — Sollicita est de adolescentibus alia quam commemoravimus societas, omnique industria contendit, ut ii sana doctrina imbuantur, studetque prohibere fallacis pericula scientiae, ad quam proni persaepe

*et alia a* scholis Orientis.

illi feruntur ob improvidam discendi cupiditatem. — Ceterum utraque sodalitas antiquiori illi, cui a fidei propagatione nomen est, adiutricem operam praebet, et stipe precibusque christianarum gentium sustentata ad idem propositum amico foedere conspirat; omnes enim eo intendunt, ut evangelicae lucis diffusione quamplurimi ab Ecclesia extorres veniant ad agnitionem Dei, Eumque colant, et quem misit IESUM CHRISTUM. Meritis proinde laudibus, velut innuimus, haec duo instituta, datis Apostolicis litteris, ornavit Pius IX Decessor Noster, iisque sacras indulgentias liberaliter est elargitus.

*Praedictae societates uberes edidere salutis fructus;*

Itaque cum tria sodalitia tam certa Pontificum maximorum gratia floruerint, cumque opus singula suum studio concordi urgere numquam desierint, uberes edidere salutis fructus, Congregationi Nostrae de propaganda fide haud mediocre attulere subsidium et levamen ad sustinenda missionum onera, atque ita vigere visa sunt, ut laetam quoque spem facerent in posterum segetis amplioris. At vero tempestates plures ac vehementes, quae adversus Ecclesiam excitatae sunt in regionibus iamdudum evangelica luce illustratis, detrimentum intulerunt iis etiam operibus, quae sunt ad barbaras gentes excolendas instituta. Etenim multae caussae extiterunt, quae sociorum numerum liberalitatemque minuerent.

*at multis de caussis earum facultates minuuntur;*

Et sane cum passim opiniones pravae spargantur in vulgus, per quas mundanae felicitatis appetitio acuitur, coelestium autem bonorum spes abiicitur, quid ab iis expectetur, qui animo ad excogitandas, corpore ad capiendas voluptates utuntur? Huiusmodi homines precesne fundant, quibus exoratus Deus populos sedentes in tenebris ad divinum Evangelii lumen victrici gratia adducat? Istine sacerdotibus pro fide laborantibus ac dimicantibus suppetias ferant? Restrictiores porro fieri ad munificentiam animos etiam piorum hominum temporis improbitate oportuit, partim quod abundante iniquitate refrixit multorum caritas, partim quod rerum privatarum angustiae, publicarum motus (iniecto etiam metu peioris aevi) plures in retinendo tenaces, parciores ad largiendum effecerunt.

Multiplex contra gravisque necessitas Apostolicas mis-

siones premit atque urget, cum sacrorum operariorum copia efficiatur quotidie minor; neque abreptis morte, senio confectis, labore attritis praesto sunt qui succedant pares numero et virtute. Religiosas enim familias, unde plures ad sacras missiones prodibant, infensis legibus dissociatas cernimus, clericos ab aris avulsos et onus militiae subire coactos, bona utriusque Cleri fere ubique publicata et proscripta. — Interim aditu ad alias plagas patefacto quae videbantur imperviae, crescente locorum et gentium notitia, aliae atque aliae quaesitae sunt expeditiones militum Christi, novaeque stationes constitutae: ideoque plures desiderantur, qui se iis missionibus devoveant, et tempestiva conferant subsidia. — Difficultates omittimus et impedimenta a contradictionibus oborta. Saepe enim viri fallaces, satores errorum, simulant Apostolos Christi, humanisque praesidiis affatim instructi munus catholicorum sacerdotum praevertunt, vel deficientium loco subrepunt, vel posita ex adverso cathedra docentis obsistunt, satis se assequutos rati, si audientibus verbum Dei aliter ab aliis explicari ancipitem faciunt salutis viam. Utinam non aliquid artibus suis proficerent! Illud certe deflendum, quod ii vel ipsi, qui tales magistros aut fastidiunt aut prorsus non noverunt, puramque veritatis lucem inhiant, saepe hominem non habeant, a quo sana doctrina erudiantur et ad Ecclesiae sinum invitentur. Vere parvuli petunt panem, et non est qui frangat eis; regiones albae sunt ad messem, et haec quidem multa, operarii autem pauci, pauciores forsan propediem futuri.

*3 DECEMBRIS 1880.*

*necessitates autem quibus subveniendum augescunt;*

Quae cum ita sint, Venerabiles Fratres, Nostri muneris esse ducimus, piis studiis caritatique christianorum admovere stimulos, ut qua precibus, qua largitionibus sacrarum missionum opus iuvare et fidei propagationi favere contendant. Cuius rei quanta sit praestantia, cum bona ostendunt quae illi proposita sunt, tum quae inde percipiuntur compendia et fructus. Recta enim tendit sanctum hoc opus ad gloriam divini nominis et Christi regnum amplificandum in terris; incredibiliter autem beneficum est iis, qui e vitiorum coeno et umbra mortis evocantur, et praeterquam quod

*hinc stimuli addantur fidelium caritati.*

salutis sempiternae compotes fiunt, ab agresti cultu ferisque moribus ad omnem civilis vitae humanitatem traducuntur. Quin etiam iis ipsis est valde utile ac fructuosum, quorum in eo aliquae sunt partes, cum spirituales illis divitias comparet, praebeat materiam meriti, et Deum quasi beneficii debitorem adstringat.

*Promoveant episcopi*

Vos igitur, Venerabiles Fratres, in partem sollicitudinis Nostrae vocatos etiam atque etiam hortamur, ut concordibus animis apostolicas missiones sedulo vehementerque adiuvare Nobiscum studeatis, fiducia in Deum erecti et nulla difficultate deterriti. Salus agitur animorum, cuius rei caussa Redemptor Noster animam suam posuit, et Nos Episcopos et sacerdotes dedit in opus sanctorum, in consummationem corporis sui. Quare retenta licet ea statione gregisque custodia quam cuique Deus commisit, summa ope nitamur, ut sacris missionibus ea praesidia suppetant quae a primordiis Ecclesiae in usu fuisse commemoravimus, scilicet Evangelii praeconium, et piorum hominum cum preces tum eleemosynae.

*vocationes,*

Si quos ergo noveritis divinae gloriae studiosos et ad sacras expeditiones suscipiendas promptos et idoneos, his addite animos, ut explorata compertaque voluntate Dei, non acquiescant carni et sanguini, sed Spiritus Sancti vocibus obtemperare festinent. A reliquis autem sacerdotibus, a religiosorum virorum utriusque sexus ordinibus, a cunctis denique fidelibus curae vestrae concreditis magnopere contendite, ut numquam intermissis precibus coeleste auxilium satoribus divini verbi concilient. Deprecatores autem adhibeant Deiparam Virginem, quae valet omnia errorum monstra interimere; purissimum eius Sponsum, quem plures missiones iam sibi praestitem custodemque adsciverant, et nuper Apostolica Sedes universae Ecclesiae Patronum dedit; Apostolorum Principes agmenque totum, unde profecta primum Evangelii praedicatio omni terrarum orbe personuit; ceteros demum praeclaros sanctitate viros, qui in eodem ministerio absumpsere vires, vel vitam cum sanguine profuderunt. — Precationi supplici eleemosyna accedat, cuius quidem ea vis est, ut vel loco dissitos et alienis

*precationes,*

*eleemosynas.*

3 DECEMBRIS 1880.

curis distentos apostolicorum virorum adiutores, eorumque cum in laborando tum in benemerendo socios efficiat. Tempus quidem est huiusmodi, ut plures premat rei familiaris inopia ; nemo tamen idcirco animum despondeat: stipis enim, quae in hanc rem desideratur, collatio nulli ferme potest esse gravis, quamvis e multis in unum collatis satis grandia queant parari subsidia. Vobis autem, Venerabiles Fratres, commonentibus, unusquisque consideret, non iacturae sed lucro suam sibi liberalitatem futuram, quia feneratur Domino qui dat indigenti, eaque de caussa ars eleemosyna dicta est omnium artium quaestuosissima. Revera, si, ipso IESU CHRISTO auctore, non perdet mercedem suam qui uni ex minimis eius poculum dederit aquae frigidae, amplissima profecto merces illum manebit, qui insumpto in sacras missiones aere vel exiguo, precibusque adiectis, plura simul et varia caritatis opera exercet, et quod divinorum omnium divinissimum sancti Patres dixerunt, adiutor fit Dei in salutem proximorum.

Certa fiducia nitimur, Venerabiles Fratres, eos omnes qui catholico gloriantur nomine, haec reputantes animo et hortationibus Vestris incensos, minime defuturos huic, quod Nobis tantopere cordi est, pietatis officio ; neque passuros studia sua in amplificando IESU CHRISTI regno, eorum sedulitate et industria vinci, qui dominatum principis tenebrarum propagare nituntur. — Interea piis christianarum gentium coeptis Deum propitium adprecantes, Apostolicam benedictionem, praecipuae benevolentiae Nostrae testem, Vobis, Venerabiles Fratres, Clero et populo vigilantiae Vestrae commisso peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III decembris anno MDCCCLXXX, Pontificatus Nostri anno tertio.

LEO PP. XIII.

# ALLOCUTIO

## Ad R. R. E. Cardinales

## DE ANTONIO HASSUN IN SACRUM COLLEGIUM ASSUMPTO.

*13 DECEMBRIS 1880.*

Si fuit in re christiana tempus ullum difficile et plenum laboribus, hoc profecto est, cum in pluribus Europae partibus Ecclesiam intuemur acerbissimis iniuriis affectam, iisque tam variis tamque multis, ut prope in singulas horas de libertate, de iuribus, de dignitate sua dimicare cogatur. Etenim crescente passim rerum malarum audacia, divina religionis maiestas contemnitur, instituta catholica violantur, iniquae leges cum manifesto fidei et salutis animarum discrimine praescribuntur. Quam ob rem si omnibus, quotquot sunt amantes catholici nominis, iusta caussa est, cur praesentibus eius aut periculis aut incommodis commoveantur, multo Nos vehementius angimur, et praecipuum quemdam dolorem sustinemus. — Nihilominus tamen placet hodierno die ab earum rerum molesta contemplatione tantisper avocare mentem, atque illuc potius convertere, unde solatium Nobis aliquod oblatum videmus ; ad Ecclesias Orientis intelligimus, de quibus ipsis ad Vos loquuti sumus, cum tempora postularent. Alias enim in hoc amplissimo loco commemoratae a Nobis sunt curae singulares, quas sub ipsa Pontificatus Nostri exordia in populos Orientis conferre properavimus. Idque perlibenter egimus, non solum ob eam caussam, quod eorum necessitatibus mature occurrere oportebat, sed etiam quia, divinae providentiae beneficio, ad catholicae veritatis centrum inclinare animi viderentur.

*Pontificis curae in populos Orientis.*

*Orientis gloria.*

Nos quidem certe pervetusta Orientis gloria, et in omne genus hominum fama meritorum ipsa recordatione delectat. Ibi enim salutis humani generis incunabula, et christianae sapientiae primordia : illinc omnium beneficiorum, quae una cum sacro Evangelio accepimus, velut abundantissimus amnis in Occidentem influxit. Neque interitura laus est

virorum ex Oriente magnorum; quibus contigit ut afflatu auspiciisque veritatis catholicae ad omnem excellentiam niterentur, et sanctitate, doctrina, rebus gestis gloriam nominis sui ad posteros propagarent. Atque haec Nobiscum, Venerabiles Fratres, in animo considerantes, nihil tam cupimus atque optamus, quam dare operam, ut Oriente toto maiorum virtus et magnitudo reviviscant. Eoque magis, quod illic humanorum eventuum is volvitur cursus, ut indicia identidem appareant, quae spem portendunt, Orientis populos, ab Ecclesiae Romanae sinu tam diuturno tempore dissociatos, cum eadem aliquando in gratiam, aspirante Deo, redituros.

*Orientalibus ecclesiis Romanae purpurae decus redditur.*

Quoniam igitur Nobis certum est, studiose, quoad possumus, institutum opus insistere, idcirco iamdiu cogitabamus, quo tandem modo cunctis ex Oriente populis singulare quoddam paternae benevolentiae Nostrae testimonium praeberemus. Nunc vero idoneam, ut optabamus, occasionem nacti, benevolentem animum Nostrum publica eademque praeclara significatione testamur, suscepto consilio cooptandi in amplissimum collegium vestrum, Venerabiles Fratres, unum ex Episcopis Orientis virtute praestantissimis: qua re non uni dumtaxat, sed universis gratificari volumus.

*Antonii Hassun virtutes et egregia merita.*

Haud vos latet, Venerabiles Fratres, eos ex Armeniorum gente, qui ab hac Apostolica Sede postremo hoc tempore desciverant, poenituisse facti, eoque, unde aberraverant, divini numinis benignitate rediisse. Iamvero in omni hoc pacificationis negotio Venerabilis Frater Noster Antonius Hassun valde Nobis industriam, caritatem, prudentiam suam probavit. Is quippe eximius vir, libet enim quod in ipso laudabile est commemorare, ad litteras, ad graviores disciplinas Romae adolescens institutus, in Orientem remigravit, ubi primum Archiepiscopus, ac tandem Patriarcha Ciliciensis Armeniorum renuntiatus est. Itaque per annos fere quadraginta pontificale munus sapienter integreque gessit. Popularium suorum secessione coorta, in vindicandis iuribus, tuendaque Ecclesiae doctrina grande praebuit patientiae et fortitudinis documentum. Sed in eo cum multa sunt ornamenta virtutum, tum maxime elucet erga hanc Apostolicam

Sedem non modo immobilis fides, verum etiam vis quaedam amoris studiumque singulare.

Hunc itaque, Venerabiles Fratres, dignum iudicavimus, per quem Orientalibus Ecclesiis romanae decus purpurae, longo post Bessarionem intervallo, redderemus. Faxit Deus, ut collata viro amplissimo dignitas rei catholicae universae fausta felixque sit : nominatim vero bene vertat Orienti, ut scilicet qui catholicam professionem retinent, cuncti sese in hoc uno homine honoratos intelligant, atque incitamenta capiant ad fidem avitam sancte custodiendam ; ceteri autem agnoscant atque ament voluntatem Nostram, atque hoc velut pignus accipiant bonorum longe maximorum, quae Nos, si animum aliquando induxerint cum hac beati Petri Principis Apostolorum Sede fidem caritatemque christianam consociare, nomine et auctoritate Dei ipsis pollicemur.

Ad maiorem autem Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem, praeter hunc, quem supra diximus, tres alios praestantes viros S. R. E. Cardinales designamus, quos tamen iustis de caussis in pectore reservamus.

Quid vobis videtur ?

Auctoritate itaque Omnipotentis Dei, Sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra creamus Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyterum Cardinalem

ANTONIUM HASSUN.

Item tres alios, quos supra indicavimus, Cardinales creamus, arbitrio Nostro quandocumque evulgandos.

Cum dispensationibus, derogationibus, et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

# LITTERAE

## Ad Archiepiscopum Dublinensem

## DE SERVANDA AEQUITATE CHRISTIANA IN POLITICIS COMMOTIONIBUS.

*3 IANUARII 1881.*

EPISTOLAM tuam, quam Nobis cum Romae esses coram exhibuisti ad Clerum populumque Dublinensis dioeceseos proxime datam libentes perlegimus. In ea quippe agnovimus prudentiam et aequitatem animi tui; propterea quod, commota nunc Hibernia partim rerum desiderio meliorum, partim incertorum eventuum metu, ipse consilia praebes tempori admodum opportuna.

*Debita laus Hibernis tribuitur propter diuturnam fortitudinem et constantiam in fide: simulque spes declaratur melioris conditionis.*

Nos quidem sollicitat atque angit misera conditio, in qua catholici homines ex Hibernia versantur; multumque eorum virtuti tribuimus, quam res adversae vehementer exercent, nec brevi intervallo, sed aliquot iam saecula et aetates. Ipsi enim fortitudine et constantia summa quoslibet perferre casus, quam avitam religionem deserere, aut ab antiqua fide erga hanc Apostolicam Sedem vel minimum discedere maluerunt. Propterea eximia est et usque ad hanc aetatem continuata laus, numquam apud eos reliquarum virtutum nobilissima exempla defuisse. Quae Nos caussae impellunt, ut paterna illos benevolentia complectamur, maximeque optemus, ut quibus affliguntur, incommodis modus aliquis celeriter imponatur.

*Caveant tamen ne bonae caussae malis artibus noceant.*

Eodem tamen tempore omnino iudicamus cavere eos magnopere debere, ne genuinae et domesticae probitatis suae opinio minuatur, nihilque temere admittere, quo debitam legitime imperantibus obedientiam abiecisse videantur. Atque huius rei caussa, si quando Hibernia in rerum suarum tutelam ac defensionem gravius exarsit, Pontifices Romani incitatos animos continuo flectere ad lenitatem monendo exhortandoque contenderunt, ne scilicet iustitia violaretur moratione posthabita, neu caussa quantumvis aequa, interiectis cupiditatibus, in seditionis flammam erumperet. Quae sane consilia eo spectabant ut Catholici Hiberni

in rebus omnibus magistram ac ducem Ecclesiam sequerentur, et ad eius praecepta sese affatim accommodantes, pravarum doctrinarum invitamenta respuerent. Itaque Gregorius XVI Pontifex Maximus die 12 mensis martii anno 1839, et die 15 octobris anno 1844 per sacrum Consilium christiano nomini propagando Archiepiscopum Armacanum admonuit, nihil agere nisi moderate et iuste. Nos autem exemplo Decessoris Nostri, superiore anno kalendis iunii, ut probe nosti, cunctis Episcopis Hiberniae recta monita pro rerum opportunitate danda curavimus, nimirum Hibernos dicto audientes Episcopis esse oportere, nullaque in re a religione officii declinare. Ac paulo serius, mense novembri, aliquot ex Hibernia Episcopis qui Romam ad sepulcra Apostolorum adierant, testati quidem sumus, Nos Hibernorum caussa omnia cupere: verumtamen illud etiam adiunximus, perturbare ordinem non licere.

Talis in sentiendo agendoque modus institutis praeceptisque Ecclesiae catholicae maxime congruit; neque dubitamus, quin ipsis Hiberniae rationibus sit profuturus. Etenim aequitati confidimus virorum, qui summam imperii tenent: in quibus certe magnus esse solet rerum usus cum civili prudentia coniunctus. Multo tutius ac facilius fieri poterit ut ea, quae vult Hibernia consequatur, si modo via quam leges sinunt utatur, caussasque offensionis evitet. Quapropter et Tu, Venerabilis Frater, et Tui isthic in episcopatu collegae date operam ut gens Hibernorum in his tam trepidis rebus aequitatis iustitiaeque fines ne transiliat. Plura profecto testimonia observantiae et amoris ex Hiberniae Episcopis, a Clero, a populo accepimus: quod si nunc iidem hisce consiliis auctoritatique Nostrae, uti pro certo habemus, docili ingenio paruerint, tunc demum sciant, se et officio suo et Nobis cumulate satisfecisse.

Nos denique ex animo Deum exoramus, ut Hiberniam volens propitius respiciat; atque interim coelestium munerum auspicem Tibi, Venerabilis Frater, ceterisque Hiberniae Episcopis, nec non universo Clero et populo Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 3 ianuarii anno 1881. Pontificatus Nostri anno tertio.

LEO PP. XIII.

# LITTERAE APOSTOLICAE

## QUIBUS EXTRAORDINARIUM IUBILAEUM INDICITUR AD COELESTE PRAESIDIUM IMPETRANDUM.

MILITANS IESU CHRISTI Ecclesia, quae hominum generi maxime potest salutem incolumitatemque praestare, tam graviter in hac calamitate temporum exercetur, ut in novas quotidie procellas incurrat, vere comparanda cum Genesarethana illa navicula, quae, dum Christum Dominum eiusque discipulos olim veheret, maximis turbinibus ac fluctibus quatiebatur. Revera qui cum catholico nomine gerunt inimicitias, ii nunc numero, viribus, consiliorum audacia praeter modum insolescunt; neque satis habent doctrinas coelestes palam abdicare, sed summa vi impetuque contendunt, ut Ecclesiam aut omnino a civili hominum consociatione repellant, aut saltem in publica populorum vita nihil posse cogant. Ex quo fit, ut illa in fungendo munere, quod ab Auctore suo divinitus accepit, magnis undique se difficultatibus implicatam ac retardatam sentiat.

*12 MARTII 1881.*

*In gravissimis calamitatibus quibus premitur*

Nefariae huius coniurationis acerbissimi fructus in Pontificem Romanum maxime redundant; cui quidem, legitimis iuribus suis deiecto atque in exercendis maximis muneribus multimodis impedito, figura quaedam regiae maiestatis, quasi per ludibrium, relinquitur. Quapropter Nos, divinae providentiae consilio in hoc sacrae potestatis fastigio collocati, Ecclesiaeque universae procuratione districti, et iamdiu sentimus et saepe diximus, quantum haec, in quam Nos temporum vices compulerunt, aspera sit et calamitosa conditio. Commemorare singula nolumus: verumtamen manifesta sunt omnibus quae in hac Urbe Nostra plures iam annos geruntur. — Hic enim in ipso catholicae veritatis centro sanctitati religionis illuditur, et dignitas Apostolicae Sedis laeditur, et in crebras profligatorum hominum iniurias pontificia maiestas obiicitur. Erepta potestati Nostrae plura

*Sancta Sedes*

sunt, quae Decessores Nostri pie liberaliterque instituerant, ac successoribus suis inviolate servanda transmiserant; neque temperatum est, quin iura laederentur sacri *Instituti christiano nomini propagando:* quod quidem non de religione solum, sed etiam de humanitate gentium praeclare meritum, nulla unquam vis superiorum temporum violaverat. — Templa catholici ritus clausa vel profanata non pauca, haeretici ritus multiplicata; doctrinarum pravitas scribendo agendoque impune diffusa. — Qui rerum summa potiti sunt, dant saepe operam constituendis legibus in Ecclesiam nomenque catholicum iniuriosis: idque in conspectu Nostro, quorum curae omnes ex Dei ipsius mandato vigilare in eo debent, ut christiana res incolumis et Ecclesiae iura salva sint. — Nullo autem respectu ad illam, quae est in Romano Pontifice, docendi potestatem, ab ipsa institutione iuventutis auctoritatem Nostram intercludunt; ac si Nobis est permissum, quod nulli privatorum interdicitur, in institutionem adolescentium scholas sumptibus Nostris aperire, in eas ipsas legum civilium vis et severitas invadit. — Quarum rerum funesto spectaculo multo vehementius commovemur, quod succurrendi facultas, quam maxime optaremus, Nobis non suppetit. In potestate enim sumus verius inimicorum quam Nostra; atque illa ipsa, quae Nobis conceditur, usura libertatis, cum eripi aut imminui alieno possit arbitrio, certum non habet stabilitatis constantiaeque firmamentum.

*et tota Ecclesia*

Interea quotidiano rerum usu manifestum est, malorum contagionem magis magisque serpere per reliquum christianae reipublicae corpus, et ad plures propagari. Etenim aversae ab Ecclesia gentes in miserias incidunt quotidie maiores; atque ubi semel extincta aut debilitata fides catholica sit, finitimum est iter ad opinionum insaniam rerumque novarum cupiditatem. Eius autem, qui Dei vices in terris gerit, maxima et nobilissima potestate contempta, perspicuum est, nullos hominum auctoritati frenos superesse tam validos, qui possint indomitos perduellium spiritus compescere, aut ardorem dementis libertatis in multitudine coercere.—Atque his de caussis civilis hominum societas, et

si magnas iam calamitates suscepit, maiorum tamen periculorum suspicione terretur. *12 MARTII 1881.*

Quo igitur Ecclesia queat inimicorum conatus refutare, suumque munus, utilitatis omnium caussa, perficere, multum laboret necesse est, multumque contendat. In hoc autem certamine vehementi et vario, in quo et divina agitur gloria, et de salute animorum sempiterna dimicatur, frustra esset omnis hominum virtus et industria, nisi coelestia adiumenta suppeditarentur opportuna temporibus. — Quare in trepidis afflictisque christiani nominis rebus, hoc semper laborum ac sollicitudinum perfugium esse consuevit, summis precibus a Deo postulare, ut opitularetur laboranti Ecclesiae suae, impertiretque depugnandi virtutem, triumphandi potestatem. — Hunc igitur Nos praeclarum morem disciplinamque maiorum imitati, cum probe intelligamus, tanto Deum magis esse exorabilem, quanto in hominibus maior est vis poenitendi, gratiaeque cum eo reconciliandae voluntas, idcirco, coelestis praesidii impetrandi atque animorum iuvandorum caussa, sacrum Iubilaeum extra ordinem catholico orbi per has Litteras Nostras indicimus.

*speciale Dei auxilium necessarium, ad quod implorandum Iubilaeum indicitur.*

Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit, universis et singulis utriusque sexus Christifidelibus plenissimam peccatorum omnium indulgentiam, ad instar generalis Iubilaei, concedimus, si modo effecerint, qui in Europa agunt, a proximo die 19 huius mensis martii, sacro ob memoriam sancti Iosephi beatae Mariae Virginis Sponsi, ad diem primum novembris, solemnem ob memoriam coelitum universorum inclusive; qui vero extra Europam, ab eodem proximo die 19 huius mensis martii usque ad postremum diem labentis anni MDCCCLXXXI inclusive, quae infra praecepta sunt : scilicet quotquot sunt Romae cives vel hospites Basilicam Lateranensem, item Vaticanam et Liberianam bis adeant, ibique per aliquod temporis spatium pro catholicae Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis prosperitate et exaltatione, pro extirpatione haeresum omniumque errantium conversione, pro christianorum Principum con-

*Iubilaei conditiones.*

cordia ac totius fidelis populi pace et unitate, secundum mentem Nostram pias ad Deum preces effundant; iidem uno die esurialibus tantum cibis utentes ieiunent, praeter dies in quadragesimali indulto non comprehensos, aut alias simili stricti iuris ieiunio ex praecepto Ecclesiae consecratos; praeterea peccata sua rite confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum suscipiant, atque eleemosynae nomine in pium aliquod opùs quidquam conferant. Qua de re ea Instituta nominatim commemoramus, quorum tuitionem charitati Christianorum haud ita pridem per Litteras commendavimus, nimirum *Propagationem Fidei*, *sacram Iesu Christi Infantiam* et *Scholas Orientis;* quas quidem in remotis etiam et silvestribus plagis instituere et provehere, ut pares necessitatibus sint, optatissimum Nobis destinatumque in animo est. — Ceteri vero omnes extra Urbem ubicumque degentes tria templa ab Ordinariis locorum vel eorum Vicariis seu Officialibus, aut de eorum mandato et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent designanda, bis, vel si duo tantum sint templa, ter, aut si unum, sexies, dicto temporis intervallo, adeant; item alia opera, quae supra commemorata sunt, peragant. — Quam indulgentiam etiam animabus, quae Deo in charitate coniunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari posse volumus. — Praeterea locorum Ordinariis indulgemus, ut Capitulis et Congregationibus tam saecularium quam regularium, sodalitatibus, confraternitatibus, universitatibus, seu collegiis quibuscumque memoratas Ecclesias processionaliter visitantibus, easdem visitationes ad minorem numerum pro suo prudenti arbitrio reducere queant.

Concedimus vero, ut navigantes et iter agentes, ubi ad sua domicilia, seu alio ad certam stationem sese receperint, visitata sexies Ecclesia maiore aut parochiali, ceterisque operibus, quae supra praescripta sunt, rite peractis, eamdem indulgentiam consequi possint. — Regularibus vero personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis, saecularibus vel regularibus, qui carcere, infirmitate corporis,

aut alia qualibet iusta caussa impediantur quominus memorata opera, vel eorum aliqua praestent, concedimus atque indulgemus, ut ea Confessarius in alia pietatis opera commutare possit, vel in aliud proximum tempus prorogare, facta etiam potestate dispensandi super Communione cum pueris nondum ad primam Communionem admissis. *12 MARTII 1881.*

Insuper universis et singulis Christifidelibus, tam laicis quam ecclesiasticis, saecularibus ac regularibus cuiusvis Ordinis et Instituti etiam specialiter nominandi, facultatem concedimus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum Confessarium tam sæcularem quam regularem ex actu approbatis; qua facultate uti possint etiam Moniales, Novitiae, aliaeque mulieres intra claustra degentes, dummodo Confessarius approbatus sit pro Monialibus. — Confessariis autem, hac occasione et durante huius Iubilaei tempore tantum, omnes illas ipsissimas facultates largimur, quae a Nobis tributae fuere in alio Iubilaeo concesso per Nostras Litteras Apostolicas datas die XV mensis februarii anno MDCCCLXXIX, quae incipiunt « *Pontifices Maximi*, » iis tamen omnibus semper exceptis, quae in iisdem Litteris a Nobis excepta fuere. *privilegia.*

Quo autem fructus salutares, qui Nobis propositi sunt, ex hoc sacro Iubilaeo tutius atque uberius percipiantur, hoc magnopere studeant universi, ut magnam Dei Matrem praecipuo per id tempus obsequio cultuque demereantur. — Ipsum autem sacrum Iubilaeum in tutelam fidemque tradimus ac commendamus sancto Iosepho, castissimo beatae Virginis Mariae Sponso, quem gloriosae recordationis Pius IX P. M. totius Ecclesiae Patronum declaravit, et cuius opem suppliciter quotidie implorari ab omnibus Christi fidelibus optamus. — Praeterea cunctos hortamur, ut peregrinationes suscipere pietatis caussa velint ad sanctorum coelitum aedes, quae peculiari religione in variis regionibus sanctae ac venerabiles haberi consueverint: quas inter in Italia praestat sacrosancta Virginis Mariae Lauretanae domus, quam altissimorum mysteriorum memoria commendat. *Commendatur ut enixe Beatam Virginem fideles deprecentur, pias peregrinationes instituant.*

Quapropter in virtute sanctae obedientiae praecipimus

atque mandamus omnibus et singulis Ordinariis locorum, eorumque Vicariis et Officialibus, vel ipsis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut cum praesentium Litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa in sua quisque ditione publicanda curent, populisque etiam verbi Dei praedicatione, quoad fieri possit, rite praeparatis, Ecclesiam seu Ecclesias visitandas ut supra designent.

Ut autem praesentes Litterae, quae ad singula loca deferri nequeunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut praesentium transumptis vel exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo munitis personae in dignitate ecclesiastica constitutae, ubicumque locorum eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XII martii anno MDCCCLXXXI, Pontificatus Nostri anno quarto.

LEO PP. XIII.

# CONSTITUTIO

## DE EPISCOPORUM ET REGULARIUM IN ANGLIA MUTUIS IURIBUS ET OBLIGATIONIBUS.

*VIII IDUS MAII 1881.*

ROMANOS Pontifices Decessores Nostros paterno semper caritatis affectu inclytam Anglorum gentem fovisse, et monumentis suis testatur historia, et felicis recordationis Pius IX in Litteris *Universalis Ecclesiae* III kalend. octobris anno Incarnationis Dominicae MDCCCL datis, graviter ac diserte demonstravit. Quum autem per eas Litteras episcopalem hierarchiam idem Pontifex inter Anglos restitueret, cumulavit quodammodo, quantum temporum ratio sinebat, ea benefacta quibus Apostolica Sedes nationem illam fuerat prosequuta. Ex dioecesium enim restitutione pars illa dominici gregis ad nuptias Agni coelestis iam vocata, ac mystico Eius corpori sociata, pleniorem veritatis atque ordinis firmitatem per Episcoporum gubernationem et regimen rursus adepta est. *Episcopi quippe*, inquit S. Irenaeus (1), *successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt;* atque inde fit, quemadmodum S. Cyprianus monet (2), *ut Ecclesia super Episcopos constituatur et omnis actus Ecclesiae per eosdem Praepositos gubernetur.*

*Restituta apud Anglos hierarchia ecclesiastica.*

Huic sane sapienti consilio mirifice respondit eventus; plura nimirum Concilia provincialia celebrata, quae saluberrimis legibus religiosa dioecesium negotia ordinarunt: latius propagata in dies catholica fides, et complures nobilitate generis et doctrina praestantes ad unitatem Ecclesiae revocati: clerus admodum auctus: auctae pariter religiosae domus non modo ex regularibus ordinibus, sed ex iis etiam recentioribus institutis, quae moderandis adolescentium moribus, vel caritatis operibus exercendis optime de re christiana et civili societate meruerunt: constituta pia laicorum sodalitia: novae missiones novaeque Ecclesiae

*Bona exinde secuta.*

1. *Adv. haer.* lib. IV, cap. 26, n. 2, — 2. Epist. 29 *ad lapsos.*

quamplures erectae, nobili instructu divites, egregio cultu decorae; permulta etiam item condita orphanis alendis hospitia, seminaria, collegia et scholae in quibus pueri et adolescentes frequentissimi ad pietatem ac litteras instituuntur.

Cuius quidem rei laus non exigua tribuenda est Britannicae gentis ingenio, quod prout constans et invictum est contra vim adversam, ita veritatis et rationis voce facile flectitur, ut proinde vere de ipsis dixerit Tertullianus *Britannorum inaccessa Romanis, loca Christo subiecta* (1). At praecipuum sibi laudis meritum vindicant cum assidua Episcoporum vigilantia tum Cleri universi docilis ad parendum voluntas, prompta ad agendum sollertia.

*Ortae difficultates inter Episcopos et regulares.*

Nihilominus quaedam ex ipsa rerum conditione ortae difficultates dissensusque inter sacrorum Antistites et sodales ordinum religiosorum obstiterunt, quominus uberiores fructus perciperentur. Illi enim, cum praescripta fuisset per memoratas Litteras Praedecessoris Nostri communis iuris observantia, rati sunt se posse omnia decernere quae ad ipsius iuris executionem pertinent, quaeve ex generali Ecclesiae disciplina Episcoporum potestati permissa sunt. Plures contra gravesque caussae prohibebant, ne peculiaris missionum disciplina, quae iam inveteraverat, repente penitus aboleretur. Ad has propterea difficultates avertendas et controversias finiendas Angliae Episcopi, pro sua in hanc Apostolicam Sedem observantia, Nos adiere rogantes, ut suprema auctoritate Nostra dirimerentur.

*Caussa ad Sanctam Sedem delata Congregationi specialiter deputatae examinanda committitur; praesenti autem constitutione dirimitur.*

Nos vicissim haud gravate eam postulationem excepimus, tum quia nobilem illam nationem non minore quam Decessores Nostri benevolentia complectimur, tum quia nihil Nobis est antiquius, quam ut, sublatis dissidii caussis, stabilis ubique vigeat mutua cum caritate concordia. Quo gravius autem et cautius a Nobis iudicatio fieret, non modo iis quae ultro citroque adducebantur iuribus et auctoritatibus diligenter animum adiecimus, sed etiam sententiam perrogavimus Congregationis specialiter deputatae aliquot S.R.E. Cardinalium e duobus sacris Consiliis, quorum alterum Episcoporum et Regularium negotiis expediendis praeest, alterum

1. Lib. *adv. Iudaeos*, cap. 5.

christiano nomini propagando. Hi cunctis accurate exploratis quae in deliberationem cadebant, et rationum momentis, quae afferebantur utrinque, religiose perpensis, fideliter Nobis exposuerunt quid aequius melius de singulis quaestionibus decernendum sibi videretur in Domino. Audito itaque memoratorum Cardinalium consilio, caussaque probe cognita, supremum iudicium Nostrum de controversiis ac dubitationibus quae propositae sunt per hanc Constitutionem pronunciamus.

*VIII IDUS MAII 1881.*

Multiplex licet varieque implexa sit congeries rerum quae in disceptationem vocantur, omnes tamen ad tria potissimum capita commode redigi posse arbitramur, quorum alterum ad familiarum religiosarum exemptionem pertinet ab episcopali iurisdictione; alterum ministeria respicit, quae a regularibus missionariis exercentur: tertium quaestiones complectitur de bonis temporalibus deque usu in quem illa oporteat converti.

*Tria difficultatum capita.*

Ad regularium exemptionem quod attinet, certa et cognita sunt canonici iuris praescripta. Scilicet quamvis in ecclesiastica hierarchia, quae est *divina ordinatione* constituta, presbyteri et ministri sint inferiores Episcopis, horumque auctoritate regantur (1); tamen quo melius in religiosis ordinibus omnia essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur; denique ut esset incremento et perfectioni *religiosae conversationis* (2) consultum, haud immerito Romani Pontifices, quorum est dioeceses describere, ac suos cuique subditos sacra potestate regendos attribuere, Clerum Regularem Episcoporum iurisdictione exemptum esse statuerunt. Cuius rei non ea fuit caussa quod placuerit religiosas sodalitates potiore conditione frui quam clerum saecularem; sed quod earum domus habitae fuerint iuris fictione quasi territoria quaedam ab ipsis dioecesibus avulsa. Ex quo factum est ut religiosae familiae, quas iure communi et Episcopis propter hieraticum principatum, et Pontifici maximo propter primatum Pontificium immediate subesse,

*Primum difficultatum caput regularium exemptio.*

*Exemptionis ratio generalis.*

1. Concil. Trid. sess. 23 *de sacram. ord.* can. 7. — 2. S. Gregor. M. Epist. III lib. IX. — Bened. XIV Epist Decret. *Apostolicae servitutis*, prid. idus mart. 1742.

oporteret [1], in Eius potestate esse perrexerint, ex Episcoporum potestate per privilegium exierint. Quum autem re ipsa intra fines dioecesium vitam degant, sic huius privilegii temperata vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disciplina, adeoque ut clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati sive ordinariae sive delegatae.

*Quaestio de regularibus in residentiis missionum commorantibus;*

De hoc itaque privilegio exemptionis dubitatum est, num eo muniantur religiosi sodales, qui in Anglia et Scotia missionum caussa consistunt : hi enim ut plurimum in privatis domibus terni, bini, interdum singuli commorantur. Et quamvis Benedictus XIV in Constit. *Apostolicum Ministerium*, III kalen. iunii anno Incarnationis Dominicae MDCCLIII, memoratos missionarios regulares privilegio perfrui declaraverit, subdubitandum tamen Episcopi rursus in praesens existimabant, eo quod, restituta episcopali hierarchia, rem catholicam ad iuris communis formam in ea regione gubernari oportet. Iure autem communi [2] constitutum est, ut domus, quae sodales religiosos sex minimum non capiant, in potestate Episcoporum esse omnino debeant. Insuper ipse Constitutionis Auctor visus est ponere privilegii caussam in « publici regiminis legibus... quibus coenobia quaecumque prohibentur » ; hanc vero caussam compertum est fuisse sublatam, quum plures iam annos per leges illius regni liceat religiosis sodalibus in collegia coire.

*tenendum est eos etiam exemptione gaudere :*

Nihilominus haec tanti non sunt, ut reapse privilegium defecisse iudicemus. Nam quamvis hierarchiae instauratio facit, ut res catholica apud Anglos ad communem Ecclesiae disciplinam *potentialiter* revocata intelligatur; adhuc tamen res ibi geruntur eodem fere modo atque in missionibus geri solent. Iamvero sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries declaravit, Constitutiones Clementis VIII *Quoniam* IX kal. iulii MDCIII, Gregorii XV *Cum alias* XVI kalen. septemb. MDCXXII, Urbani VIII *Romanus Pontifex* v. kal. septemb. MDCXXIV, itemque Constitutiones nnocentii X non esse de domibus atque hospitiis missionum

1. Concil. Vatic. Constit. *Pastor aeternus* cap. 3. — 2. Innocent. X Constit. *Instaurandae,* die 15 octob. 1652. Constit. *Ut in parvis,* die 10 februar. 1654.

intelligendas (1). Ac merito quidem ; nam quum dubium iamdudum fuisset propositum Clementi VIII, utrum religiosi viri ad Indos missi in culturam animarum existimandi essent quasi vitam degentes extra coenobii septa, proindeque Episcopis subesse Tridentina lege iuberentur, Pontifex ille per Constitutionem *Religiosorum quorumcumque* VI idus novembris MDCI decreverat eos « reputandos esse tamquam « religiosos viventes intra claustra — quamobrem — in con- « cernentibus curam animarum Ordinario loci subesse ; in « reliquis vero non Ordinario loci, sed suis superioribus sub- « iectos remanere. » — Neque aliud sensit iudicavitque Benedictus XIV in suis constitutionibus *Quamvis* V kalen. martii MDCCXLVI, *Cum nuper* VI idus novembris MDCCLI, et *Cum alias* V idus iunii MDCCLIII. Ex quibus omnibus liquet, etiam hospitia ac domos quantumvis incolarum paucitate infrequentes huius, de quo agitur, privilegii iure comprehendi, idque non in locis solum ubi Vicarii apostolici, sed etiam ubi Episcopi praesunt : de Episcopis enim in Constitutionibus, quas memoravimus, agebatur. Apparet insuper rationem potissimam exemptionis missionariorum regularium in Anglia non esse exquirendam in legibus civilibus, quae coenobiis erigendis obessent ; sed magis in eo salutari ac nobilissimo ministerio, quod a viris apostolicis exercetur. Quod non obscure Benedictus XIV significavit, inquiens, « regulares Anglicanae missioni destinatos illuc « proficisci in bonum sanctae nostrae religionis : » Eamdemque caussam pariter attulerat Clemens VIII, cum de sodalibus religiosis ad Indos profectis docuerat, ipsos antistitum suorum iussu illuc concessisse, ibique sub disciplina praefecti provinciae versari « ad praedicandum sanctum Dei Evan- « gelium et viam veritatis et salutis demonstrandam. » Hinc post sublatas leges sodalitiis regularibus infensas, et hierarchia catholica in integrum restituta, ipsi Britannorum Episcopi in priori Synodo Westmonasteriensi testati sunt rata sibi privilegia fore, « quibus viri religiosi suis in domibus « vel extra legitime gaudent » quamvis « extra monasteria « ut plurimum degant. »

*VIII IDUS MAII 1881.*

1. S. Cong. de Prop. fide 30 ianuarii 1627 ; 27 martii 1631 ; 5 octobris 1655 ; 23 septembris 1805 ; 29 martii 1834.

*pontificia decisio.*

Quamobrem in praesenti etiam Ecclesiae catholicae apud Britannos conditione declarare non dubitamus Regulares, qui in residentiis missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii iurisdictione, non secus ac regulares intra claustra viventes, praeter quam in casibus a iure nominatim expressis, et generatim in iis quae concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem.

*Alterum caput difficultatis, Missionariorum regularium praesentia in collationibus et synodis.*

Praecipuam hanc quam definivimus controversiam altera excipiebat affinis, de obligatione qua teneantur Rectores missionum creditam habentes animarum curam, eorumque vicarii, aliique religiosi sodales, facultatibus praediti quae missionariis conceduntur, ut intersint iis Cleri conventibus, quos *collationes* seu *conferentias* vocant, neque non Synodis dioecesanis. Cuius quaestionis vis et ratio ut intelligatur, praestat memorare quod in Concilio Westmonasteriensi Provinciali IV praecipitur his verbis : « Si duo vel plures sint « sacerdotes in eadem missione,unum tantum primum « designandum, qui gerat curam animarum et administra- « tionem Ecclesiae..... ceteros omnes curam quam habent « animarum cum dependentia a primo exercere (1). » Comperta itaque natura facti de quo agitur, et semota tantisper ea quaestionis parte quae Synodos respicit, ambigi nequit, quin Rectores missionum adesse debeant iis Cleri coetibus, qui *collationes* dicuntur. Namque eorum caussa eadem ferme est ac parochorum ; parochos autem etiam regulares ea obligatione adstringi et docuit Benedictus XIV Constit. *Firmandis* §. 6 VIII idus novembr. MDCCXLIV, et sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis pluries declaravit (2). Recte igitur in praedicta Synodo Westmonasteriensi fuit constitutum : « Ad suam collationem tenentur convenire, respondere parati omnes sacerdotes saeculares et regulares, salvis eorum iuribus, qui curam habent animarum. » Aliter dicendum videretur de vicariis, aliisque religiosis viris apostolica munia obeuntibus. His enim integrum quidem est de *iure constituto* a memoratis collationibus abstinere, prout alias fuit a sacra Congre-

*Collationibus adesse tenentur non solum Regulares Missionum rectores, sed etiam eorum vicarii caeterique apostolica munia obeuntes :*

1. Dec. 10. n. 10. — 2. *Forosempronien.* 5 septem. 1650 Lib. 19 Decret.

*VIII IDUS MAII 1881.*

gatione Concilii declaratum (1). At nos minime praeterit Concilium Romanum habitum anno MDCCXXV auctoritate Benedicti XIII iussisse confessarios omnes etiam ex ordinibus regularibus intra fines provinciae commorantes coetus illos celebrare « dummodo morales in eorum conventibus « lectiones non habeantur. » Quum autem quod sine effectu geritur id geri nullo modo videatur, sacrum Consilium christiano nomini propagando merito existimans domesticas regularium collationes in quibusdam missionum locis parum fructuosas ob exiguum sodalium numerum futuras, cunctis et singulis illic munere perfungentibus imperavit, ut Cleri conventibus interessent. Hisce igitur rationibus permoti declaramus, omnes missionum rectores Cleri collationibus adesse ex officio debere, simulque decernimus ac praecipimus ut iisdem intersint vicarii quoque, aliique religiosi viri missionariis facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitia, parvasque missionum domos incolunt.

*decisio pontificia.*

De officio conveniendi ad Synodum explorata Tridentina lex est (2): « Synodi quoque dioecesanae quotannis celebren- « tur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante « exemptione, interesse deberent, nec capitulis generalibus « subduntur, accedere tenentur. Ratione autem parochialium « aut aliarum saecularium ecclesiarum etiam adnexarum, « debent ii qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Sy- « nodo interesse. » Quam legem egregie illustravit Benedictus XIV (3). Neque vero putamus cuiquam negotium facessere, decretum Alexandri VIII, III kalen. aprilis MDCXCI quo cavetur, ut ad synodum accedant Abbates, Rectores, Praefecti, omnesque antistites domorum religiosarum quas Innocentius X Episcoporum potestati subiecerat. Quum enim Innocentianae Constitutiones viros apostolicos, qui in sacris missionibus versantur, non attingant, facile intelligitur, neque decretum Alexandri VIII ad eos, de quibus modo apud Nos agitur, pertinere. Quare huic posteriori quaestionis parti hoc unum respondemus : standum esse decretis Synodi Tridentinae.

*Quoad synodos dioecesanas, servanda lex Tridentina.*

1. *Forosempronien.* 12 maii 1681 Lib. 53 Decr. fol. 258 *Aquipendien.* VV. SS. LL. 12 martii 1718. — 2. Sess. 24 cap. 2. *de reform.* — 3. *De Synod. dioec.* lib, 3, cap. 1 § 11.

*Appellatio ab interpretatione decretorum synodalium semper licita:*

Proxima est quaestio quae respicit appellationem ab interpretatione, quam Episcopi ediderint, decretorum synodalium. Namque hisce decretis pareant oportet etiam religiosi sodales in iis quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem referuntur (1), ceterisque in rebus « in quibus eos Episcoporum iurisdictioni subesse « canonica praecipiunt instituta (2). » Profecto dubitare non licet quin ab iis interpretationibus ad Sedem Apostolicam provocatio sit : « siquidem, Gelasio I (3) et Nicolao I (4) « auctoribus, ad illam de qualibet mundi parte canones « appellari voluerunt : ab illa autem nemo sit appellare « permissus. » Quare huius appellationis tantummodo vis et effectus potest in dubitationem adduci. At haec dubitatio facile tollitur, si apta fiat caussarum distinctio. Fas est nimirum Regularibus appellare *in devolutivo* tantum, quoad interpretationem decretorum, quae e iure communi, sive ordinario sive delegato, Regulares etiam afficiunt ; quo vero ad interpretationem aliorum decretorum etiam *in suspensivo.* Authentica namque interpretatio quae manat ab Episcopis, qui Synodorum auctores sunt, tanti profecto est, quanti sunt ipsa decreta. Ex quo illud omnino est consequens, licere religiosis sodalibus a primo decretorum genere appellare eo iure et modo, quo licet cuilibet e dioecesi appellare a lege communi, scilicet *in devolutivo* (5). At vero ad reliqua decreta quod attinet, ea certe lata contra regulares vim rationemque legis amittunt : quare constat illos sic exemptionem a iurisdictione episcopali possidere uti ante possederint; donec Pontificis maximi auctoritate iudicetur, iure ne an secus cum iis actum sit.

*quando in* devolutivo,

*quando in* suspensivo.

*Tertium caput difficultatum, ministeria per Regulares exercita.*

Hactenus de exemptionis privilegio ; nunc de iis quaestionibus dicendum, quibus ministeria quaedam per regulares exercita occasionem praebuerunt. Excellit inter haec munus curationis animarum, quod saepe, ut innuimus, religiosis viris demandatur intra fines ab Episcopis praestitutos ; locus autem iis finibus comprehensus *missionis* nomine designatur.

1. Concil. Trid. sess. 25, cap. 11 *de regular.* — 2. Innoc. IV cap. 1 *de privileg.* in 6. — 3. Epist. 7. *ad Episc. Dardan.* ann. 495 Tom. 2 collect. Harduini. — 4. Epist. 8 ad Michael. Imperat. Tom. 5 collect. Harduini. — 5. Bened. XIV *de Synod. Dioec.* Lib. 13, cap. 5 §, 2.

Iam vero de his missionibus disceptatum fuit, an et quomodo fieri possit ab Episcopis earum divisio, seu, ut dici solet, dismembratio. Nam qui Regularium iura tuebantur, negabant hanc divisionem fieri posse nisi legitimis de caussis, adhibitisque iuris solemniis quae praescripta sunt ab Alexandro III (1) et a Concilio Tridentino (2). Alia vero erat Episcoporum opinatio. *VIII IDUS MAII 1881.*

*Missionum* dismembratio *episcopis permissa :* Profecto si divisio fiat paroeciae veri nominis, sive antiquitus conditae, sive recentiore memoria iure constitutae, dubitandum non est quin nefas sit Episcopo canonum praescripta contemnere. At Britannicae missiones generatim in paroecias ad iuris tramites erectae non sunt: idcirco sacrum Consilium christiano nomini propagando anno MDCCCLXVI officium applicandi missam pro populo ad Episcopum pertinere censuit, propterea quod dioecesium Britannicarum non ea sit constitutio, ut in veras paroecias dispositae sint. Itaque ad divisionem missionis simplicis ea iuris solemnia transferenda non sunt, quae super dismembratione paroeciarum fuerunt constituta : eo vel magis quod propter missionum indolem et peculiares circumstantias, numero plures ac leviores caussae possint occurrere,quae istarum divisionem suadeant, quam quae iure definitae sint ut fiat paroeciarum divisio. Neve quis urgeat similitudinem quam utraeque inter se habent; cum enim obligatio servandi solemnia iuris libertatem agendi coerceat, ad similes caussas non est pertrahenda. Silentibus itaque hac super re generalibus Ecclesiae legibus, necesse est ut Concilii Provincialis Westmonasteriensis valeat auctoritas, cuius hoc decretum est : « Non obstante « rectoris missionarii deputatione, licebit Episcopo de con« silio Capituli, intra limites missionis cui praeponitur, novas « Ecclesias condere ac portionem districtus iis attribuere, si « necessitas aut utilitas populi fidelis id requirat. » Quae cum sint ita, ad propositam consultationem respondemus : licere Episcopis missiones dividere, servatà forma sancti Concilii Tridentini (3), quoad missiones quae sunt vere proprieque dictae paroeciae ; quoad reliquas vero, ad formam *decisio pontificia.*

1. Cap. ad *audientiam* de Eccles. aedific. — 2. Sess. 21 cap. 4. *de reform.* — 3. Cap. 4 sess. 21 *de reform.*

Synodi I Provincialis Westmonasteriensis [1]. Quo melius autem missioni, quae dividenda sit, eiusque administris prospiciatur, volumus ac praecipimus, ut sententia quoque rectoris exquiratur, quod iam accepimus laudabiliter esse in more positum : quod si a religiosis sodalibus missio administretur, Praefectus Ordinis audiatur; salvo iure appellandi, si res postulet, a decreto episcopali ad Sanctam Sedem *in devolutivo* tantum.

*Facta* dismembratione *missionis Regularibus commissae, non tenetur Episcopus novam missionem eisdem attribuere.*

Peracta missionis, cui regulares praesint, dismembratione, alia nonnunquam quaestio suboritur : utrum nempe Episcopus in praeficiendo Rectore missioni, quae nova erigitur, ipsos religiosos sodales ceteris debeat praeferre. — Quamvis illi hanc sibi praerogativam adserant, obscurum tamen non est, haud leves exinde secuturas difficultates et offensiones. Ceterum in ea, de qua sermo est, nova erectione necesse est alterutrum contingere : nimirum ut paroecia veri nominis, aut mera missio constituatur. Si primum fieret, perquam alienum esset ab Ecclesiae disciplina e religiosa familia arcessitum parochum praeferri ; sic enim iure quod modo viget arcentur regulares a parochi munere, ut illud suscepturi venia Apostolica indigeant. Ad rem Benedictus XIV in Constit. *Cum nuper*, VI idus novembr. MDCCLI, « Quem-« admodum, inquit, negari nequit, ex veteri canonum lege « monachos et regulares ecclesiarum parochialium regiminis, « capaces fuisse, ita certum nunc est ex recentiori canonica « disciplina interdictum esse regularibus parochiarum curam « adsumere sine dispensatione Apostolica. » Hinc sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis ad dubium : « an annuendum sit precibus Patrum Augustinianorum de « nova paroecia iisdem concedenda » rescripsit — negative et amplius [2]. — Sin autem, quod secundo loco posuimus, mera missio erigitur, ius certe non obest religiosis viris ne inter eos eligatur rector ; ast ne iis quidem praeferri optantibus suffragatur. Rem itaque integram et in sua potestate positam aggrediens Episcopus, libertate sua utatur oportet ; ubi enim iura silent, loco legis est Praesulis auctoritas ;

1. *De regimine congregationum* seu *missionum*, n. 5. — 2. In Ianuen. *dismemrationis* XXV ianu. MDCCCLXXIX.

praesertim vero quod, ut doctorum fert adagium, Episcopus *intentionem habet in iure fundatam* in rebus omnibus, quae ad dioecesim suam administrandam attinent. Quamobrem praelatio quoad novam missionem, a Regularibus expetita, aut nullo iuris subsidio fulcitur, aut in disertam iuris dispositionem offendit.

*VIII IDUS MAII 1881.*

Officium curationis animarum sedulitati Regularium commissum alias etiam dubitationes gignit; eaeque loca spectant finibus comprehensa missionum quae ab ipsis reguntur. Coepit enim ambigi utrum coemeteria et pia loca, intra fines illarum sita, Episcopus visitare possit. Ast in coemeteriis facilis ac prona suppetit distinctionis adeoque finiendae controversiae ratio. Nam si de coemeteriis agatur, quae solis religiosis familiis reservantur, ea plane ab Episcopi iurisdictione, proindeque a visitatione exempta sunt; cetera vero fidelium multitudini communia, quum uno ordine haberi debeant cum coemeteriis paroecialibus, iurisdictioni Ordinariorum subsunt indubitate, ac propterea optimo iure ab Episcopo visitantur, quemadmodum statuit Benedictus XIV in Constit. *Firmandis* VIII idus novembris MDCCXLIV. Haud absimili distinctione de locis piis quaestio dirimitur, ea secernendo quae exempta sunt ab iis quibus praeest Episcopus sive ordinario iure, sive delegato. De utrisque igitur, tum coemeteriis tum piis locis, sententiam Nostram paucis complectimur pronunciantes: sacrorum canonum et constitutionum Apostolicarum praescripta esse servanda.

*Coemeteria et loca pia in missionibus Regularium sita episcopus visitare potest* ad praescripta canonum.

Superioribus dubiis arcto iungitur nexu illud quo quaeritur an Episcopis subesse debeant scholae pauperum, quae *elementares* etiam, *primariae*, *puerorum* nuncupantur; est enim sanctissimum docendi ministerium, et proximum piis locis ordinem tenent scholae de quibus agendum est. Quo illae pertineant ex ipso nomine dignoscitur; intendunt nimirum ad puerilem aetatem primis litterarum elementis primisque fidei veritatibus, ac morum praeceptis apte instituendam: quae quidem institutio omnibus est temporibus, locis et vitae generibus necessaria, ac multum habet momenti ad universae societatis humanae nedum singulorum hominum incolumitatem; ex puerili enim institutione pendet,

*Episcopis subsunt scholae pauperum,*

ut plurimum, qua quis ratione sit reliquae aetatis spatium acturus. Itaque quid a docentibus eo loci praecipue praestandum sit, sapienter Pius IX significavit scribens : « In « hisce potissimum scholis omnes cuiusque e populo classis « pueri vel a teneris annis sanctissimae nostrae religionis « mysteriis ac praeceptionibus sedulo sunt erudiendi et ad « pietatem morumque honestatem, et ad religionem civi- « lemque vivendi rationem accurate formandi, atque in « iisdem scholis religiosa praesertim doctrina ita primarium « in institutione et educatione locum habere ac dominari « debet, ut aliorum cognitiones, quibus iuventus ibi imbui- « tur, adventitiae appareant (1). » — Nemo ex hinc non intelligit istam puerorum institutionem in Episcoporum officiis esse ponendam, et scholas, de quibus agitur, tam in urbibus frequentissimis, quam in pagis exiguis inter opera contineri quae ad rem dioecesanam maxime pertinent.

*ut constat ex earum natura, et ex factis :*

Insuper quod ratio suadet lux historiae confirmat. Nullum quippe fuit tempus quo singularis non eluxerit Conciliorum cura in huiusmodi scholis ordinandis ac tuendis, pro quibus plura sapienter constituerunt. Eorum nempe decretis prospectum est ut illas Episcopi in oppidis et pagis restitui et augeri curarent (2), puerique ad discendum admitterentur, qualibet, si fieri posset, impensa remissa (3). Eorumdem auctoritate dictae leges, quibus alumni religioni ac pietati operam darent (4), definitae dotes et ornamenta animi, quibus magistros praeditos esse oporteret (5), iisque imperatum, uti iurarent iuxta formulam catholicae professionis (6) : demum scholarum curatores constituti qui eas adirent, ac circumspicerent nequid inesset vitii aut incommodi, neve quid omitteretur ex iis rebus, quas de illarum disciplina leges dioecesanae sanxissent (7). Ad haec, quum Patres Conciliorum probe intelligerent parochos etiam pastoralis ministerii compotes esse ; partes haud exiguas iisdem tri-

1. Epist. ad Archiep. Friburg. *Cum non sine maxima* XIV iulii MDCCCLXIV *Acta* vol. 3.—2. Synod, I Provincial. Camerac. tit. *de scholis*, cap. 1.—Synod. provinc. Mechlin. tit. *de scholis*, cap. 2.— 3. Synod. Namurcen. an. 1604 tit. 2, cap. 1. — 4. Synod. Antwerpien. sub Miraeo, tit. 9, cap. 3.—5. Synod. Cameracen. an. 1550. — 6. Synod. II Provinc. Mechlinien., tit. 1, cap. 3. — 7. Synod. II Provinc. Mechlinien., tit. 20, cap. 4. — Synod. Provin. Pragen., an. 1860, tit. 2, cap. 7.

buerunt in scholis puerorum, quarum cura cum animarum curatione summa necessitate iungitur. Placuit igitur in singulis paroeciis pueriles scholas constitui (1), quibus nomen est *parochialibus* impositum (2); iussi sunt parochi munus docendi suscipere, sibique adiutricem operam magistrorum et magistrarum adsciscere (3): iisdem negotium datum scholas regendi et curandi diligentissime (4): quae omnia si non ex fide integreque gesserint, officium deseruisse arguuntur (5), dignique habentur in quos Episcopus animadvertat (6). In unum ergo collineant argumenta ex ratione et factis petita ut scholae, quas pauperum vocant, institutis dioecesanis et paroecialibus praecipuo iure adnumerandae sint; eaque de caussa Britannorum Episcopi ad hanc usque aetatem in missionibus tam saecularibus quam regularibus easdem pro potestate sua visitare consueverunt. Quod et Nos probantes declaramus: Episcopos ius habere quoad omnia visitandi huiusmodi scholas pauperum in missionibus et paroeciis regularibus aeque ac in saecularibus.

*VIII IDUS MAII 1881.*

*pontificia decisio.*

Alia profecto caussa est ceterarum scholarum et collegiorum, in quibus religiosi viri secundum ordinis sui praescripta iuventuti catholicae instituendae operam dare solent; in hisce enim et ratio postulat, et Nos volumus firma atque integra privilegia manere quae illis ab Apostolica Sede collata sunt, prout aperte est declaratum anno MDCCCLXXIV a sacro Consilio christiano nomini propagando, quum acta expenderentur Concilii Provincialis Westmonasteriensis IV (7).

*Quoad caeteras scholas et collegia, sarta tecta maneant privilegia Regularibus concessa.*

Quum res in vado sit quod ad scholas attinet et collegia regularium iam constituta, adhuc tamen est in ancipiti, si de novis erigendis agatur. De his enim quaeritur, an et cuius superioris venia sit impetranda? Porro cum latius ea dubi-

1. Synod. Valens., an. 529, can. 1. — Synod. Nannet. relat. in cap. 3. *de vit. et hon. clericor.* — Synod. Burdigal. an. 1583, tit. 27. — 2. Synod. 1. Provinc. Mechlin. tit. *de scholis*, cap. 2. — Synod. Provinc. Colocen., an. 1863, tit. 6. — Synod. Provin. apud Maynooth anno 1875. — 3. Synod. Nannet. sup. cit. — Synod. Antwerp. sup. cit. — Synod. Prov. Burdig., an 1850, tit. 6, cap. 3. — 4. Synod. Prov. Vienn. ann. 1858, tit. 6, cap. 8. — Synod. Prov. Ultraiect., an. 1865, tit. 3, cap. 2. — 5. Synod. Prov. Colocen., an. 1863, tit. 6, cap. 5. — Synod. Prov. Colonien., an. 1860, tit. 2, cap. 23. — Synod. Prov. Ultraiect., an. 1863, tit. 9, cap. 5. — 6. Synod. I Prov. Cameracen., tit *de scholis*, cap. 2. — 7. Decret. 26.

*Nova collegia, coenobia Regularibus erigere non licet sine expressa licentia Romani Pontificis et Episcopi loci :*

tatio pateat et ecclesiarum quoque ac coenobiorum erectionem pertingat, omnia haec unius quaestionis et iudicii terminis complectimur. Atque hic primo occurrunt Decretales veteres, quibus est cautum ne quid huiusmodi quisquam institueret absque Sedis Apostolicae licentia speciali (1). Postmodum Tridentina Synodus in eodem genere quidquam operum fieri prohibuit « sine Episcopi, in cuius dioe« cesi erigenda sunt, licentia prius obtenta (2) » : quo tamen Concilii decreto haud est superioribus legibus derogatum, veniam ab Apostolica Sede impetrari iubentibus. Quapropter cum ea in re liberius passim ageretur, Urbanus VIII (3) pravam consuetudinem emendaturus, opera eiusmodi improbavit tam quae sine venia Episcopi, quam quae sola illius auctoritate susciperentur, et veterum canonum simul Conciliique Tridentini leges omnino in posterum servari decrevit. Huc etiam spectavit Innocentius X in Constitut. *Instaurandae* idibus octobris MDCLII, qua praecepit ut nemo ex familiis regularibus « domos vel loca quaecumque de novo reci« pere vel fundare praesumat absque Sedis Apostolicae « licentia speciali. » Quare communis hodie sententia est, cui favet passim rerum iudicatarum auctoritas, non licere regularibus, tam intra quam extra Italiam, nova monasteria aut conventus sive collegia fundare, sola Episcopi venia impetrata, sed indultam quoque a Sede Apostolica facultatem requiri (4). Iisdem insistens vestigiis sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries decrevit, veniam Apostolicae Sedis et Episcopi aut Vicarii Apostolici ecclesiis collegiisque erigendis, etiam in missionibus, ubi religiosi sodales domos sedesque habeant, esse omnino necessariam (5). His ergo de caussis ad propositum dubium respondemus :

*decisio pontificia.*

sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove coenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae, non licere.

1. Cap. Religiosorum § *confirmatas de relig. domib.* et cap. *Ex eo* de excess. praelat. in 6. — 2. Concil. Trident. sess. 25, cap. 3 *de Regular.* — 3. Constit. *Romanus Pontifex* XIII kalen. septembris 1624. — 4. Bened. XIV, *Synod. dioeces.*, lib. 9, cap. 1, num. 9. — Monacelli. *formula legal.*, part. 1, tit. 6, form. 19, num. 31. — 5. Sac. Congreg. de Prop. Fide in coetibus habitis diebus 22 mart. 1669; 3 nov. 1688, 1704, 1768 ; 23 aug. 1858 ; 30 maii 1864 ; 17 iulii 1865.

*VIII IDUS MAII 1881.*

*Idem valet si agatur de mutatione :*

Fieri solet utique subtilior inquisitio, an duplex ea venia sit impetranda, si non prorsus novum opus regularis familia moliatur ; sed ea quae sunt instituta velit in alios usus convertere. Verum neque obscura, neque anceps erit futura responsio, si varios, qui accidere possunt, casus distinguamus. Initio enim quis serio dubitet, an ea quae pietatis religionisque caussa instituta sunt, liceat in usus a religione et pietate alienos convertere ? Restat itaque ut de tribus hisce dumtaxat quaeratur, utrum nempe liceat dimovere de loco instituta alioque transferre : aut immutare in usum consentaneum, qualis esset si schola in ecclesiam, coenobium in collegium, in domum pupillis aegrotisque recipiendis, vel vicissim mutaretur ; aut demum, priore usu retento, novam caussam sive usum inducere. Iam vero quominus duo illa prima, privata ipsorum auctoritate, religiosi sodales efficiant, obstat decretum Bonifacii VIII, qui eos vetuit « ad habi- « tandum domos vel loca quaecumque de novo recipere, « seu hactenus recepta mutare [1]. » Rursus qui fieri potest ex duobus illis alterutrum, nisi res recidat in fundationem novam « Monasteriorum, Collegiorum, domorum, conven- « tuum et aliorum Regularium locorum huiusmodi ? » Atqui id perfici prohibuit Urbanus VIII per constitutionem *Romanus Pontifex*, « servata in omnibus et per omnia « sacrorum canonum et Concilii Tridentini forma. » Sic unum superest de quo contendatur ; num priore usu retento, nova caussa vel usus adiici valeat. Tunc autem pressius rem urgere oportet et accurate dispicere, utrum ea inductio alterius usus ad interiorem administrationem, disciplinamque domesticam spectet, velut si tirocinium aut collegium studiorum caussa iunioribus sodalibus in coenobio constituatur ; an fines interioris administrationis sit excessura, puta si inibi schola fiat aut collegium quod pateat etiam alienis. Plane si dictos fines excesserit, res redit ad alterutram illarum, quae a Bonifacio VIII et Urbano VIII fieri pro lubito, ceu diximus, prohibentur. Sin autem intra limites domesticae disciplinae mutatio contineatur, suo certe iure Regulares utentur, nisi forte leges fundationis obsistant. Ex quibus sin-

1. Cap. *Cum ex eo* de excess. praelat. in 6.

*decisio pontificia.*

gillatim perpensis manifesto colligitur : Religiosis sodalibus non licere ea quae instituta sunt, in alios usus convertere absque expressa licentia Sedis Apostolicae et Ordinarii loci, nisi agatur de conversione, quae, salvis fundationis legibus, referatur dumtaxat ad internum regimen et disciplinam regularem.

*Bona intuitu ipsius missionis collata episcopi vigilantiae subduntur;*

Nunc ad illud progredimur controversiae caput, in quo de temporalibus missionum bonis disputatum est. Ex liberalitate fidelium ea parta bona sunt, qui cum sua sponte et voluntate dona largiantur, vel intuitu missionis id faciunt, vel eius qui missioni praeest. Iam si missionis intuitu donatio contigerit, ambigi solet, an viri religiosi quibus donum sit traditum, accepti et expensi rationem reddere Episcopo teneantur. Atque istud quidem fieri oportere, sacrum Consilium christiano nomini propagando super dubio proposito ob missiones Britannicas religiosis Ordinibus sive Institutis commissas, die XIX aprilis MDCCCLXIX, rescripsit in haec verba : « 1. Missionarii regulares bonorum temporalium, « ad ipsos *qua regulares* spectantium, rationem Episcopis « reddere non tenentur. 2. Eorum tamen bonorum, quae « missioni, vel regularibus *intuitu missionis* tributa fuerunt, « Episcopi ius habent ab iisdem missionariis regularibus, « aeque ac a Parochis cleri saecularis, rationem exigendi. » Quo vero tabulis accepti et expensi ratio constaret, sacer idem Coetus die X maii anno MDCCCLXVIII, in mandatis dederat ut bona missionum diligenter describerentur, ea secernendo quae propria missionum essent ab iis que ad sodalitia sodalesve singulos pertinerent.

Nihil enimvero in his decernendis vel praecipiendis est actum, quod iuris communis doctrinis vulgatissimis apprime non congruat. Nam quaevis oblatio parocho aut alteri Ecclesiae Rectori data piae cuiusdam caussae intuitu, ipsimet piae caussae acquiritur. Ex quo fit, ut qui rem pecuniamve oblatam accepit administratoris loco sit, cuius est illam erogare iuxta mentem et consilium largitoris (1). Quoniam vero administrantis officio incumbit rationes actus sui conficere,

1. Fagnan. in cap. *Pastoralis, de his quae fiunt a Praelatis*, n. 29 — Card. de Luca *in Conc. Trid.* discur. 18, n. 5 — Reiffenst. Lib. 3 *Decret.*, tit. 30, n. 193.

*VIII IDUS MAII 1881.*

eique reddere cuius res gesta fuit ([1]), ideo parochus vel Ecclesiae Rector facere non potest quin rationes reddat Ordinario loci, cuius est iurisdictio et caussae piae tutela ([2]). At missiones, de quibus apud Nos actum fuit, pleno iure ad Episcopum pertinent; huic ergo cuiusque oblationis earum intuitu collectae rationes oportet exhibere. Neque haec ex eo infirmantur, quod Urbanus II in Concilio Claromontano, aliique post eum Romani Pontifices decreverunt ([3]) circa Ecclesias Parochiales, quoad temporalia Monasteriis iunctas, teneri vicarios respondere Episcopis de *plèbis cura*, de temporalibus vero non ita, cum monasterio suo sint obnoxii; siquidem seposita etiam ratione historica unde ea profecta est iuris dispositio ([4]), certum exploratumque est, in iis pontificiis decretis ac litteris appellatione temporalium, beneficii fructus et quae beneficiati personae adhaerent compendia significari.

*decisio pontificia.*

Quocirca ea confirmantes quae a s. Congregatione de Propaganda Fide rescripta et mandata sunt, statuimus, religiosos sodales, redditis Episcopo rationibus, docere debere de pecunia, intuitu missionum sibi allata, et quantum de ea et quos in usus impenderint aeque ac missionarios Cleri saecularis, iuxta praedictas resolutiones eiusdem Congregationis die XIX aprilis MDCCCLXIX, et Instructionem die X maii MDCCCLXVIII.

*Expenditur quid intuitu missionis collatum censeri debeat, quid personae collatum:*

Tandem ne quis obrepat error aut dissensus in his quae modo iussimus exequendis, definiendum censemus, quae pecuniae, quaeque res viris religiosis oblatae intuitu missionum intelligantur. Namque receptum est hac in re, spectari primum oportere quid largitor voluerit; quod si non appareat, placuit, parocho vel rectori ecclesiae collatam donationem praesumi ([5]). At multum ab hac regula recessum est propter consuetudinem, quam quidam ecclesiastici iuris

1. L. 1. § *officio* ff. *de tutelae et rat. distr.* — L. 2 § *et sane* ff. *de negot. gest.* L. *Curator.* L. *Tutor* Cod. *de negot. gest.* — 2. Sac. Cong. Concilii *Nullius* seu *Nonantulan. iurium parochialium* 27 iunii 1744, ad dub. XII. — 3. Lucius II *ad Priorem S. Pancratii in Anglia*, Alexander III *ad Monaster. S. Arnulphi*, Lucius III *ad Superior. Praemonstrat. et ad Abbatissam S. Hilarii in dioecesi Fesulana.* — 4. Gonzal. Comment. in Cap. I. *de Cappel. monach.* — 5. Argum. ex cap. *Pastoral.* 9 *de his quae fiunt a Praelat.* cap. *Transmissa, de Verb. sign.* ac praesertim cap. I *de Statu Monach.*

periti fere communem evasisse docent, cuius vi « hodie pene « solae oblationes quae in Ecclesia sub missis ad altare « fiunt et quae pro administratione sacramentorum, pro « benedicendis nuptiis aut mulieribus post partum, pro « exequiis et sepulturis, aut aliis similibus functionibus « specialiter offeruntur, ad parochum spectant; consuetudine « reliquas ferme omnes ecclesiis ipsis aut sacellis aut aliis « certis finibus applicante [1]. » Praeterea si in parochum rectoremve, a quibus spiritualia adiumenta fideles accipiunt [2], haud inconcinne praesumi potest collata liberalitas, ubi Ecclesia bonis praedita sit, per quae religionis decori et ministrorum tuitioni prospiciatur, longe aliud iudicium esse debet ubi eam bonorum copiam Ecclesia non habeat, ac liberalitate fidelis populi unice aut potissimum sustentetur. Tunc enim largitores putandi forent voluisse consulere cultus divini splendori et religionis dignitati, ea ratione et modo quem ecclesiastica auctoritas decerneret. Ideo apud christianos primaevos lege cautum fuerat ut pecunia omnis dono accepta, inter Ecclesiam, Episcopum, Clericos et egenos divideretur. Legis porro sese interponens auctoritas, si largitionum tempora et caussas praestituat, illud efficit quoque, ne fideles semper pro arbitrio possint modum et finem designare in quem oblatam stipem erogari oporteat; nequit enim facere privatorum voluntas, ut quod a legitima potestate in bonum commune praecipitur certo destituatur effectu. Haec Nobis considerantibus visi sunt prudenter et opportune egisse Patres Concilii provincialis Westmonasteriensis II, cum partim interpretantes piam et aequam donantium voluntatem, partim ea, quae Episcopis inest, utentes potestate imperandi pecuniae collationes decernendique quo tempore et qua de caussa conferri oporteat, statuerunt in capite *de bonis ecclesiasticis*, quid censendum sit intuitu missionis collatum. Iubet igitur ratio, itemque Nos constituimus, hac in re religiosos ad leges Westmonasteriensis Synodi sese afflatim accommodare oportere.

*pontificia decisio.*

1. Reiffenst. *L.* 3 *Decretal.* tit. 30, n. 193, Van. Espen *ius eccles. univ.* part. 2, sect. 4, tit. 2, cap. 10, nn. 20 et 21. — 2. Argum. ex cap. *quia Sacerdotes* 13, caus. 10, quaest. 1.

Sublatis controversiis cognitioni Nostrae propositis, confidimus, curam a Nobis in iis componendis adhibitam eo valituram, ut ad tranquillitatem et incrementum rei catholicae in Anglia non leviter conferat. Equidem pronunciationes Nostras ad iuris et aequitatis regulam studiose religioseque exegimus, nec dubitamus quin in iis exequendis par diligentia et religio eniteat illorum inter quos iudicium protulimus. Sic enim fiet, ut Episcoporum ductu et prudentia religiosi sodales de Anglicis missionibus apprime meriti strenue et alacriter e laboribus suis fructus salutis ferre pergant laetissimos, atque utrique (ut voce utamur Gregorii Magni ad Angliae Episcopos) *communi... consilio, concordique actione quae sunt pro Christi zelo agenda disponant unanimiter, recte sentiant, et quae senserint, non sibimet discrepando perficiant* (1). Concordiam hanc postulat paterna caritas Episcoporum in adiutores suos et mutua Cleri in Episcopos observantia; hanc concordiam flagitat finis communis qui situs est in salute animarum iunctis studiis ac viribus quaerenda ; hanc eamdem exigit necessitas iis resistendi qui catholico nomini infensi sunt. Haec vires gignit et infirmos quoque pares efficit ad grandia quaeque gerenda; haec signum est quod sinceros Christi discipulos ab iis disterminat qui se tales esse mentiuntur. Ad hanc igitur singulos et universos enixe cohortamur in Domino, rogantes cum Paulo ut impleant gaudium Nostrum, ut idem sapiant, eamdem caritatem habentes unanimes, idipsum sentientes (2).

*VIII IDUS MAII 1881.*

*Exhortatio ad unitatem et pacem.*

Demum ut firmiter ea consistant quae constituimus, volumus atque decernimus, praesentes Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti religiosi sodales et alii quicumque, in praemissis interesse habentes cuiusvis status, gradus, ordinis et dignitatis existant, seu alias specifica mentione digni iis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, caussaeque propter quas praesentes emanaverint sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis iuridica et privilegiata caussa, colore et capite etiam in corpore iuris

1. Apud Bedam, *Histor. Angl.* II, 29. — 2. Philip, II, 2.

clauso, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno et substantiali, individuamque expressionem requirente defectu impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum aliudve quodcumque iuris remedium intentari vel impetrari; sed ipsas praesentes Litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, quibuscumque iuris seu facti defectibus, qui adversus illas ad effectum impediendi vel retardandi earum executionem quovis modo vel quavis de caussa opponi possent minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus obtinere, easque propterea, omnibus et singulis impedimentis penitus reiectis, ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter servari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices Ordinarios et delegatos iudicari ac definiri debere, ac irritum fore et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula *de iure quaesito non tollendo*, aliisque Apostolicis ac in Universalibus, Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis constitutionibus et ordinationibus, nec non quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, et Societatum, etiam Iesu, et quarumvis Ecclesiarum et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, ac praescriptionibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis et factis ac licet pluries iteratis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum derogatione specialis forma servanda foret, tenores earumdem praesentibus pro plene ac sufficienter expressis habentes ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Quocumque autem modo earumdem praesentium Litte-

rarum exempla in Anglia publicata fuerint, volumus ut statim post huiusmodi publicationem omnes et singulos quos concernunt vel concernent in posterum perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatae ac notificatae fuissent. *VIII IDUS MAII 1881.*

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrarum decisionum, declarationum, decretorum, praeceptorum et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Dominicae Incarnationis millesimo octingentesimo octuagesimo primo, octavo idus maii, Pontificatus Nostri anno IV.

C. CARD. SACCONI *Pro-Dat.* — T. CARD. MERTEL.

*Visa*

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS.

Loco ✠ Plumbi

*Reg. in Secret. Brevium.*

I. CUGNONIUS.

# EPISTOLA ENCYCLICA

## Ad Episcopos universos catholici Orbis

## DE CIVILI PRINCIPATU.

*29 IUNII 1881.*

DIUTURNUM illud teterrimumque bellum, adversus divinam Ecclesiae auctoritatem susceptum, illuc, quo proclive erat, evasit, videlicet in commune periculum societatis humanae, ac nominatim civilis principatus, in quo salus publica maxime nititur. — Quod hac potissimum aetate nostra factum esse apparet. Cupiditates enim populares quamlibet imperii vim audacius hodie recusant, quam antea: et tanta est passim licentia, tam crebrae seditiones ac turbae, ut iis qui res publicas gerunt non solum denegata saepe obtemperatio, sed ne satis quidem tutum incolumitatis praesidium relictum esse videatur. Diu quidem data est opera, ut illi in contemptum atque odium venirent multitudini; conceptaeque flammis invidiae iam erumpentibus, satis exiguo intervallo summorum principum vita pluries est aut occultis insidiis aut apertis latrociniis ad internecionem expetita. Cohorruit tota nuper Europa ad potentissimi Imperatoris infandam necem: attonitisque adhuc prae sceleris magnitudine animis, non verentur perditi homines in ceteros Europae principes minas terroresque vulgo iactare.

*Commune periculum societatis humanae et civilis principatus:*

Haec, quae sunt ante oculos, communium rerum discrimina gravi Nos sollicitudine afficiunt, cum securitatem principum, et tranquillitatem imperiorum una cum populorum salute propemodum in singulas horas periclitantem intueamur. — Atqui tamen religionis christianae divina virtus stabilitatis atque ordinis egregia firmamenta reipublicae peperit, simul ac in mores et instituta civitatum penetravit. Cuius virtutis non exiguus neque postremus fructus est aequa et sapiens in principibus et populis temperatio iurium atque officiorum. Nam in Christi Domini praeceptis atque exemplis mira vis est ad continendos tam qui parent, quam qui imperant in officio, tuendamque inter ipsos eam,

*religionis christianae efficacia ad illud removendum.*

quæ maxime secundum naturam est, conspirationem et quasi concentum voluntatum, unde gignitur tranquillus atque omni perturbatione carens rerum publicarum cursus. — Quapropter cum regendae Ecclesiae catholicae, doctrinarum Christi custodi et interpreti, Dei beneficio praepositi simus, auctoritatis Nostrae esse iudicamus, Venerabiles Fratres, publice commemorare quid a quoquam in hoc genere officii catholica veritas exigat; unde illud etiam emerget, qua via et qua ratione sit in tam formidoloso rerum statu saluti publicae consulendum.

*Auctoritatis necessitatem omnes agnoscunt; multi tamen eius maiestatem minuere satagunt, eam a populo esse dicentes.*

Etsi homo arrogantia quadam et contumacia incitatus frenos imperii depellere saepe contendit, numquam tamen assequi potuit ut nemini pareret. Praeesse aliquos in omni consociatione hominum et communitate cogit ipsa necessitas: ne principio vel capite, quo regatur, destituta societas dilabatur et finem consequi prohibeatur, cuius gratia nata et constituta est. Verum si fieri non potuit, ut e mediis civitatibus politica potestas tolleretur, certe libuit omnes artes adhibere ad vim eius elevandam, maiestatemque minuendam: idque maxime saeculo XVI, cum infesta opinionum novitas complures infatuavit. Post illud tempus non solum ministrari sibi libertatem largius, quam par esset multitudo contendit; sed etiam originem constitutionemque civilis hominum societatis visum est pro arbitrio confingere. Immo recentiores perplures, eorum vestigiis ingredientes qui sibi superiore saeculo philosophorum nomen inscripserunt, omnem inquiunt potestatem a populo esse; quare qui eam in civitate gerunt, ab iis non uti suam geri, sed ut a populo sibi mandatam, et hac quidem lege, ut populi ipsius voluntate, a quo mandata est, revocari possit. Ab his vero dissentiunt catholici homines, qui ius imperandi a Deo repetunt, velut a naturali necessarioque principio.

*Veritas catholica tenet potestatem esse a Deo,*

*licet a populo deligi possint qui eam exerceant.*

Interest autem attendere hoc loco, eos, qui reipublicae praefuturi sint, posse in quibusdam caussis voluntate iudicioque deligi multitudinis, non adversante neque repugnante doctrina catholica. Quo sane delectu designatur princeps, non conferuntur iura principatus: neque mandatur imperium, sed statuitur a quo sit gerendum. — Neque hic quaeritur de

rerum publicarum modis : nihil enim est, cur non Ecclesiae probetur aut unius aut plurium principatus, si modo iustus sit, et in communem utilitatem intentus. Quamobrem, salva iustitia, non prohibentur populi illud sibi genus comparare reipublicae, quod aut ipsorum ingenio, aut maiorum institutis moribusque magis apte conveniat.

*Esse autem a Deo politicum principatum docemur*

Ceterum ad politicum imperium quod attinet, illud a Deo proficisci recte docet Ecclesia ; id enim ipsa reperit sacris Litteris et monumentis christianae vetustatis aperte testatum ; neque praeterea ulla potest doctrina cogitari, quae sit magis aut rationi conveniens, aut principum et populorum saluti consentanea.

*Scripturis,*

Revera humani potentatus in Deo esse fontem, libri Veteris Testamenti pluribus locis praeclare confirmant. *Per me reges regnant, ... per me principes imperant, et potentes decernunt iustitiam* (1). Atque alibi : *Praebete aures vos qui continetis nationes, ... quoniam data est a Deo potestas vobis, et virtus ab Altissimo* (2). Quod libro Ecclesiastici idem continetur : *In unamquamque gentem Deus praeposuit rectorem* (3). — Ista tamen, quae Deo auctore didicerant, paulatim homines ab ethnica superstitione dedocti sunt ; quae sicut veras rerum species et notiones complures, ita etiam principatus germanam formam pulchritudinemque corrupit. Postmodo, ubi Evangelium christianum affulsit, veritati vanitas cessit, rursumque illud dilucere coepit, unde omnis auctoritas manat, nobilissimum divinumque principium. — Prae se ferenti atque ostentanti Praesidi romano absolvendi, condemnandi potestatem, Christus Dominus, *non haberes*, respondit, *potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper* (4). Quem locum S. Augustinus explanans: *Discamus*, inquit, *quod dixit*, *quod et per Apostolum docuit*, *quia non est potestas nisi a Deo* (5). Doctrinae enim praeceptisque IESU CHRISTI Apostolorum incorrupta vox resonavit tamquam imago. Ad Romanos, principum ethnicorum imperio subiectos, Pauli est excelsa et plena gravitatis sententia : *Non est potestas nisi a Deo* ; ex quo

1. Prov., VIII, 15, 16.— 2. Sap. VI, 3, 4.—3. Eccl. XVIII, 14.— 4. Ioan. XIX. 11. — 5. *Tract. CXVI in Ioan.*, n. 5.

tamquam ex caussa illud concludit: *Princeps Dei minister est* (1). *29 JUNII 1881.*

Ecclesiae Patres hanc ipsam, ad quam fuerant instituti, doctrinam profiteri ac propagare diligenter studuerunt. *Non tribuamus*, S. Augustinus ait, *dandi regni atque imperii potestatem, nisi vero Deo* (2). In eamdem sententiam S. Ioannes Chrysostomus: *Quod principatus sint*, inquit, *et quod alii imperent, alii subiecti sint, neque omnia casu et temere ferantur, ... divinae esse sapientiae dico* (3). Id ipsum S. Gregorius Magnus testatus est, inquiens: *Potestatem Imperatoribus ac regibus coelitus datam fatemur* (4). Immo sancti Doctores haec eadem praecepta etiam naturali rationis lumine illustranda susceperunt, ut vel iis, qui rationem solam ducem sequuntur, omnino videri recta et vera debeant. — Et sane homines in civili societate vivere natura iubet seu verius auctor naturae Deus: quod perspicue demonstrant et maxima societatis conciliatrix loquendi facultas et innatae appetitiones animi perplures, et res necessariae multae ac magni momenti, quas solitarii assequi homines non possunt, iuncti et consociati cum alteris assequuntur. Nunc vero neque existere neque intelligi societas potest, in qua non aliquis temperet singulorum voluntates ut velut unum fiat ex pluribus, easque ad commune bonum recte atque ordine impellat: voluit igitur Deus ut in civili societate essent, qui multitudini imperarent. — Atque illud etiam magnopere valet, quod ii, quorum auctoritate respublica administratur, debent cives ita posse cogere ad parendum, ut his plane peccatum sit non parere. Nemo autem hominum habet in se aut ex se, unde possit huiusmodi imperii vinculis liberam ceterorum voluntatem constringere. Unice rerum omnium procreatori et legislatori Deo ea potestas est: quam qui exercent, tamquam a Deo secum communicatam exerceant necesse est. *Unus est legislator et iudex, qui potest perdere et liberare* (5). Quod perspicitur idem in omni genere potestatis. Eam, quae in sacerdotibus est, proficisci a Deo tam est cognitum, ut ii

*Patribus,*

*recta ratione.*

1. Ad Rom. XIII, 1, 4. — 2. *De Civ. Dei*, lib. V, cap. 21. — 3. In epist. ad Rom. *homil. XXIII*, n. 1. — 4. Epist. lib. II, epist, 61. — 5. Iacob. IV, 12.

apud omnes populos ministri et habeantur et appellentur Dei. Similiter potestas patrumfamilias expressam retinet quamdam effigiem ac formam auctoritatis, quae est in Deo, *a quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur* (1). Isto autem modo diversa genera potestatis miras inter se habent similitudines, cum quidquid uspiam est imperii et auctoritatis, eius ab uno eodemque mundi opifice et domino, qui Deus est, origo ducatur.

*Opposita commenta refutantur.*

Qui civilem societatem a libero hominum consensu natam volunt, ipsius imperii ortum ex eodem fonte petentes, de iure suo inquiunt aliquid unumquemque cessisse, et voluntate singulos in eius se contulisse potestatem, ad quem summa illorum iurium pervenisset. Sed magnus est error non videre, id quod manifestum est, homines, cum non sint solivagum genus, citra liberam ipsorum voluntatem ad naturalem communitatem esse natos : ac praeterea pactum, quod praedicant, est aperte commentitium et fictum, neque ad impertiendum valet politicae potestati tantum virium, dignitatis, firmitudinis, quantum tutela reipublicae et communes civium utilitates requirunt. Ea autem decora et praesidia universa tunc solum est habiturus principatus, si a Deo, augusto sanctissimoque fonte, manare intelligatur.

*Christianae doctrinae utilitas, quae simul consulit :*

Qua sententia non modo verior, sed ne utilior quidem reperiri ulla potest. Etenim potestas rectorum civitatis, si quaedam est divinae potestatis communicatio, ob hanc ipsam caussam continuo adipiscitur dignitatem humana maiorem : non illam quidem impiam et perabsurdam, imperatoribus ethnicis divinos honores affectantibus aliquando expetitam : sed veram et solidam, eamque dono quodam acceptam beneficioque divino. Ex quo subesse cives et dicto audientes esse principibus, uti Deo, oportebit non tam poenarum formidine, quam verecundia maiestatis, neque assentationis caussa, sed conscientia officii. Qua re stabit in suo gradu longe firmius collocatum imperium. Etenim istius vim officii sentientes cives, fugiant necesse est improbitatem et contumaciam, quia sibi persuasum esse debet, qui politicae potestati resistant, hos divinae volun-

*imperantium maiestati,*

1. Ad Ephes. III, 15.

tati resistere, qui honorem recusent principibus, ipsi Deo recusare. *29 IUNII 1881.*

Ad hanc disciplinam Paulus Apostolus Romanos nominatim erudiit: ad quos de adhibenda summis principibus reverentia scripsit tanta cum auctoritate et pondere, ut nihil gravius praecipi posse videatur. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.... Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* (1). Et consentiens est Principis Apostolorum Petri in eodem genere praeclara sententia: *Subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam a Deo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei* (2).

Una illa hominibus caussa est non parendi, si quid ab iis postuletur quod cum naturali aut divino iure aperte repugnet: omnia enim, in quibus naturae lex vel Dei voluntas violatur, aeque nefas est imperare et facere. Si cui igitur usuveniat, ut alterutrum malle cogatur, scilicet aut Dei aut principum iussa negligere, IESU CHRISTO parendum est reddere iubenti *quae sunt Caesaris Caesari, quae sunt Dei Deo* (3), atque ad exemplum Apostolorum animose respondendum: *obedire oportet Deo magis quam hominibus* (4). Neque tamen est, cur abiecisse obedientiam, qui ita se gerant, arguantur; etenim si principum voluntas cum Dei pugnat voluntate et legibus, ipsi potestatis suae modum excedunt, iustitiamque pervertunt: neque eorum tunc valere potest auctoritas, quae, ubi iustitia non est, nulla est.

Ut autem iustitia retineatur in imperio, illud magnopere interest, eos qui civitates administrant intelligere, non privati cuiusquam commodo politicam potestatem esse natam: procurationemque reipublicae ad utilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, *aequitati regiminis,*

1. Ad Rom. XIII, 1, 2, 5. — 2. I Petr. II, 13-15. — 3. Matth. XXII, 21. — 4. Act. V, 29.

geri oportere. Principes a Deo optimo maximo, unde sibi auctoritas data, exempla sumant : eiusque imaginem sibi in administranda republica proponentes, populo praesint cum aequitate et fide, et ad eam, quae necessaria est, severitatem paternam caritatem adhibeant. Huius rei caussa sacrarum Litterarum oraculis monentur, sibimetipsis Regi regum et Domino dominantium aliquando rationem esse reddendam ; si officium deseruerint, fieri non posse, ut Dei severitatem ulla ratione effugiant. *Altissimus interrogabit opera vestra et cogitationes scrutabitur. Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis.... horrende et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his qui praesunt fiet.... Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam, pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio* (1).

*subditorum honori et saluti.*

Quibus praeceptis rempublicam tuentibus, omnis seditionum vel caussa vel libido tollitur : in tuto futura sunt honos et securitas principum, quies et salus civitatum. Dignitati quoque civium optime consulitur : quibus in obedientia ipsa concessum est decus illud retinere, quod est hominis excellentiae consentaneum. Intelligunt enim, Dei iudicio non esse servum neque liberum ; unum esse Dominum omnium, divitem *in omnes qui invocant illum* (2) : se autem idcirco subesse et obtemperare principibus, quod imaginem quodammodo referant Dei, *cui servire, regnare est.*

*Ecclesiae curae ut christiana civilis potestatis forma populorum vita moribusque exprimeretur,*

Hoc vero semper egit Ecclesia, ut christiana ista civilis potestatis forma non mentibus solum inhaeresceret, sed etiam publica populorum vita moribusque exprimeretur. Quamdiu ad gubernacula rei publicae imperatores ethnici sederunt, qui assurgere ad eam imperii formam, quam adumbravimus, superstitione prohibebantur, instillare illam studuit mentibus populorum, qui simul ac christiana instituta susciperent, ad haec ipsa exigere vitam suam velle debebant. Itaque pastores animarum, exempla Pauli Apostoli renovantes, cura et diligentia summa populis praecipere consueverunt, *principibus et potestatibus subditos*

1. Sap. VI, 4, 5, 6, 8. — 2. Rom. X, 12.

*esse, dicto obedire* [1]: item orare Deum pro cunctis hominibus, sed nominatim *pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt: hoc enim acceptum est coram Salvatore nostro Deo* [2]. Atque ad hanc rem omnino praeclara documenta christiani veteres reliquerunt: qui cum ab imperatoribus ethnicis iniustissime et crudelissime vexarentur, numquam tamen praetermiserunt gerere se obedienter et submisse, plane ut illi crudelitate, isti obsequio certare viderentur. Tanta autem modestia, tam certa parendi voluntas plus erat cognita, quam ut obscurari per calumniam malitiamque inimicorum posset. Quamobrem qui pro christiano nomine essent apud imperatores publice caussam dicturi, ii hoc potissimum argumento iniquum esse convincebant in christianos animadvertere legibus quod in oculis omnium convenienter legibus in exemplum viverent. Marcum Aurelium Antonium et Lucium Aurelium Commodum filium eius sic Athenagoras confidenter alloquebatur: *Sinitis nos, qui nihil mali patramus, immo omnium . . . . . piissime iustissimeque cum erga Deum, tum erga imperium vestrum nos gerimus, exagitari, rapi, fugari* [3]. Pari modo Tertullianus laudi christianis aperte dabat, quod amici essent Imperio optimi et certissimi ex omnibus: *Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens a Deo suo constitui, necesse est ut ipsum diligat et revereatur et honoret, et salvum velit cum toto romano imperio* [4]. Neque dubitabat affirmare, in imperii finibus tanto magis numerum minui inimicorum consuevisse, quanto cresceret christianorum: *Nunc pauciores hostes habetis prae multitudine christianorum, pene omnium civitatum pene omnes cives christianos habendo* [5]. Praeclarum est quoque de eadem re testimonium in *Epistola ad Diognetum*, quae confirmat, solitos eo tempore christianos fuisse non solum inservire legibus, sed in omni officio plus etiam ac perfectius sua sponte facere, quam cogerentur facere legibus: *Christiani obsequuntur legibus, quae sancitae sunt, et suae vitae genere leges superant.*

*29 JUNII 1881.*

*tum sub gubernatoribus ethnicis,*

1. Ad Tit. III, 1. — 2. I Timoth. II, 1-3. — 3. *Legat. pro Christian.* — 4. *Apolog.* n. 35. — 5. *Apolog.* n. 37.

Alia sane tum caussa erat, cum a fide christiana, aut quoquo modo ab officio deficere Imperatorum edictis ac Praetorum minis iuberentur: quibus temporibus profecto displicere hominibus quam Deo maluerunt. Sed in iis ipsis rerum adiunctis tantum aberat ut quicquam seditiose facerent maiestatemve imperatoriam contemnerent, ut hoc unum sibi sumerent, sese profiteri et christianos esse et nolle mutare fidem ullo modo. Ceterum nihil de resistendo cogitabant; sed placide atque hilare sic ibant ad tortoris equuleum, ut magnitudini animi cruciatuum magnitudo concederet. — Neque absimili ratione per eadem tempora christianorum vis institutorum spectata est in militia. Erat enim militis christiani, summam fortitudinem cum summo studio coniungere disciplinae militaris: animique excelsitatem immobili erga principem fide cumulare. Quod si aliquid rogaretur quod non esset honestum, uti Dei iura violare aut in insontes Christi discipulos ferrum convertere, tunc quidem imperata facere recusabat, ita tamen ut discedere ab armis atque emori pro religione mallet, quam per seditionem et turbas auctoritati publicae repugnare.

*tum maxime sub Christianis.*

Postea vero quam respublicae principes christianos habuerunt, multo magis Ecclesia testificari ac praedicare instititit, quantum in auctoritate imperantium inesset sanctitatis: ex quo futurum erat, ut populis, cum de principatu cogitarent, sacrae cuiusdam maiestatis species occurreret, quae ad maiorem principum cum verecundiam tum amorem impelleret. Atque huius rei caussa sapienter providit ut reges sacrorum solemnibus initiarentur, quod erat in Testamento Veteri Dei auctoritate constitutum. — Quo autem tempore civilis hominum societas, tamquam e ruinis excitata imperii romani, in spem christianae magnitudinis revixit, Pontifices Romani, instituto *imperio sacro*, politicam potestatem singulari ratione consecraverunt. Maxima quidem ea fuit nobilitatis ad principatum accessio: neque dubitandum quin magnopere illud institutum et religiosae et civili societati semper fuisset profuturum, si quod Ecclesia spectabat, idem principes et populi semper spectavissent. — Et sane quietae res et satis prosperae perman-

serunt quamdiu inter utramque potestatem concors amicitia permansit. Si quid tumultuando peccarent populi, praesto erat conciliatrix tranquillitatis Ecclesia, quae singulos ad officium vocaret, vehementioresque cupiditates partim lenitate partim auctoritate compesceret. Similiter si quid in gubernando peccarent principes, tum ipsa ad principes adire, et populorum iura, necessitates, recta desideria commemorando, aequitatem, clementiam, benignitatem suadere. Qua ratione pluries est impetratum, ut tumultuum et bellorum civilium pericula prohiberentur.

*29 IUNII 1881.*

Contra inventae a recentioribus de potestate politica doctrinae magnas iam acerbitates hominibus attulerunt, metuendumque ne extrema malorum afferant in posterum. Etenim ius imperandi nolle ad Deum referre auctorem, nihil est aliud quam politicae potestatis et pulcherrimum splendorem velle deletum et nervos incisos. Quod autem inquiunt ex arbitrio illam pendere multitudinis, primum opinione falluntur, deinde nimium levi ac flexibili fundamento statuunt principatum. His enim opinionibus quasi stimulis incitatae populares cupiditates sese efferunt insolentius, magnaque cum pernicie reipublicae ad caecos motus, ad apertas seditiones proclivi cursu et facile delabentur. Revera illam, quam *Reformationem* vocant, cuius adiutores et duces sacram civilemque potestatem novis doctrinis funditus oppugnaverunt, repentini tumultus et audacissimae rebelliones, praesertim in Germania, consecutae sunt; idque tanta cum domestici deflagratione belli et caede, ut nullus pene locus expers turbarum et cruoris videretur. — Ex illa haeresi ortum duxit saeculo superiore falsi nominis philosophia, et ius quod appellant *novum*, et imperium populare, et modum nesciens licentia, quam plurimi solam libertatem putant. Ex his ad finitimas pestes ventum est, scilicet ad *Communismum*, ad *Socialismum*, ad *Nihilismum*, civilis hominum societatis teterrima portenta ac pene funera. Atqui tamen tantorum malorum vim nimis multi dilatare conantur, ac per speciem iuvandae multitudinis non exigua iam miseriarum incendia excitaverunt. Quae hic modo recordamur, ea nec ignota sunt nec valde longinqua.

*Pessimi fructus ex falsis doctrinis orti.*

*Ad pacem restituendam nullum principibus remedium efficax praeter religionem.*

Hoc vero est etiam gravius, quod non habent principes in tantis periculis remedia ad restituendam publicam disciplinam pacandosque animos satis idonea. Instruunt se auctoritate legum, eosque, qui rempublicam commovent, severitate poenarum coercendos putant. Recte quidem : sed tamen serio considerandum est, vim nullam poenarum futuram tantam, quae conservare res publicas sola possit. Metus enim, ut praeclare docet sanctus Thomas, *est debile fundamentum ; nam qui timore subduntur, si occurrat occasio qua possint impunitatem sperare, contra praesidentes insurgunt eo ardentius, quo magis contra voluntatem ex solo timore cohibebantur.* Ac praeterea *ex nimio timore plerique in desperationem incidunt : desperatio autem audacter ad quaelibet attentanda praecipitat* (1). Quae quam vera sint, satis experiendo perspeximus. Itaque obediendi altiorem et efficaciorem caussam adhibere necesse est, atque omnino statuere, nec legum esse posse fructuosam severitatem, nisi homines impellantur officio, salutarique metu Dei permoveantur. Id autem impetrare ab iis maxime religio potest, quae sua vi in animos influit, ipsasque hominum flectit voluntates, ut eis, a quibus ipsi reguntur, non obsequio solum, sed etiam benevolentia et caritate adhaerescant ; quae est in omni hominum coetu optima custos incolumitatis.

*Romani Pontifices optime meriti de communi salute, quum Novatoribus restiterunt.*

Quamobrem egregie Pontifices Romani communi utilitati servisse iudicandi sunt,quod *Novatorum* frangendos semper curaverunt tumidos inquietosque spiritus ; ac persaepe monuerunt, quantum ii sint civili etiam societati periculosi. Ad hanc rem digna, quae commemoretur, Clementis VII sententia est ad Ferdinandum Bohemiae et Hungariae regem : *In hac fidei caussa tua etiam et ceterorum principum dignitas et utilitas inclusa est, cum non possit illa convelli, quin vestrarum etiam rerum labefactationem secum trahat ; quod clarissime in locis istis aliquot perspectum sit.* — Atque in eodem genere summa providentia et fortitudo enituit Decessorum Nostrorum, praesertim autem Clementis XII, Benedicti XIV, Leonis XII, qui, cum consequentibus temporibus pravarum doctrinarum pestis latius serperet,

1. *De Regim. Princip.* lib. I, cap. 10.

*sectarumque* audacia invalesceret, opposito auctoritatis suae aditum illis intercludere conati sunt. Nos ipsi pluries denunciavimus quam gravia pericula impendeant, simulque indicavimus, quae sit eorum propulsandorum ratio optima. Principibus, ceterisque rerum publicarum moderatoribus praesidium religionis obtulimus, populosque hortati sumus, ut summorum bonorum copia, quam Ecclesia suppeditat, maxime uterentur. Id nunc agimus, ut ipsum illud praesidium, quo nihil est validius, sibi rursus oblatum principes intelligant: eosque vehementer in Domino hortamur, ut religionem tueantur, et, quod interest etiam reipublicae, ea Ecclesiam libertate frui posse sinant, qua sine iniuria et communi pernicie privari non potest. Profecto Ecclesia Christi neque principibus potest esse suspecta, neque populis invisa. Principes quidem ipsa monet sequi iustitiam, nullaque in re ab officio declinare: at simul eorum roborat multisque rationibus adiuvat auctoritatem. Quae in genere rerum civilium versantur, ea in potestate supremoque imperio eorum esse agnoscit et declarat: in iis, quorum iudicium, diversam licet ob caussam, ad sacram civilemque pertinet potestatem, vult existere inter utramque concordiam cuius beneficio funestae utrique contentiones devitantur. Ad populos quod spectat, est Ecclesia saluti cunctorum hominum nata, easque semper dilexit uti parens. Ea quippe est, quae caritate praeeunte mansuetudinem animis impertiit, humanitatem moribus, aequitatem legibus: atque honestae libertati nuspiam inimica tyrannicum dominatum semper detestari consuevit. Hanc, quae insita in Ecclesia est, bene merendi consuetudinem paucis praeclare expressit sanctus Augustinus: *Docet* (Ecclesia) *reges prospicere populis*, *omnes populos se subdere regibus: ostendens quemadmodum et non omnibus omnia*, *et omnibus charitas*, *et nulli debetur iniuria* ([1]).

*29 Junii 1881.*

*Exhortatio ad Episcopos.*

His de caussis opera vestra, Venerabiles Fratres, valde utilis ac plane salutaris futura est, si industriam atque opes omnes, quae Dei munere in vestra sunt potestate, ad deprecanda societatis humanae vel pericula vel incommoda

1. *De morib. Eccl.* lib. I, cap. 30.

Nobiscum contuleritis. Curate ac providete ut, quae de imperio deque obediendi officio ab Ecclesia catholica praecipiuntur, ea homines et plane perspecta habeant, et ad vitam agendam diligenter utantur. Vobis auctoribus et magistris saepe populi moneantur fugere vetitas sectas, a coniurationibus abhorrere, nihil seditiose agere : iidemque intelligant, qui Dei caussa parent imperantibus, eorum esse *rationabile obsequium*, generosam obedientiam. Quoniam vero Deus est *qui dat salutem regibus* (1), et concedit populis conquiescere *in pulchritudine pacis et in tabernaculis fiduciae et in requie opulenta* (2). Ipsum necesse est orare atque obsecrare, ut omnium mentes ad honestatem veritatemque flectat, iras compescat, optatam diu pacem tranquillitatemque orbi terrarum restituat.

Quo autem spes firmior sit impetrandi, deprecatores defensoresque salutis adhibeamus, Mariam Virginem magnam Dei parentem, auxilium christianorum, tutelam generis humani : S. Iosephum castissimum sponsum eius, cuius patrocinio plurimum universa Ecclesia confidit : Petrum et Paulum principes apostolorum, custodes et vindices nominis christiani.

Interea divinorum munerum auspicem Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, Clero et populo fidei Vestrae commisso Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX iunii anno MDCCCLXXXI, Pontificatus Nostri anno quarto.

LEO PP. XIII.

1. Psalm. CXLIII, 11. — 2. Isai. XXXII, 18.

# LITTERAE APOSTOLICAE

## QUIBUS HIERARCHIA EPISCOPALIS IN BOSNIA ET HERZEGOVINA INSTITUITUR.

*III NONAS IULII 1881.*

Ex hac augusta Principis Apostolorum Cathedra, in qua Deo placuit humilitatem Nostram collocare, cunctas orbis regiones Nostri ministerii curis complectentes, adhibendam a Nobis esse omnem operam agnoscimus, ut catholica religio, mater et magistra omnis rectae disciplinae omnisque civilis humanitatis, ubique in dies maiora incrementa suscipiat, ac populi omnes ad humanae et coelestis felicitatis iter tenendum eius ductu ac praesidio adiuventur. Hoc in ministerio, dum animus Noster ex conspectu et gravitate malorum, quae humanam societatem premunt, ex pertinaci bello, quo Sancta haec Sedes ab hominibus religioni infensis impetitur, non levi acerbitatis sensu afficitur, clementissimus Deus opportuna Nobis suae benignitatis solatia deesse non patitur, secundos exitus studiis Nostris pro salute animarum saepe tribuens, ac propitius efficiens, ut catholica fides pluribus in locis graviter concussa et oppugnata, in aliis suam sedem statuat feliciter, suique salutaris regni fines proferat. Huius porro solatii non levem fructum excepimus in iis illustribus filialis animi et devotae voluntatis testimoniis, quae Slavonicae nationis gentes, insignis christianae familiae pars, ob paternum studium, quo ipsarum bonum promovere studemus, Nobis grata dilectionis vice publice exhibuerunt. Ex quibus rebus, quantum salutis eorum desiderium Nos movet, tantum etiam spei magnitudo Nos erigit qua fore non dubitamus, ut eiusdem nationis homines, qui adhuc catholicae unitatis exsortes sunt, post tristes rerum vices quas diu pertulerunt, cogitantes felicitatem dierum quibus maiores eorum, ad christianam et civilem vitam instituti, Apostolicae Sedi adhaerebant, et felicem fratrum conditionem, qui in fide Romanae Ecclesiae manentes, in ea semper tutelam, sola-

*Pontificis sollicitudo et dilectio erga omnes Slavonicae nationis gentes.*

tium, praesidium matris amantissimae paratum habuere, in eius gremio fidum perfugium quaerant, et firmo fidei caritatisque vinculo cum ea coniungantur.

*Feliciter consultum necessitatibus spiritualibus catholicorum Bosniae et Herzegovinae.*

In hac autem sollicitudine et dilectione, qua Slavicas gentes omnes complectimur, plurimum gaudemus opportunitatem Nobis oblatam esse, qua spiritualibus necessitatibus et rationibus eorum consulere possemus, qui in provinciis Bosniensi et Herzegovinensi degunt, quae ob temporum vices mutato in iis regionibus reipublicae statu, nunc a carissimo in Christo Filio Nostro Francisco Iosepho Austriae Imperatore et Hungariae Rege Apostolico tenentur et administrantur. Nam cum pro munere Nostro opportunum putaremus, res religionis in iis provinciis ad eam formam adducere, quae novae rerum publicarum conditioni melius responderet, et gentibus illis ad uberius percipienda Ecclesiae adiumenta prodesset, Nos spectatissimi Imperatoris et Regis sincerae religioni et pietati confisi, cum Eo egimus, ut Sua studia Nobiscum coniungeret, et benevola voluntate Nostris desideriis obsecundaret. Spes et vota Nostra optatos exitus habuere : Augustus enim Imperator et Rex, cui cognominis Apostolici dignitas ad nobiles virtutes Maiorum Suorum repraesentandas incitamento est, officia et desideria Nostra perhumaniter excepit, Eoque favente Nobis datum est, ut novam ecclesiasticam provinciam constituere possimus in ea Illyrici parte, cuius illustrem memoriam Catholicae Ecclesiae fasti posteris prodiderunt.

*Imperatori Austriae laudes debitae tribuuntur.*

*Illyrici provinciae praedicatione S. Pauli fidem susceperunt.*

Ac sane compertum est certisque testatum historiae monumentis, Illyrici provincias, quae usque ad Istrum flumen pertinebant, evangelica luce ab initio fuisse illustratas Apostoli gentium ministerio, qui ad Romanos scribens ac memorans ea, quae per ipsum Christus operabatur *verbo et factis in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti*, aiebat se *ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum replevisse evangelium Christi* (1). Scilicet ille ministrum Christi in gentibus se exhibebat *totum Illyricum*

1. Rom. XV. 19.

*percurrens*, velut antiqui Patres memoriae tradidere (1) ; *ac ubique spargens scintillas fidei, quas auspex Spiritus Sanctus excitabat, vivasque semper servabat.* Quum itaque Doctor gentium divini verbi semen iis regionibus diffudisset, quas postea discipuli eius et Apostolorum Principis, Lucas (2), Clemens (3) ac Titus (4) sedulo excoluerunt, mirum dictu est quantopere res christiana profecerit, quantaque habuerit incrementa, ecclesiastica hierarchia constituta, in qua episcopales sedes Thessalonicensis, Salonitana ac Sirmiensis principatum obtinebant, quae merito a duobus Principibus Apostolorum primos Pastores suos accepisse gloriantur. Neque regionibus illis defuit martyrum decus aut doctorum illustrium, in quibus memorare praestat clarissimum illud occidentalis Ecclesiae lumen, ac eximium divinarum litterarum interpretem, Hieronymum, qui apud veteres fines Pannoniorum et Dalmatarum (5) primam lucem hausit.

*III NONAS IULII 1881.*

*Illustriores earum Ecclesiae.*

Romani autem Pontifices Praedecessores Nostri nullam benevolentiae, nullam suarum curarum partem Illyrici provinciis unquam deesse passi sunt ; imo in finibus iis, quae Orientem magis spectant, quosdam constituerunt sacrorum Antistites, qui vicaria Apostolicae Sedis potestate praeessent, adhibitis nempe Thessalonicensis Ecclesiae Episcopis, qui hoc ministerio fungerentur. Ita provinciae illae Romanorum Pontificum non intermissis curis prospere floruerunt, quod magnus Nicolaus I Praedecessor Noster, datis ad Michaëlem Imperatorem litteris, declarabat his verbis : *Illyricana dioecesis Antecessorum Nostrorum temporibus, scilicet Damasi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Coelestini, Sixti, Leonis, Hilarii, Simplicii, Felicis atque Hormisdae sanctorum Pontificum sacris dispositionibus augebatur* (6). Quin etiam hisce litteris antiquiores epistolae alterius magni Praedecessoris Nostri Gregorii I perpetuum atque illustre monumentum exhibent cum supremae auctoritatis, tum praecipuae sollicitudinis

*Romanorum Pontificum constans in ipsas sollicitudo.*

1. S. Asterius Episc. Amaseae, *hom.* v. *in. Princip. Apost.* Cf. S. Hieron., *ep. LIX. ad Marcellam* ; S. Greg. Nyssen., *orat. de S. Stephano Protom.;* Ioan. VIII, *ep. CIX ad Petrum Comit.;* S. Petrus Damian., *sermo de SS. Apost.*—2. S. Epiphan., *haeres*, 51.— 3. Farlat.; *Illyric. sacr.*, tom. I, *proleg.* part. III, §. 1.—4. S. Hieron. in cap. IV. epist. II. ad Timoth.—5. Idem *de viris illustrib.*, cap. ult.—6. S. Nicol. I PP. *epist. IV ad Mich. Imp.*

et effusae caritatis, qua haec Romana Sedes pro re nata necessitatibus Pastorum ac fidelium regionum earumdem, in aedificationem et augmentum mystici corporis Christi, opitulari consuevit.

*Destructis cum Romanorum potestate, urbibus et sedibus episcopalibus, Pontifices studuerunt novas gentes ad Christum adducere.*

At vero fatiscentibus Romani imperii viribus, quum ii, qui suprema potestate pollebant, impares essent cohibendis gentium exterarum copiis irrumpentibus undique et omnia late populantibus, etiam regiones illae florentissimae a Gothis et ab Hunnis primo, mox ab Avaris et a Slavonis occupatae sunt. Quare in ea tristi vice caedium et vastationum, non modo plures ex urbibus vetustate et amplitudine insignibus excisae sunt, sed etiam plures e nobilioribus sedibus episcopalibus omnino defecerunt. Sed neque vis animi, neque studium defecit Romanorum Pontificum, qui curis conlatis ad sarcienda damna, ad ruinas fulciendas, omnem operam dedere partim solandis miseris et iacentibus erigendis, partim instituendis ad christianae vitae mores rudibus illis convenis, ut ex eis tamquam vivos lapides honori spiritualis domus, et nobiles christianae humanitatis alumnos bono civilis societatis conflarent. Et sane saeculo septimo, quum Servii et Croatae e Carpathiis montibus profecti in regionibus Slavoniae, Croatiae, Serviae, Dalmatiae et Istriae sedes suas figerent, Ioannes IV Pontifex Maximus dum Ecclesiae Romanae fundebat opes in levamen eorum, quos misera servitus premebat, ac sanctorum Martyrum reliquiis tutam quietis sedem parari curabat, sui etiam muneris duxerit novorum convenarum saluti consulere, misso ad eos Martino Abbate, viro sanctissimo, qui ipsos ex errorum tenebris ad evangelicae veritatis lucem adduceret (1). Neque vero dubitandum est, quin Episcopi et Sacerdotes ex urbe Roma missi ab eodem Pontifice, aliisque proximis eius successoribus, ad omnia pietatis opera instituerint eos Slavoniae populos, qui meridionales audiunt, illosque lavacro regenerationis expiatos una cum duobus Principibus Porino et Porga, tamquam primitias cognatarum gentium, in ovile IESUS CHRISTI exceperint (2).

1. *Liber Pontif.* in Ioan. IV. — 2. Constantin. Porphyrogen. *de administr. imper.* cap. XXX, XXXI, XXXII.

*III NONAS IULII 1881.*

Haec porro Praedecessorum Nostrorum sollicitudo insigniter etiam eluxit insequentibus saeculis, quibus studio Romanorum Pontificum Nicolai I, Hadriani II et Ioannis VIII, adiutoribus sanctissimis viris Cyrillo et Methodio germanis fratribus, quorum religionem et cultum magno cum animi Nostri solatio nuper latius praeferendum augendumque censuimus, Slavicae gentes quae ab austro ad boream pertinent, plenius hauserunt evangelicae doctrinae lumen, ac per eam ad humanum civilemque cultum deductae sanctae religionis et iustitiae formam induerunt [1].

*Slavonicae gentes primitus intime S. Sedi unitae.*

Quum igitur Slavonicae gentes mirum in modum ad catholicam veritatem conversae in communionem fidei et caritatis cum Apostolica Sede venissent, arctam cum ea coniunctionem, filialis studii nexibus devinctae, diu retinuerunt, et ex illa, unde unitas sacerdotalis, unde salutis doctrina manat in totum orbem, tamquam e vivo fonte roris coelestis hauserunt ubertatem. Regnis imo ac principatibus Slavici nominis constitutis, positum in more fuit Slavicorum Regum et Principum, ut in fidem et tutelam sese reciperent beatissimi Petri, quem colebant in Ipsius Successoribus, utpote haeredibus potestatis eius, quam Ipse a Pastore aeterno in gregem christianum universum acceperat. Sed enim, postquam nonnullae ex iis gentibus, rebellis sequutae Photii vestigia, e materno complexu recesserunt Catholicae Ecclesiae frustra retinere abeuntes et devios revocare conantis, quasi palmites e vite abscissi exaruerunt, et e florenti statu in eas aerumnas miserosque casus prolapsae sunt, quos suis monumentis historia posteritati tradidit. Quare Nobis, plurium saeculorum experientia edoctis, potiori iure licet eas gentes compellare et alloqui iis verbis, quibus Ioannes VIII, Decessor Noster, quasi rerum futurarum praescius, eas ad unitatem catholicam revocare contendebat. Aiebat enim: *Reminisci debetis quanta eosdem praedecessores vestros prospera evidentissime comitabantur, quando ad limina Petri Apostoli coelestis regni clavigeri devoto pectore quasi proprii filii confluebant, et quanta postmodum nunc usque*

*Calamitates quibus post defectionem ab unitate oppressae sunt.*

1. Ioan. VIII ep. ad Michael. Borisium regem Bulgar.

*sustinetis adversa, cum ab ea Sede B. Petri vos quasi alienos separare non dubitastis* (1).

*Populorum qui Bosniae et Herzegovinae regiones incoluerunt, vices,*

Variis hisce rerum vicibus obnoxii etiam fuere populi, qui Bosniae et Herzegovinae regiones, ad quas modo convertimus curas Nostras, incoluere. Provinciae enim istae variis principibus finitimarum gentium, prout quisque viribus magis pollebat, obtemperarunt; modo ab iis qui Serbiae vel Croatiae praeerant, modo ab aliis dominatoribus subactae. Hinc fieri non potuit, ut a funesta errorum lue, quae circa illas serpebat, immunes evaderent. Quum autem saeculo duodecimo in potestatem regum Hungariae, regni Ramae nomine suscepto, devenerunt, ad Ecclesiae communionem reversae, florentis denuo religionis fructibus usae sunt. Ast ea res laeta licet, tamen diuturna non fuit: etenim non multo post e vicinis Bulgariae finibus alia mala labes in eas irrepsit lateque grassata est, priori longe pestilentior ac foedior, ex antiquis Manichaeorum erroribus orta, quae Patarenorum sectae nomen indidit. Ex hac autem tristi colluvie, quae per tria fere saecula regiones illas foedavit, plurima et exitiosa damna in eorum populorum fidem moresque redundarunt.

*et Pontificum in eos curae,*

Nihilominus in ea calamitate temporum luculenter enituit Romanorum Pontificum zelus et paterna sollicitudo eo constanter intenta, ut ex agro Domini zizania evelleret, christianae fidei germina tueretur ac aleret, atque ita sincerae pietatis cultum instauraret. Namque, ut alios missos faciamus, praecipuam ac praeclarissimam partem supremi ministerii sui in eam rem contulerunt Innocentius III, Honorius III, Gregorius IX, Innocentius IV, Nicolaus IV, Ioannes XXII, Benedictus XII, Urbanus V, Gregorius XI, Eugenius IV ac Nicolaus V, qui partim crebris legationibus et apostolicis litteris ad Principes ac Praesules missis, partim sacris expeditionibus hominum apostolicorum, qui zelo flagrantes animarum salutem curarent, partim frequentia mansionum pro his passim conditarum, quae futurae erant nobiles religionis et sanctimoniae sedes, illud praestiterunt, ut corruptas hominum mentes, qui errores inter et mala morum inveteraverant, sensim ad suave iugum evangelicae

1. Epist. CCXXXIV ad Cleric. Salonit.

legis subeundum inflecterent. Cuius rei laudem, haud exigua ex parte, sibi vindicant sodales e religiosis familiis sanctorum Francisci et Dominici, ex quibus non pauci ab haereticis caesi, gloriosam pro Christi nomine mortem oppetierunt.

*III NONA IULII 1881.*

Nec destitit interim haec Sancta Sedes duas illas provincias aliis atque aliis benefactis afficere, maxime ex eo tempore quo regnum Bosniacum fuit constitutum. Scilicet quum saeculo XIV concessu Ludovici Regis Hungariae, Stephanus Tuartkus qui Bosniae praeerat, Bannus eorum lingua appellatus, assumpsisset ipse regium nomen et cultum, adiecto ditioni suae principatu Culmiae in Herzegovinensi tractu, qui S. Sabae ducatus etiam dicebatur, ex eo tempore Romanos Pontifices iugiter appellare opemque rogare consueverunt Bosniae Reges, in maximis ac necessariis rei publicae temporibus, nec illis unquam a Decessoribus Nostris consilia, auxilia, solatia, omnia demum paternae charitatis officia defuerunt. Huius rei insigni documento est Catharina Bosniae Regina illustris, quae patriae excidio impendente, tutum in hac alma Urbe asylum et a Decessoribus Nostris dignum suo fastigio cultum nacta est, quaeque propterea, morte appetente, in supremis testamenti tabulis, quibus Romanam Sedem Bosniaci regni heredem instituebat, gratiam sibi praestitam ac munificentiam in se collatam a Summis Pontificibus Pio II et Sixto IV diserte commemorandam censuit (1).

*maxime post constitutum regnum Bosniacum.*

Sed inter sedulas curas, quas Apostolica Sedes in Bosnienses contulit, memoria praecipue dignum est studium illud, quod pluries Romani Pontifices praetulere, ut in ea regione ecclesiasticam hierarchiam constituerent, augendo nempe tum dioeceses tum sacrorum Antistitum numerum, prout rerum conditio et utilior rei sacrae procuratio apud Bosnienses postulare videbatur. Indubia enim monumenta testantur, postquam Slavicae gentes, quae australem regionis partem incolebant, catholicae pietatis fidem suscepere, res sacras in amplissima illa regione longo temporum cursu unius tantum Episcopi regimine fuisse administratas, qui

*Saepe cogitatum de sedium episcopalium numero augendo.*

1. Assemanni *kal. Eccl. univ.*, tom. V, part. I, cap. III, pag. 96.

pro publicis eorum locorum vicibus metropoliticae iurisdictioni modo Salonitanae sedis aut Spalatensis, tum Diocletianae aut Antibarensis, alias etiam Ragusinae et quandoque Colocensis, tamquam suffraganeus obnoxius erat (1). Cum hic esset rei sacrae status in Bosnia, Praedecessor Noster Innocentius III, qui saeculo XIII ineunte studio incensus religionis rebus in eo regno consulendi Iohannem de Casemario suum et Apostolicae Sedis Legatum illuc miserat, ex eius litteris intellexit religionis conditiones in Bosniensium finibus poscere, ut episcopales sedes in iis omnino augerentur. *Noveritis*, ita enim Legatus scribebat, *quod in regno... de Bosna non est nisi unus Episcopatus, et Episcopus modo mortuus est. Si posset fieri quod aliquis Latinus ibi poneretur et aliqui etiam ibi tres vel quatuor crearentur novi, non modicum exinde utilitatis accresceret ecclesiasticae, quia regnum est ad minus diaetarum decem et plus* (2). Cum ei Pontifici datum non fuisset, ut, sicuti optabat, hoc pium et salutare consilium ad exitum adduceret, Gregorius IX, qui ipsi post Honorium III in Pontificatu successit, pro suo fidei conservandae ac propagandae in iis partibus zelo, eius implendi ac perficiendi cura suscepta, anno MCCXXXIII litteras dedit ad Iacobum Cardinalem Episcopum Praenestinum Apostolicae Sedis in Pannonia Legatum, eiusque fidei et prudentiae commisit, ut novae in Bosnia episcopales instituerentur sedes, ac Episcopi eligendi solida scientiae et pietatis laude fulgerent (3). Etsi flagrantissimum huius etiam Pontificis studium optatum exitum habere non potuit, operam tamen adhibuit, ut dignior Antistes Bosniensis Ecclesiae sacris praeesset, cuius dignitatem delato etiam Apostolici Legati munere, amplificandam censuit (4).

In sequentibus autem temporibus Eugenius IV vestigiis Decessorum inhaerens, cum Stephano Thomae Bosniae Regi regalis coronae decus tribueret, de sacrae potestatis gradibus in eius regno stabiliendis cum ipso agendum putavit. Cum hic Princeps metu ingruentium hostium

1. Farlat, *Illyr. sac.* tom. IV, p. 37 seqq. — 2. Innoc. III lib. VI, ep. CXL Iohan. de Casemario ad Pont. — 3. *Regest. Gregor. XI*, lib. VII ep. CLXIV. — 4. Ibid. lib. XII. ep. CCCLIV.

oblatae occasioni defuisset, ac Stephanus filius, qui patri in regno successit, maiorem vim animi ostendens, ad Apostolicam hanc Sedem legatione missa, oblata patri occasione libenter se usurum declarasset, Pius II Pontifex Maximus S. E. R. Cardinalibus in consilium adhibitis, novas cathedrales sedes in Bosnia instituendas easque idoneis rectoribus committendas decrevit, atque haec per regios Legatos ad Regem ipsum afferri curavit (1). At dum, impedimentis omnibus sublatis, opportuna facultas data videbatur religionis rebus apte in Bosnia constituendis, rerum publicarum status, qui in deterius in ea regione quotidie ruebat, miserandum in modum eversus est ; atque ita consilia et curae irritae cecidere, quas per plura saecula ad promovendas Bosniensium utilitates Praedecessores Nostri conferre nunquam intermiserant.

*III NONAS IULII 1881.*

In maxima hac perturbatione rerum, religione pariter magnis calamitatibus perculsa, Episcopus, qui unus pastorale ministerium apud Bosnienses exercebat, solum vertere coactus, Diakovae in finitima Slavoniae urbe suam sedem collocavit. Herzegovinae gentibus, pari rerum calamitate afflictis, gravibus quoque impedimentis interceptus fuit usus sacrae potestatis Episcopi Mercanensis et Tribuniensis, cuius illae magna ex parte pastorali regimine utebantur, dum reliquarum partium cura ad finitimos Dalmatiae Episcopos pertinebat. Cum itaque eo res adductae fuissent, ut suorum Pastorum praesidium gentes illae amplius experiri non possent, Romani Pontifices eo acrius incensi ad opem ferendam, quo maiore in discrimine earum versabatur salus, excitato virorum apostolicorum zelo, ac opera adhibita sacri Consilii christiano nomini propagando, meliori qua fieri potuit ratione, fidei in iis partibus tuendae et religionis detrimentis sublevandis consuluerunt. Qua in re luculenter enituit sodalium Franciscalium ex ordine veteris observantiae constantia et virtus, qui operam in iis provinciis propagationi fidei navantes, pro ea interdum etiam sanguinem fuderunt, pluribus relatis salutis fructibus, egregie de religione sunt meriti. Cum porro Praedecessores Nostros non laterent gravia

*Postmodum instituti Vicariatus Apostolici.*

1. Gobelin, *Commentar*, Pii II, lib. XI.

damna queis obnoxii sunt ii, a quibus longe abest procuratio Pastoris, auctoritate Eorum decreto edito a sacro Consilio propagandae fidei praeposito, anno MDCCXXXV die V novembris, Apostolicus Vicariatus institutus est, qui in locum episcopalis Bosniae sedis suffectus, Bosniensibus simul et Herzegovinensibus prospiceret; atque huius ministerii munus viro episcopali dignitate aucto fuit creditum, ut in Bosnia suam sedem statuens, spirituali utriusque provinciae procuratione rite fungeretur.

At cum Deo favente laeti fructus ex hisce curis extarent, et fidelium numerus feliciter augeretur, anno MDCCCLII Decessor Noster felicis recordationis Pius IX ad christianum nomen latius propagandum et fovendam unitatem spiritus in vinculo pacis inter operarios, qui in vinea Domini laborant, peculiarem et proprium religionis rebus in Herzegovina curandis Vicariatum Apostolicum constituit, servata tamen episcopali sede Mercanensi et Tribuniensi, cuius administrationem conlatis antea cum imperiali Austriae Gubernio consiliis, Gregorius XVI Episcopo Ragustino demandaverat. Quae rationes, Praedecessorum Nostrorum providentia initae, in illarum provinciarum bonum apprime redundarunt, in quibus oblata hominibus veritatis excipiendae opportunitas et ad christianam professionem colendam auxilia effecere, ut fides, religio et pietas ampla in iis incrementa susciperet.

*Tandem hierarchia ordinaria constituitur.*

At nunc singulares grates Deo clementissimo a Nobis in humilitate cordis agendas esse intelligimus, cum Eius munere Nobis datum sit, ut post tot saeculorum lapsum, post tot luctuosas rerum vices, quod olim incliti Nostri Praedecessores summis votis optabant, quod ad res Ecclesiae in superius memoratis provinciis ad meliorem statum adducendas pertinet, opportune praestare et perficere, ecclesiastica scilicet hierarchia in iis constituenda, possimus. Non enim dubitandum est quin hierarchica ecclesiasticae rei administratio, in qua, velut in compage humani corporis, varietas ipsa graduum et officiorum, ob commune fidei et caritatis vinculum et supremi auctoritatem capitis omnia moderantis et agentis, ad mutuum omnium partium inter se

consensum et incolumitatem mirifice redundat, ubi illis provinciis fuerit constituta, dum sensim praesidia augebit, quae ad religiosum cultum animorum spectant, ac omnium vires ad commune bonum impellet, eo valitura sit, ut fideles in christianae vitae officiis una eademque disciplinae ratione utantur, ac pacis et caritatis nexu omnium animi arctius consocientur. *III NONAS IULII 1881.*

Nos itaque rogatis, ut negotii gravitas postulabat, Venerabilium Fratrum Nostrorum S. E. R. Cardinalium sententiis, ac totius rei ratione accurate perpensa, levantes oculos in montes unde omnipotentis Dei venit auxilium, ac propitiam opem implorantes Immaculatae Dei Matris, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, sanctorumque Pontificum Confessorum Cyrilli et Methodii, qui evangelii lumine inter Slavicas gentes olim invecto, eis nunc coelesti patrocinio suffragantur, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque amplitudine Apostolicae auctoritatis, ad maiorem Dei omnipotentis gloriam et religionis catholicae inter easdem gentes exaltationem ac incrementum, constituimus ac decernimus, ut in Bosniae et Herzegovinae districtibus iuxta canonicarum legum praescripta hierarchia ordinariorum Episcoporum instituatur et fiat, qui a sedibus nomen accipient, quas hisce Nostris litteris erigimus, et in ecclesiasticam provinciam constituimus.

Ac primum a territorio, iurisdictione, administratione, regimine Episcopatus Bosniensis, qui a fel. rec. Clemente XIV Apostolicis litteris die IX iulii anno MDCCLXXIII datis, instante Maria Theresia Hungariae Apostolica et Bohemiae Regina Illustri, finitimae Ecclesiae Sirmiensi aeque principaliter et in perpetuum fuit unitus, omnes regiones et loca citra Savum existentia, quae politicis Bosniae finibus comprehenduntur, auctoritate Apostolica in perpetuum seiungimus, distrahimus, separamus, itemque Apostolicus Vicariatus in Bosniensi et Herzegovinensi districtibus constitutos, eadem auctoritate supprimimus, extinguimus ac suppressos declaramus. Deinde in eodem territorio novam provinciam ecclesiasticam constituimus, quae quatuor tantum dioecesibus iuxta modum qui sequitur

constabit, donec Nobis datum fuerit, ut sedes numero plures instituamus.

*Erigitur sedes Archiepiscopalis cum tribus Suffraganeis.*

Cum urbs Seraium, vulgo *Sarajevo*, in medio poene Bosniensis regionis posita eiusque princeps, ratione situs ac opportunitate loci advenis et negotiatoribus admodum pervia, maiorem prae aliis civitatibus commoditatem Catholicis praebeat, ut ad eam propter usus suos commeare possint, cumque etiam catholici Episcopi apud eam urbem in Werhbosnensi oppido hospitam sedem interdum habuerint, quo tempore, ut fama est, Patarenorum sectae asseclis saevientibus tutum perfugium quaerebant, hinc sedem Seraiensis urbis, Werhbosnensem ei titulum tribuentes, in archiepiscopalem et metropolitanam sedem et aliarum sedium caput, quae sunt et erunt in utraque Bosniensi et Herzegovinensi provincia per Nos aut Successores Nostros Romanos Pontifices in posterum erigendae, auctoritate Apostolica tenore praesentium instituimus, facimus ac declaramus, eidemque sedes episcopales tres, nempe duas, quas novas erigimus in civitatibus Banialuco et Mandetrio, vulgo *Mostar*, et aliam iam erectam Mercanensem et Tribuniensem, quam Episcopus Ragusinus donec aliter provideatur administratoris titulo procurabit, tamquam provinciales adsignamus, addicimus, attribuimus; earum vero Episcopos pro tempore existentes in Archiepiscopi Werhbosnensis suffraganeos, qui iuri eius archiepiscopali et metropolitico subsint, accensemus, ac huiusmodi Ecclesiarum clerum populumque universum, quorum caussae ad memoratum Archiepiscopum iuxta sacrorum statuta canonum referantur, ipsi Archiepiscopo quoad archiepiscopalia et metropolitica iura pariter subiicimus. Quod autem pertinet ad novam dioecesim Mandetriensem, cuius in finibus civitas Dumnensis est, vulgo *Duvno*, quam veteres Delminium dixere, unde Dalmatarum nomen est ortum, Nos ratione habita eam urbem cum circumiectis oppidis, ut vetera monumenta tradunt, episcopalis sedis, quae Dumnensis seu Dalmatiae vocabatur, dignitatem obtinuisse (1), volumus et mandamus, ut Episcopus Mandetriensis Dumnensi etiam

1 Cf. S. Gregor. m. lib. l, ep. XXXVIII.

vel Dalminiensi titulo, quo illustris illius cathedrae memoria in posteris vigeat, perpetuo utatur ac decoretur. *III NONAS IULII 1881.*

Agentes autem de finibus, quibus novae dioeceses, quas supra memoravimus, contineantur, eos in hunc qui sequitur modum statuimus, assignamus, et circumscribimus, et ab omnibus perpetuo ac inviolabiliter servari iubemus atque mandamus : nimirum archiepiscopalis sedes Werhbosnensis eum Bosniae tractum complectetur, qui ad septentriones, qua Savum fluit, ab ostiis fluminis Verbitzae ad fauces Drini patet. Ad occasum partem illam, quae Verbitza alluitur, ab huius ostiis ad Dolnje-Skoplje, atque hinc meridiem versus ad montes Dinaricos, quibus Bosnia ab Herzegovina dirimitur. Fines ad austrum ii erunt, qui a Suica ad oram, qua Rama in Naronem labitur, inde a Narone ad Glavaticevum, inde a Glavaticevo orientem versus ad Drinum, inde a Drino ad fluvium Limum pertinent. Postremo ea pars, quæ fluviorum Limi et Uvaci cursu continetur. Limites ad ortum ea parte definientur, quae ab Uvaco fluvio ad montem Ivicam, a Drino usque ad ostia huius amnis protenditur. *Ecclesiarum limites determinantur : Werhbosnensis,*

Paroeciae autem, quae in descriptis finibus locum obtinent sunt quae sequuntur :

Serajevo, Ban-Brdo, Kiseljah, Kresevo, Podhum, Kula, Kupres, Suhopolje, Trisoani, Rama, Uzdo, Bugojno, SKoplje, Gobo-Brdo, Rastovo, Fonjnica, Brestovsko, Gromiljak, Busovaca, Podmilacje, Dobretici, Koricani, Pecine, Orasje, Dolac-Tranvnik? Gucia-Gora, Bucici, Vitez, Crkvica, Zenica, Osova, Zepce, Radunice, Ponievo, Komusina, Bezlja, Zabljak, Sutinska, Vares, Vijaka, Morancani, Tuzla, Breske, Zovik, Brcki, Gorica, Ulice, Vidovicie, Dubrava, Spionica, Tramosnjica, Gradacac, Tolisa, Domaljevac, Tisina, Garevo, Dubica, Potocani, Svilaj, Brood, Koratje, Zeravac, Derventa, Plehan, Foca, Sivsa.

Regio autem episcopalis sedis Banialucensis reliqua Bosniae parte constabit, quae ad septentriones iis definitur limitibus, quibus Croatiae regnum a Bosnia dirimitur : ad occasum iis finibus, qui Croatiae sunt quique Dalmatiae sunt, Herzanum usque : ad meridiem ea ora, quae ab Her- *Banialucensis,*

zano ad Suicam pertinet: ad ortum demum iisdem limitibus, quos superius archidioecesi Werhbosnensi descripsimus.

Ea in regione continentur paroeciae, quae sequuntur: Banjaluka, Kotorisce, Sokoline, Varcas, Jaice, Glamoc, Grahovo, Petricevac, Ivanjska, Gradiska, Sasina, Stratinska, Volar, Stara-Rieka, Bihac, Popovici, Vidosi, Cuklic, Listani, Ljubuncic, Livno-Gorica.

*Mandetriensis et Dumnensis,*

Dioecesis Mandetriensis et Dumnensis totum Herzegovinae tractum obtinebit, qui inter fines dioecesis Werhbosnensis et Banialucensis a borea, inter fines Dalmatiae usque ad urbem Metkovic ab occasu, inter fines dioecesis Mercanensis et Tribuniensis ab austro atque inter districtum quem vocant Novofori, vulgo *Novi-Bazar*, ab ortu, continetur.

Paroeciae, quae ad hanc dioecesim pertinent, sunt quae sequuntur: Mostar, Siroki-Brig, Ljuti-Dolac, Cerin, Gradnici, Gabela, Humac, Veljaci, Klobuh, Rasno, Ruzici Drinovci, Forica, Posusje, Vir, Roskc-Polje, Grabovica, Bukovica, Zupanjac, Sujica, Seonica, Rakitno, Kocerin, Gradac, Goranci, Dreznica, Konjic.

*Mercanensis et Tribuniensis.*

Dioecesis Mercanensis et Tribuniensis fines suos integros retinebit, servato pariter paroeciarum numero, quae nunc Episcopi administrantis iurisdictioni subiiciuntur.

*Capitula.*

Quoniam vero in cathedralibus Ecclesiis Canonicorum Collegium loco Senatus est, qui Episcopo adsidet in divinis celebrandis officiis eique in administranda dioecesi suam operam navat; atque etiam per illud cathedrae episcopalis ornatur dignitas, divini cultus augetur decus, et fidelium pietas magis incenditur, Apostolica Nostra auctoritate in archiepiscopali sede Werhbosnensi illico et perpetuo instituimus cathedrale Capitulum constans ex ecclesiasticis idoneis viris, aequali prorsus voce et votis in suis comitiis et quibusque deliberationibus gavisuris, qui ad instar aliarum Cathedralium tum divina officia et munia ecclesiastica, tum onera et quaevis alia, quae huiusmodi virorum coetuum propria sunt, rite diligenterque statutis temporibus obire teneantur, eique insuper facultatem facimus capitulares sibi conficiendi constitutiones sacrorum canonum sanctionibus

et Tridentino Concilio plane consentaneas, quae nihilominus ordinarii Antistitis approbatione indigeant, ut legis vim sibi vindicare queant. *III NONAS IULII 1881.*

Volumus porro et mandamus, ut in aliis quoque episcopalibus sedibus, quas modo erigendas statuimus, proprium cuiusque Canonicorum Collegium seu Capitulum constituatur, cum primum per temporum rerumque adiuncta licuerit.

*Seminarium provinciale.*

Ad curas autem ministerii Nostri illud etiam maxime pertinere intelligimus, ut auctis episcopalibus in Bosnia et Herzegovina sedibus, succrescant in iis Presbyteri indigenae numero plures, qui morum innocentia, pietatis cultu, ardore zeli praestantes, probeque litteras ac scientias edocti, omnes sacerdotalis officii partes uberi cum fructu obire valeant, et ad fidem propagandam in natalibus regionibus studiose suas vires intendant. Quapropter pro certo habentes non defuturam tantae rei munificam liberalitatem pientissimi Imperatoris et Regis Apostolici, statuimus ac decernimus, ut interim, nulla mora interiecta, in archidioecesi Werhbosnensi Clericorum Seminarium provinciale instituatur, quo necessitati prospici queat cum archidioecesis illius, tum caeterarum dioecesium, quas eidem suffraganeas adiunximus. Ac bona prorsus spe nitimur ea ratione ac ope evangelicos operarios quamplures optime comparatos a clero saeculari extituros, qui fideliter alacriterque excolant vineam Domini, uno caritatis et concordiae spiritu cum religiosarum disciplinarum alumnis coniuncti, quos dignis officiis prosequi par est ob diuturnos labores, quibus de ecclesia et de animarum salute benemereri in iis regionibus sedulo studuerunt. Volumus autem ea accurate servari, quae sapienter a Tridentina Synodo statuta sunt, tum quoad eiusdem Seminarii regimen, tum quoad instructionem et bonorum administrationem.

Sic igitur in Bosniae et Herzegovinae districtibus ecclesiastica provincia unica, quantum praesentes res ferunt, ex uno Archiepiscopo seu metropolitano Antistite et tribus suffraganeis Episcopis constituta, Nobis et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris iam nunc reservatum declaramus, ut erectas et institutas dioeceses in alias, ubi opus erit,

*Erectae Ecclesiae gubernentur ad praescripta iuris communis.*

partiamur, earumque numerum augeamus, limites immutemus, ac quidquid aliud expedire in Domino visum fuerit libere perficiamus. Interim Archiepiscopo et Episcopis supradictis praecipimus et mandamus, ut relationes de suarum Ecclesiarum statu ad Apostolicam Sedem debitis temporibus mittant, nec desistant Nos instructos reddere de iis omnibus, quae pro officii munere ac spirituali fidelium bono nunciare et referre se teneri intellexerint. In sacro vero cleri populique regimine atque in caeteris, quae ad pastorale ministerium pertinent, Archiepiscopus et Episcopi praefati omnibus fruantur iuribus et facultatibus, quibus alii aliarum gentium catholici Archiepiscopi et Episcopi ex communi sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum vi fruuntur ac frui poterunt iisdemque pariter obstringantur obligationibus, quibus alii Antistites ex eadem communi et generali Catholicae Ecclesiae disciplina obstringuntur. Quaecumque propterea sive ex antiqua Ecclesiarum Bosniae et Herzegovinae ratione, sive in subsequenti Missionum conditione ex peculiaribus constitutionibus aut privilegiis vel consuetudinibus viguerint, mutatis nunc circumstantiis, nullum posthac sive ius sive obligationem inducent. Atque ad eum finem, ut nulla in posterum suboriri dubitatio valeat, Nos iisdem illis peculiaribus constitutionibus ac privilegiis cuiuscumque generis et consuetudinibus a quocumque etiam vetustissimo et immemorabili tempore inductis, omnem prorsus obligandi aut iuris afferendi vim ex plenitudine Apostolicae auctoritatis adimimus. Proinde Archiepiscopo et Episcopis praedictis integrum erit ea decernere, quae ad communis iuris executionem pertinent, quaeve ex generali lege sacrorum Antistitum auctoritati permissa sunt. Ulterius intendimus, ut cuncta ad res, iura et personas ecclesiasticas respective pertinentia, de quibus in hisce praesentibus nulla facta est mentio, nullaque inlata specialis providentia, ea omnia iuxta canonice vigentem Ecclesiae disciplinam ultro habenda, dirigenda et declaranda sint.

Nunc vero aspicientes in auctorem fidei et consummatorem IESUM, qui intima cordis Nostri scrutatur, qui novit quo desiderio flagremus dilatandi gloriam Nominis Sui, et quo

caritatis moveamur affectu ad curandam aeternam Slavicarum gentium salutem, quam non aliter eas assequi posse nisi in sinu Catholicae Ecclesiae cognoscimus, firmam prorsus fiduciam fovemus gentes ipsas, quarum bonum in iis, quae a Nobis sunt decreta, spectavimus, nihil potius habituras, quam ut huic Apostolicae Cathedrae super quam Ecclesia aedificata est, maiore in dies devotae voluntatis obsequio et studio iungantur. Immo Episcopis et Sacerdotibus inter eas numero auctis, quibus nullum unquam Apostolicae curae officium deesse patiemur, minime dubitamus non modo Catholicae Ecclesiae filios hac opportunitate usuros, ut magis magisque in religione et pietate proficiant, sed etiam deviis fratribus, qui eiusdem soli et eiusdem sermonis communione sociantur, stimulos additum iri, ut ad eius matris se recipiant sinum, quae omnes pariter in Christo IESU per evangelium genuit. Annuat propitius dives in misericordia Deus, qui facit mirabilia magna solus, ad quem flectentes genua et expandentes manus vota cordis Nostri fervida extollimus, ut ipsi etiam coelestis gratiae lumine perfusi, fractis miseri dissidii laqueis, verum ovile Christi ingrediantur, utque occurrentes in unitatem fidei, sint Nobiscum unum corpus in Christo.

*III NONAS IULII 1881.*

Decernimus tandem has Nostras litteras nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio, sive intentionis Nostrae alioque quovis defectu notari vel impugnari posse, et semper validas ac firmas fore, suosque effectus in omnibus obtinere ac inviolabiliter observari debere. Non obstantibus Apostolicis atque in synodalibus, provincialibus et universalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus sanctionibus, nec non veterum sedium existentium olim in Bosnia et Herzegovina et Missionum ac Vicariatuum Apostolicorum inibi postea constitutorum, et quarumcumque Ecclesiarum ac piorum locorum iuribus aut privilegiis iuramento etiam, confirmatione Apostolica, aut alia quacumque firmitate roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque. His enim omnibus tametsi pro illorum derogatione specialis mentio facienda esset, aut alia quantumvis exquisita forma servanda, quatenus supradictis obstant, expresse derogamus, et quo-

rumcumque interesse habentium consensui plenarie supplemus. Irritum quoque et inane decernimus si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manuque publici Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi ipso hoc diplomate ostenso haberetur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae erectionis, constitutionis, institutionis, restitutionis, dismembrationis, suppressionis, adsignationis, adiectionis, attributionis, decreti, mandati ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem haec attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octogesimo primo III nonas iulii, Pontificatus Nostri Anno IV.

C. CARD. SACCONI PRO-DATARIUS = T. CARD. MERTEL.

VISA

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

*Loco ✠ Plumbi*

*Reg. in Secret. Brevium.*

I. CUGNONIUS.

# EPISTOLA

## Ad Episcopos Belgii

## DE VITANDIS IMPORTUNIS CONTROVERSIIS.

LICET multa postremis hisce temporibus in Belgio contigerint rei catholicae perniciosa, quae animum nostrum magno dolore affecerunt, solatium tamen consolationemque percepimus ex multis constantis amoris fideique testimoniis a catholicis Belgii viris Nobis exhibitis, quoties opportuna sese offerret occasio. In primis autem Nos recreavit et recreat egregia vestra in Nos voluntas, studiumque a vobis impensum, ut christianus populus vobis commissus in fidei catholicae sinceritate et unitate persistat, et amore in Ecclesiam Christique Vicarium in dies crescat. Placet autem id Vobis maxime laudi tribuere, quod optimae iuventutis institutioni omni industria studetis, providentes ut in primis litterarum scholis de religione doctrina large adolescentibus tradatur. Nec minore cura contenditis ut christianae educationi cuncta benevertant in Gymnasiis etiam et Lyceis, et in ipsa Lovaniensi studiorum Universitate.

*3 AUGUSTI 1881.*

Nihilominus hac in re quieto aut securo Nos animo esse non sinunt quae catholicorum hominum concordiae periculum creare penes Belgas videntur, eosque in contraria studia distrahere. Supervacaneum porro est hic memorare quae fuerint veteres recentesque dissidiorum caussae, occasiones, incitamenta, inde etiam profecta, unde minus expectandum esse videbatur : ea vos, dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, prae ceteris intelligitis et Nobiscum deploratis, cum probe noveritis, nullo unquam tempore tantam fuisse concordiae inter omnes catholicos viros conciliandae et servandae necessitatem, quantam hoc nostro, quo christiani nominis hostes unanimi impetu Ecclesiam undique adoriuntur.

*Maxime necessaria concordia inter catholicos.*

Itaque de ea tuenda solliciti, monemus, minus eidem

*Cavendum ne apud Belgas haec concordia turbetur nonnullis controversiis de iure publico.*

favere nonnullas de iure publico controversias, quae solent animos apud vos maxime commovere: versantur autem circa necessitatem vel opportunitatem exigendi ad catholicae doctrinae normam recentes rei publicae formas, iuris novi, ut aiunt, principiis innixas. — Profecto Nos ipsi ante omnes summopere cupimus ut humana societas christiano more componatur, atque ut omnes civitatis ordines divina Christi virtus penetret ac pervadat. Id Nobis propositum esse statim ostendimus a Pontificatus Nostri exordiis, publicis editis documentis; potissimum autem Litteris Encyclicis, quas adversus socialismi errores, et nuper de politico principatu evulgavimus. Attamen catholici viri omnes, si utiliter in commune bonum elaborare velint, prae oculis habeant et fideliter sequantur oportet consultam agendi rationem, quam in his rebus adhibere solet Ecclesia: quae licet coelestium doctrinarum integritatem iustitiaeque principia inviolabili firmitate tueatur, maximeque enitatur ut privatis actibus publicisque institutis et moribus eadem principia moderentur; aequam tamen habet rerum, locorum, temporumque rationem; et saepe ut in humanis rebus assolet, quaedam aliquandiu tolerare cogitur mala, quae removeri vix aut ne vix quidem possunt, quin gravioribus malis et perturbationibus aditus aperiatur.

*In controversiis aequitas et caritas observanda.*

Illud insuper in controversiis agitandis cavendum est, ne modus transiliatur, quem aequitatis caritatisque leges praescribunt; neve temere insimulentur, vel in suspicionem adducantur viri ceteroquin Ecclesiae doctrinis addicti, maxime autem qui in Ecclesia dignitate et potestate praecellunt. — Id quidem tibi, dilecte fili Noster, contigisse dolemus, qui Ecclesiae Mechliniensi Archiepiscopi auctoritate praees, quique ob egregia tua in Ecclesiam merita et catholicae doctrinae tuendae studium, dignus es habitus qui Patrum Cardinalium Collegio a Decessore Nostro f. r. Pio IX adscribereris. — Per se autem apparet, hanc in falsas insimulationes quemlibet vocandi levitatem alieno nomini detrahere, mutuae caritatis vincula relaxare, iniuriamque iis inferre quos *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei:* ideoque ut ab ea omnes catholici viri tempe-

rent summopere cupimus, graviterque monemus. Quibus quidem scire satis sit, Apostolicae Sedi Romanoque Pontifici, ad quem omnibus semper patet accessus, officium esse demandatum, catholicas ubique veritates tuendi, cavendique ne quid in Ecclesia serpat aut disseminetur, quod de fide et moribus doctrinae officere vel cum ea discrepare videatur. *3 AUGUSTI 1881.*

*Animorum unitatem tueantur summa cura episcopi.*

Ad vos quod attinet, dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, summa diligentia curate ut omnium doctorum virorum, et eorum praesertim, quibus iuventutis instituendae munus per vos est creditum, una sit mens eademque sententia in his, in quibus Apostolicae Sedis auctoritas dissentiendi libertatem non relinquit. In his autem quae sapientum disputationibus libere permittuntur, ita, Vobis suadentibus ac monentibus, ingenia exerceantur, ut sententiarum diversitas animorum unitatem et voluntatum concordiam non abrumpat. Qua de re plena sapientiae ac gravitatis praecepta doctis viris tradidit immortalis memoriae Pontifex Decessor Noster Benedictus XIV in Constitutione « *Sollicita ac provida* » ; imo etiam exemplar ad imitandum proposuit sanctum Thomam Aquinatem, qui pacato semper stilo et gravi dicendi forma utitur, non solum cum docet, veritatemque argumentis communit, sed etiam cum adversarios urget et insectatur. Placet Nobis haec eadem Decessoris Nostri praecepta iterum sapientibus commendare, idemque exemplar exhibere, ex quo non modo discant qua ratione sit cum adversariis agendum, sed etiam qualem in philosophicis et theologicis disciplinis doctrinam tradi oporteat et coli. Non semel vobis, dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, significavimus quantopere Nos optemus ut sancti Thomae sapientia in scholis catholicis restituatur et maximo ubique in honore habeatur. Auctores etiam Nos fuimus constituendi in Lovaniensi Academia altioris philosophiae, ad mentem S. Thomae, magisterium ; qua in re, sicut et in ceteris omnibus paratissimos vos nacti sumus desideriis Nostris obsequi voluntatemque Nostram perficere. Coepta igitur alacriter insistite, et studiose curate, ut in eadem Academia christianae philosophiae uberes fontes, e S. Thomae Aquinatis operibus erumpentes, large copiose-

*Commendatur studium philosophiae S. Thomae.*

que auditoribus recludantur, et ad omnium aliarum disciplinarum utilitatem deriventur. Qua in re neque consilium neque operam Nostram, ubi opus fuerit, Vobis unquam deesse sinemus.

Interim vero a Deo qui fons sapientiae est et pacis auctor caritatisque amator, opportunam necessitatibus opem imploramus, et coelestium munerum copiam omnibus adprecamur. Quorum auspicem et singularis benevolentiae Nostrae testem Apostolicam Benedictionem vobis, dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, simulque universo Clero et populo curis vestris credito peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 3 augusti 1881.

Pontificatus Nostri anno quarto.

# ALLOCUTIO

## Ad S. R. E. Cardinales

## DE VIOLATIS PII IX CINERIBUS.

## HIERARCHIA IN BOSNIA INSTITUTA.

*4 Augusti 1881.*

CONVOCARE ad Nos maturavimus amplissimum Collegium Vestrum, ut de creandis Episcopis acturi, oblata opportunitate uteremur ad significandum Vobis animum Nostrum doloremque impertiendum, haud multis ante diebus susceptum ob res atrociter nefarieque in Urbe actas, cum Pii IX f. r. decessoris Nostri cineres efferrentur. De quo quidem facto inopinato et indigno dilectum Filium Nostrum Cardinalem a negotiis publicis ad Europae principes referre imperavimus, re recenti. Nihilominus allata magno Decessori Nostro iniuria et pontificia violata dignitas, Nos hodierna die vocem promere omnino iubent, ut animi Nostri sensa a Nobismetipsis publice confirmentur, intelligantque catholicae gentes omni, qua possumus, ratione et memoriam viri sanctissimi vindicatam, et maiestatem Pontificis maximi per Nos esse defensam.

*Nefandae iniuriae illatae cineribus Pii IX, dum a Basilica Vaticana ad Laurentianam veherentur:*

Pius IX, ut probe nostis Venerabiles Fratres, corpus suum in Basilica Laurentiana extra pomarium condi iussit. Itaque cum supremam eius voluntatem hac in re perfici oporteret, monitis iis qui securitatem publicam tueri debent, constitutum fuerat, ut ex Basilica Vaticana corpus aveheretur silentio noctis, eoque tempore quod esse solet maxime quietum. Item ducendum funus esse placuit non eo apparatu qui Pontificiae dignitati Ecclesiaeque institutis conveniret, sed quem praesens romanae Urbis conditio sineret. Verum eius rei vulgatur repente fama Urbe tota: quare populus romanus beneficiorum ac virtutum tanti Pontificis memor, sponte demonstrat velle se parenti publico obsequium pietatemque supremam testificari. Quod quidem grati et amantis animi testimonium plane futurum erat populi romani gravitate et religione dignum, cum nihil aliud esset

propositum quam aut funus decenter prosequi, aut, qua incederet, frequentes ac venerabundos adesse.

Ad constitutam diem horamque pompa funebris e templo Vaticano processit, ingenti multitudine ex omni civium ordine per compita perque vias circumfusa. Magnus piorum hominum numerus circa feretrum, maior pone comitabatur, incessu pacato et gravi. Ab his quidem aptas tempori preces fundentibus nec vox nec significatio ulla extitit, quae lacessere quemquam, aut turbas quoquo modo ciere posse videretur. Sed ecce vel a principio non ignota flagitiosorum manus incompositis clamoribus lugubre officium perturbare. Mox aucto numero et audacia, ingeminare terrores ac tumultus rebus sanctissimis maledicere, spectatissimos viros sibilis conviciisque accipere : vultuque et voce et ira minaces circumvenire hostiliter lugubrem comitatum, et verberibus saxisque certatim petere. Immo, quod nulla barbaria tentavisset, ne reliquiis quidem Pontificis sanctissimi pepercerunt. Non modo enim nomen Pii IX contumeliose appellatum, sed in currum quadrigarum, quo reliquiae vehebantur, coniecti lapides, pluriesque inclamatum, proiiciendos inhumatos cineres. Continuatumque longo viarum tractu, duarum horarum spatio, turpe spectaculum. Quod si non ad extrema ventum est, moderationi eorum tribuatur, qui quamvis omni vi petulantiaque lacessiti iniurias patienter ferre maluerunt, quam ullo modo sinere ut inter illud pietatis officium funestiora contingerent.

Haec facta nota omnibus et publicis confirmata monumentis dissimulare aut denegare ii, quorum interest, nequicquam conantur : eadem, quocumque fama nuntiavit, non modo catholicarum gentium animos moerore compleverunt, sed liberrimam indignationem cunctorum hominum moverunt, apud quos valet humanitatis nomen. Undique commeant ad Nos quotidie litterae labem dedecoris et immanitatem sceleris exsecrantium.

*ex quo facinore iudicare est quae sit Pontificis in Urbe conditio.*

Sed maximam sollicitudinem animique angorem Nobis ante alios attulit casus nefarius et gravis. Quoniam autem officio impellimur, ut maiestatem Pontificatus romani verendamque Decessorum Nostrorum memoriam tueamur,

idcirco teterrimum facinus in conspectu Vestro, Venerabiles Fratres, conquerimur et deploramus, illatamque expostulamus iniuriam, cuius ad eos culpa pertinet, qui nec iura religionis nec civium libertatem adversus impiorum hominum furorem defenderunt. Atque ex hoc ipso perspiciat catholicus orbis quanta Nobis in Urbe securitas relinquatur. — Cognitum perspectumque erat, coactos Nos esse ad asperam multisque de caussis non ferendam conditionem : hanc tamen recens eventus, de quo loquimur, magis patefecit ac illustravit, simulque ostendit, si acerbus Nobis est rerum praesentium status, acerbiorem esse expectationem reliquarum. — Quod si evectos per Urbem Pii IX cineres indignissimae perturbationes maximique tumultus consecuti sunt, quis praestare queat, non eamdem improborum futuram audaciam, si Nos incedere convenienter dignitati Nostrae per Urbem spectarent ? Praesertim si datam sibi caussam putarent, quod Nos officium coegisset aut latas in Urbe leges non iustas damnare, aut quicquam aliud publice non iure gestum reprehendere Quapropter magis magisque intelligitur, non alio modo Nos Romae nunc posse consistere quam in aedibus Vaticanis captivos. Immo si quis attente certe indicia consideret, quae passim erumpunt, simulque cogitet, aperte coniuravisse sectas in excidium catholici nominis, non sine caussa affirmari potest, adversus Ecclesiam Christi et Pontificem maximum, fidemque avitam Italorum perniciosiora consilia maturari.

*4 AUGUSTI 1881.*

Nos quidem ad istos ingravescentis certaminis gradus diligenter, uti debemus, attendimus : eodemque tempore quid Nobis ad defensionem maxime expediat ponderamus. Spe omni in Deo posita, dimicare summa contentione certum est pro incolumitate Ecclesiae, pro libertate Pontificis, pro iuribus et maiestate Sedis Apostolicae : in eoque certamine nec labores fugere, nec difficultates reformidare. Neque propugnaturi soli sumus, quoniam virtuti constantiaeque Vestrae, Venerabiles Fratres, plurimum in omnes partes confidimus. Ac non levi etiam vel solatio vel adiumento est voluntas et religio Romanorum, qui multis insidiis circumventi atque omnibus artibus sollicitati,

*Magno animo certandum pro Ecclesiae libertate.*

tamen in obsequio Ecclesiae, in fide Pontificis maximi singulari fortitudine perseverant, nullumque locum praetermittunt demonstrandi quam alte eas virtutes insculptas animo retineant.

*Hierarchia ecclesiastica instituta in Bosnia et in Herzegovina.*

Interea vero, quamquam in summis iis, quas diximus, et temporum et rerum difficultatibus versemur, tamen muneris Apostolici memores, operam Nostram in re catholica vigilanter administranda collocare, quantum licet, non praetermittimus; atque adiuvante studium Nostrum summa Dei benignitate, christianarum gentium utilitati servire pergimus. — Quam ad rem libentes commemoramus hoc loco collatas nuper in Bosniam et Erzegovinam curas. Cum enim valde cuperemus rem sacram in iis regionibus melius ordinare firmiusque stabilire, communicatis cum carissimo in Christo Filio Nostro Francisco Iosepho Austriae Imperatore et Hungariae rege apostolico consiliis, hierarchiam ecclesiasticam in iis provinciis constituendam curavimus. Huius rei caussa sedem urbis Seraiensis, quae Bosniensium urbium princeps habetur, Archiepiscopali et Metropolitana dignitate auximus, ac Verhbosnensem appellari iussimus: eidemque sedes episcopales tres, nempe Banialucensem, Mandetriensem seu Dumniensem, Mercanensem et Tribuniensem Ragusini Episcopi administrationi concreditam, tamquam provinciales adsignavimus et addiximus, earumque sedium Episcopos Archiepiscopi Verhbosnensis suffraganeos futuros decrevimus. — Mandavimus porro, Venerabiles Fratres, ut exemplaria Apostolicarum Litterarum, quas de ecclesiastica hierarchia in memoratis regionibus constituta in luce edi iussimus, Vobis tradantur, ut ex iis varias rerum sacrarum in iis locis vices, et totam rei a Nobis gestae rationem intelligatis.

Hanc providentiae rationem a Nobis initam eo certe valituram confidimus, ut inter Slavorum populos, qui lucem diligunt, gloriosis eorum Apostolis et Patronis coelestibus suffragantibus, Christi religio ampliora incrementa suscipiat, ac tamquam ex fecundo semine laeta salutis seges, Dei gratia fovente, succrescat ac floreat.

Nunc pergratum est referre ad Vos, Venerabiles Fratres,

de recenti cooptatione Patriarchae Ciliciensis Armeniorum. Etenim luctuoso illo, quod nostis, fere sublato dissidio, patriarchali se dignitate sponte abdicavit Venerabilis Frater Antonius Hassun, cui ob laborum ac virtutum merita romanae purpurae honorem deferendum censuimus. Quamobrem providimus, ut Venerabiles Fratres Episcopi Armenii in Synodum congregati novum Patriarcham eligerent seu postularent. Coortis ex inopinato difficultatibus, rem distulerunt; sed tandem synodali conventu habito in aede honori sancti Nominis Deiparae sacra, die sexta superioris mensis, Venerabilem Fratrem Stephanum Azarian, Archiepiscopum Nicosiensem, *in partibus infidelium*, Patriarcham Ciliciensem, Petri X nomine appellantes, maiore suffragiorum parte renunciarunt. Iidem deinde Episcopi litteris die octava superioris mensis ad Nos datis, suae observantiae testibus, omnia a se in hac electione gesta Nobis significarunt; atque intelligentes Patriarchalem dignitatem, omnem vim et firmitatem suam a beato Petro Apostolorum Principe accipere, qui divina ordinatione agnis et ovibus praepositus *claves regni coelorum communicandas ceteris solus accepit* (1), a Nobis, ut par erat, per preces postularunt, ut Synodalem electionem Apostolica Nostra auctoritate confirmare vellemus. Id pariter suppliciter Nos rogavit Venerabilis Frater Stephanus Azarian Patriarcha electus seu postulatus, qui epistola ad Nos missa die octava superioris mensis, una cum formula professionis fidei a se subscripta, quam ad formam ab Urbano VIII propositam coram Synodo edidit, obsequii et devotionis sensus erga hanc Apostolicam Sedem luculenter exposuit, et in eius fide et auctoritate se perpetuo futurum declaravit. Firma itaque fiducia est Nobis, Venerabiles Fratres, eumdem Patriarcham electum seu postulatum, qui in varietate munerum quae gessit, observantiae erga Romanam Ecclesiam, peritiae in rebus agendis, constantiae in catholica unitate tuenda perspicua argumenta semper exhibuit, omnem operam daturum, ut in eo amplissimo gradu quem obtinet, omnibus boni Pastoris partibus tum verbo, tum

*4 AUGUSTI 1881.*

*Confirmatio electionis Patriarchae Ciliciensis Armeniorum.*

1. S. Optat. Milev. I. XIII.

exemplo; tum studio in animarum salute quaerenda, fideliter satisfaciat. Hac fiducia erecti, de consilio Nostrae Congregationis Fidei Propagandae Orientalium Ecclesiarum negotiis praepositae, precibus eiusdem electi seu postulati Patriarchae et Coepiscoporum eius annuendum censuimus, et eumdem Stephanum Azarian in Patriarcham Ciliciae Armeniorum Apostolica Nostra auctoritate confirmandum et canonice instituendum decrevimus.

Itaque auctoritate Omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra confirmamus et approbamus electionem seu postulationem a Venerabilibus Fratribus Episcopis Armeniis Ciliciae factam de persona praedicti Archiepiscopi Stephani Azarian, quem absolvimus a vinculo quo tenebatur Ecclesiae Nicosiensi *in partibus infidelium*, ac transferimus ad Patriarchalem Ecclesiam Ciliciae Armeniorum, praeficientes eum Patriarcham et Pastorem eidem Patriarchali Ecclesiae, prout in Decreto et Schedula consistorialibus exprimetur, contrariis quibuscumque non obstantibus. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

# EPISTOLA

## Ad Episc. provinc. Mediolan., Taurin., Vercell.

## DE OPPRIMENDIS QUARUMDAM DISSENTIONUM INITIIS.

*25 IANUARII 1882.*

COGNITA Nobis est sapientia Vestra et vigilantia in omni genere diligens : itemque praeclara in hanc Apostolicam Sedem voluntas, quam cum saepe alias, tum etiam superiore anno et amantissimis litteris et coram confirmavistis. Atque illud magnopere laetamur episcopalibus laboribus Vestris uberes, Deo iuvante, evenire fructus. Quibus de rebus gratulamur unicuique Vestrum meritasque laudes libenti animo publice tribuimus.

*Duplex dissentionum materia : ephemerides et doctrinae philosophicae.*

Nonnihil tamen istis ipsis in provinciis est, Venerabiles Fratres, quamobrem non sumus a sollicitudine plane vacui. In iis enim passim apparent quaedam dissentionum initia, quae nisi opportune matureque opprimantur, evadere in maius aliquod malum videntur posse. Ea igitur volumus a Vobis diligenter considerari, et Vestra cura operaque provideri ut, amotis dissidiorum caussis, sententiarum et voluntatum concordia retineatur, quae cum in omni republica, tum praecipue in Ecclesia maximum atque optimum est vinculum incolumitatis. — Iamvero metuendum est, ne haec animorum concordia dirimatur contrariis partium studiis, quibus materiam praebet quaedam inter Insubres ephemerides, et doctrina clari unius viri, cuius inter recentiores philosophos nomen percrebuit.

*Ephemeridum scriptores laudantur ;*

Quod ad primum caput, sunt in istis provinciis vestris ephemerides, quarum auctores veri rectique principia tuentur, sanctissima Ecclesiae iura, Apostolicae Sedis Romanique Pontificis maiestatem strenue defendunt. Huic generi favendum maxime est ; et omni ratione curandum ut scriptores huiusmodi non modo floreant studiis hominum et gratia, sed etiam multos ubique nanciscantur similes sui, qui quotidianos improborum impetus sustineant, et honestatis

religionisque patrocinio redimant impunitam plurimorum in scribendo licentiam. Hac de caussa Nos haud semel illorum probavimus voluntatem, vehementerque hortati sumus, et tueri iustitiam et veritatem scribendo insisterent, et nulla re deduci sese a proposito sinerent.

*eisdem commendatur gravitas et aequitas,*

At vero convenit in caussa gravi et nobili modum adhibere defensionis aeque nobilem et gravem, quem ultra progredi non oportet. Scilicet pulchrum est, eos qui catholicum nomen scriptis quotidianis defendunt prae se ferre veritatis amorem constantem, minimeque timidum; sed simul oportet nihil eosdem suscipere, quod bono cuiquam viro iure displiceat, neque ulla ratione temperantiam deserere, quae cunctarum comes debet esse virtutum. In quo nemo sapiens probaverit aut stilum vehementem plus quam satis est, aut quidquam vel suspiciose dictum, vel quod temere a personarum obsequio indulgentiaque discedere videatur.

*maxime vero reverentia erga Episcopos.*

In primis vero sanctum sit apud catholicos scriptores Episcoporum nomen; quibus in excelso auctoritatis gradu collocatis dignus officio ipsorum et munere habendus est honos. Neque licere sibi homines privati putent in ea, quae sacri Pastores pro potestate decreverint, inquirere; ex quo sane magna perturbatio ordinis consequeretur et non ferenda confusio. Atque istam reverentiam, quam praetermittere licet nemini, maxime in catholicis auctoribus ephemeridum luculentam esse et velut expositam ad exemplum necesse est. Ephemerides enim, ad longe lateque pervagandum natae, in obvii cuiusque manus quotidie veniunt, et in opinionibus moribusque multitudinis non parum possunt.

*In disciplinis philosophicis insistendum vestigiis S. Thomae:*

Ad alterum caput quod attinet, de philosophicis disciplinis iam declaravimus cuius viri vestigiis ingrediendum putemus. Litterae Nostrae Encyclicae die IV mensis augusti anno MDCCCLXXIX ad universos Episcopos datae aperte monent, avere Nos et cupere ut iuventus ad disciplinam sancti Thomae Aquinatis instituatur; quae plurimum ad excolendas sapienter hominum mentes semper valuit, et est maxime accommodata ad pravas refutandas opiniones, quae homines tanto iam numero transversos agunt, cum ingenti et salutis suae discrimine et reipublicae

detrimento. Istud Litterarum Nostrarum propositum poterat omnium animos concordia iunctos facile retinere, excepta interpretationis subtilitate nimia, servataque moderationis ratione in rebus iis, de quibus ad studium investigandi veri, citra fidei caritatisque iacturam, viri docti utrinque disserere consueverunt. *25 IANUARII 1882.*

Sed quoniam non sine animi Nostri cura videmus partium studia plus aequo in disputando conflagravisse, publice interest, huic ardori animorum modum aliquem imponi. Quapropter cum in iis quae in dies singulos scribuntur et multa commentatio et pacata iudicii tranquillitas, ut plurimum, desideretur, optandum est ut catholici ephemeridum scriptores ab huiusmodi quaestionibus tractandis abstineant. — Interim autem Sedes Apostolica, de gravioribus negotiis praesertim quae doctrinarum sanitatem spectant pro muneris sui ratione sollicita, ad renatas et recrudescentes controversias vigilantiam et providentiam suam convertere non praetermittit, ea adhibita consilii prudentia, in qua quemlibet catholicum virum aequum est conquiescere. *philosophicae controversiae in ephemeridibus ne agitentur.*

Ex qua tamen re nolumus detrimentum capere societatem religiosorum virorum, *a Caritate* nominatam, quae sicut in iuvandis ex instituto proximis hactenus labores suos utiliter insumpsit, ita optandum ut vigeat reliquo tempore, fructusque pergat quotidie uberiores edere.

Interea Vestrum est, Venerabiles Fratres, dare operam ut haec consilia Nostra perficiantur, et nihil omittere quod ad firmandam concordiam pertineat. Quae sane eo magis est, ut probe intelligitis, necessaria, quo plures et acriores apparent hostes rebus catholicis imminentes: adversus quos exercere vires omnes necesse est, easque non dissipatione attritas, sed coniunctione auctas. Plurimum propterea prudentia, virtute et auctoritate Vestra confisi, Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, et populis vigilantiae Vestrae commissis, auspicem divinorum munerum, et praecipuae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXV ianuarii MDCCCLXXXII, Pontificatus Nostri anno quarto.

LEO PP. XIII.

# LITTERA ENCYCLICA

## Ad Episcopos Italiae

## DE MEDIIS FIDEI APUD POPULOS CONSERVANDAE OPPORTUNIS.

*15 FEBRUARII 1882.*

ETSI Nos, pro auctoritate atque amplitudine Apostolici muneris, et universam christianam rempublicam et singulas eius partes maxima, qua possumus, vigilantia et caritate complectimur: nunc tamen singulari quadam ratione curas cogitationesque Nostras ad se Italia convertit. — Quibus in cogitationibus et curis altius quiddam rebus humanis diviniusque suspicimus: anxii enim et solliciti sumus de salute animarum sempiterna; in qua tanto magis fixa et locata esse omnia studia Nostra oportet, quanto eam maioribus periculis videmus oppositam. — Cuius generis pericula, si magna unquam in Italia fuerunt, maxima profecto sunt hoc tempore, cum ipse rerum publicarum status magnopere sit incolumitati religionis calamitosus. Eamque ob caussam Nos movemur vehementius, quod singulares coniunctionis necessitudines Nobis cum Italia intercedunt, in qua Deus domicilium Vicarii sui, magisterium veritatis, et catholicae unitatis centrum collocavit. — Alias quidem multitudinem monuimus, ut sibi caveret, et singuli intelligerent, quae sua sint in tantis offensionum caussis officia. Nihilominus, ingravescentibus malis volumus in ea Vos, Venerabiles Fratres, mentem diligentius intendere, et, communium rerum inclinatione perspecta, munire vigilantius populorum animos, omnibusque praesidiis firmare, ne thesaurus omnium pretiosissimus, fides catholica diripiatur.

*Pericula animabus imminentia.*

Perniciosissima hominum secta, cuius auctores et principes non celant neque dissimulant quid velint, in Italia iamdiu consedit: denunciatisque IESU CHRISTO inimicitiis, despoliare penitus institutis christianis multitudinem contendit. — Quantum audendo processerit, nihil attinet dicere hoc loco, praesertim cum extent Vobis, Venerabiles Fratres, ante

*Ruinae ab inimicis Ecclesiae in Italia iam completae.*

oculos vel fidei vel moribus illatae iam labes et ruinae. — Apud italas gentes, quae in avita religione constanter et fideliter omni tempore permanserunt, imminuta nunc passim Ecclesiae libertas est, atque acrius in dies hoc agitur, ut ex omnibus publice institutis forma illa et veluti character christianus deleatur, quo semper fuit Italorum non sine caussa nobilitatum genus. Sublata sodalium religiosorum collegia: proscripta Ecclesiae bona: rata citra ritus catholicos connubia; in institutione iuventutis nullae potestati ecclesiasticae partes relictae. — Neque finis est nec modus ullus acerbi et luctuosi belli cum Apostolica Sede suscepti, cuius caussa incredibiliter Ecclesia laborat, Romanusque Pontifex in summas angustias compulsus est. Is enim civili principatu spoliatus necesse fuit ut in alienam ditionem potestatemque concederet. — Urbs autem Roma, augustissima urbium christianarum, exposita est et patet quibuslibet Ecclesiae hostibus, profanaque rerum novitate polluitur, scholis et templis ritu haeretico passim dedicatis. Quin immo exceptura fertur hoc ipso anno legatos et capita inimicissimae rerum catholicarum sectae, huc ad singulare quoddam concilium coetumque profecturos. Quibus quidem huius deligendi loci satis apparet quae caussa fuerit; videlicet conceptum adversus Ecclesiam odium explere procaci iniuria volunt, Romanoque Pontificatu in ipsa sede sua lacessendo, funestas belli faces proxime admovere. — Dubitandum profecto non est, quin impios hominum conatus Ecclesia aliquando victrix effugiat; certum tamen exploratumque est, his artibus eos hoc assequi velle, una cum Capite totum Ecclesiae corpus afficere et religionem, si fieri possit, extinguere.

Quod sane velle eos, qui se italici nominis amantissimos profitentur, incredibile videretur: nam italicum nomen, intereunte fide catholica, maximarum utilitatum fonte prohiberi necesse esset. Etenim si religio christiana cunctis nationibus optima salutis praesidia peperit, sanctitatem iurium, tutelam iustitiae; si caecas ac temerarias hominum cupiditates virtute sua ubique edomuit, comes et adiutrix omnium rerum quae honestae sunt, quae laudabiles, quae magnae: si varios civitatum ordines, et diversa reipublicae

*Sicut innumera bona Italis ex catholica religione obvenerunt,*

membra ad perfectam stabilemque concordiam ubique revocavit, horum profecto beneficiorum copiam uberius quam ceteris Italorum generi impertivit. — Est quidem nimis multorum haec labes et macula, ut obesse et nocere saluti aut incremento reipublicae Ecclesiam dicant Romanumque Pontificatum prosperitati et magnitudini italici nominis inimicum putent. Sed istorum querelas absurdasque criminationes aperte superiorum temporum omnia monumenta convincunt. Revera enim Ecclesiae summisque Pontificibus Italia maxime debet, quod gloriam suam apud omnes gentes propagavit, quod iteratis barbarorum impressionibus non succubuit, et immanes Turcarum impetus invicta repulit, et multis in rebus aequam legitimamque libertatem diu conservavit,et pluribus iisdemque immortalibus optimarum artium monumentis civitates suas locupletavit. — Neque postrema Romanorum Pontificum haec laus est, quod provincias italicas ingenio moribusque diversas communi fide et religione unas semper conservaverint, et a discordiis omnium funestissimis liberaverint. Atque in trepidis calamitosisque temporibus non semel erant publicae res ad extremos casus praecipitaturae, nisi Pontificatus Romanus ad salutem valuisset. — Neque futurum est, ut minus valeat in posterum, modo ne voluntas hominum obsistens virtutem eius intercipiat, neu libertatem impediat. Etenim vis illa benefica, quae in institutis catholicis inest, quoniam ab ipsa eorum natura sponte proficiscitur, immutabilis est et perpetua. Quemadmodum pro salute animarum omnia religio catholica et locorum et temporum intervalla complectitur, ita etiam in rebus civilibus ubique et semper sese ad hominum utilitates porrigit atque explicat.

*ita immensa mala ex sectarum doctrinis sequerentur.*

Tot vero ereptis tantisque bonis summa mala succedunt : quoniam qui sapientiam christianam oderunt,iidem,quidquid contra fieri a se dicant, ad perniciem devocant civitatem. Istorum enim doctrinis nihil est magis idoneum ad inflammandos violenter animos, concitandasque perniciosissimas cupiditates. Sane in iis quae cognitione scientiaque continentur, coeleste fidei lumen repudiant : quo extincto, mens humana in errores saepissime rapitur, nec vera cernit, atque

illuc facile evadit, ut in humilem foedumque *materialismum* abiiciatur. Spernunt in genere morum aeternam immutabilemque rationem, et supremum legum latorem ac vindicem Deum despiciunt; quibus sublatis fundamentis, consequens est, ut, nulla satis idonea legum sanctione, omnis vivendi norma ab hominum voluntate arbitrioque sumatur. In civitate vero ex immodica libertate, quam praedicant et volunt, licentia gignitur: licentiam sequitur perturbatio ordinis, quae est maxima et funestissima pestis reipublicae. Revera nulla fuit aut deformior species, aut miserior conditio civitatis, quam illa in qua tales et doctrinae et homines valere aliquandiu potuerunt. Ac nisi recentia exempla suppeterent, id fidem excedere videretur, potuisse homines scelere audaciaque furentes in tanta excidia ruere, et retento ad ludibrium libertatis nomine, in caede et incendiis debacchari. — Quod si tantos nondum sensit Italia terrores, primo quidem singulari Dei beneficio tribuere, deinde id quoque caussae fuisse statuere debemus, quod, cum itali homines numero longe maximo in religione catholica studiose perseverarint, idcirco flagitiosarum opinionum, quas diximus, dominari libido non potuit. Verum si haec, quae religio praebet, munimenta perrumpantur, continuo Italia in eos casus ipsos delaberetur, qui maximas et florentissimas nationes aliquando perculerunt. Etenim necesse est, ut similitudinem doctrinarum exitus similes consequantur: et quoniam in eodem vitio sunt semina, fieri non potest, quin fructus plane eosdem effundant. Immo vero maiores fortasse poenas violatae religionis gens italica lueret, quia perfidiam et impietatem culpa ingrati animi cumularet. Non enim casu aliquo, aut levi hominum voluntate datum est Italiae, ut partae per IESUM CHRISTUM salutis vel a principio esset particeps, et beati Petri Sedem in sinu gremioque suo collocatam possideret, et longo aetatum cursu iis, quae a religione catholica sponte fluunt, maximis et divinis beneficiis perfrueretur. Quapropter metuendum sibi magnopere esset quod ingratis populis Paulus Apostolus minaciter nunciavit, « *Terra saepe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem*

*15 FEBRUARII 1882.*

*a Deo: proferens autem spinas, et tribulos, reproba est, et maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem* (1). »

Prohibeat Deus hanc tantam formidinem; atque omnes pericula serio considerent, quae partim impendent ab iis, qui non communi utilitati, sed *Sectarum* commodis servientes, capitales cum Ecclesia inimicitias exercent. Qui si saperent, si vera caritate patriae tenerentur, certe nec de Ecclesia diffiderent, nec de nativa eius libertate detrahere, iniuriosis suspicionibus adducti, conarentur; immo vero consilia ab ea oppugnanda ad tuendam adiuvandamque verterent; idque in primis providerent, ut Pontifex Romanus sua iura reciperet. — Etenim suscepta cum Apostolica Sede contentio quanto plus Ecclesiae nocet, tanto minus est incolumitati rerum italicarum profutura. De qua re alio loco mentem Nostram declaravimus: « Dicite, publicas « Italiae res neque prosperitate florere, neque diuturna « tranquillitate posse consistere, nisi Romanae Sedis digni- « tati et summi Pontificis libertati, prout omnia iura postu- « lant, fuerit consultum. »

*Periculis obsistendum.*

Quapropter, cum nihil magis velimus, quam ut res christiana salva sit, cumque praesenti italicarum gentium discrimine commoveamur, Vos vehementius quam unquam alias, Venerabiles Fratres, hortamur, ut studium caritatemque Vestram ad comparanda tot malorum remedia Nobiscum conferatis. — Et primum quidem edocete summa cum cura populos, quanti sit fidem catholicam possidere, et quam magna eiusdem tuendae necessitas. — Quoniam vero hostes et oppugnatores catholici nominis, quo facilius male cautos decipiant, multis in rebus aliud simulant, valde interest occulta eorum consilia patefieri in lucemque proferri, ut scilicet, comperto quid reapse velint et qua caussa contendant, excitetur in catholicis hominibus ardor animi, et Ecclesiam, Romanum Pontificem, hoc est salutem suam viriliter aperteque defendant.

*Fidei pretium inculcandum, simulque pravorum consilia patefacienda.*

Multorum ad hanc diem virtus, quae plurimum potuisset, visa est aliquantum in agendo lenta et in labore remissa, sive quod insueti rerum essent animi, sive quod periculorum

*Gnaviter operandum.*

1. Hebr. VI, 7, 8.

non satis fuerit magnitudo perspecta. Nunc vero, cognitis experiendo temporibus, nihil esset perniciosius, quam perferre oscitanter longinquam improborum malitiam, expeditumque ipsis locum relinquere rei christianae ad libidinem suam diutius vexandae. Ii quidem prudentiores quam filii lucis multa iam ausi : inferiores numero, calliditate et opibus validiores, haud longo tempore magna apud nos malorum incendia excitaverunt. Intelligant igitur quicumque amant catholicum nomen, tempus iam esse conari aliquid, et nullo pacto languori desidiaeque se dedere; cum nemo celerius opprimatur, quam qui vecordi securitate quiescunt. Videant quam nihil reformidarit veterum illorum nobilis et operosa virtus : quorum et laboribus et sanguine fides catholica adolevit. Vos autem, Venerabiles Fratres, excitate cessantes, cunctantes impellite : exemplo et auctoritate Vestra universos confirmate ad exercenda constanter et fortiter officia, quibus actio vitae christianae continetur. — Ad hanc alendam augendamque experrectam virtutem, curare ac providere opus est, ut numero, consensu, efficiendis rebus, floreant lateque amplificentur *societates* quibus maxime propositum sit fidei christianae virtutumque ceterarum retinere et incitare studia. Tales sunt consociationes iuvenum, opificum ; quaeque constitutae sunt aut coetibus catholicorum hominum in tempora certa agendis, aut inopiae miserorum levandae, et tuendae dierum festorum religioni, et pueris ex infima plebe erudiendis ; aliaeque ex eodem genere complures. — Et cum rei christianae quam maxime intersit Pontificem Romanum in gubernanda Ecclesia et esse et videri ab omni periculo, molestia, difficultate liberum, quantum lege possunt, agendo, rogando, contendendo, tantum Pontificis caussa, enitantur et efficiant ; neque ante quiescant, quam sit Nobis, reapse non specie, libertas restituta, quacum non modo Ecclesiae bonum, sed et secundus rerum italicarum cursus, et christianarum gentium tranquillitas necessario quodam vinculo coniungitur.

*15 FEBRUARII 1882.*

*Fovendae catholicae societates.*

*Romani Pontificis iura vindicanda,*

Deinde vero permagni refert publicari et longe lateque fluere salubriter scriptis. — Qui capitali odio ab Ecclesia dissident, scriptis editis decertare, iisque tamquam aptissi-

*Vulganda scripta in defensionem rei catholicae.*

mis ad nocendum armis uti consueverunt. Hinc teterrima librorum colluvies, hinc turbulentae et iniquae ephemerides, quarum vesanos impetus nec leges frenant, nec verecundia continet! Quidquid est proximis his annis per seditionem et turbas gestum, iure gestum esse defendunt; dissimulant aut adulterant verum: Ecclesiam et Pontificem maximum quotidianis maledictis falsisque criminationibus hostiliter petunt: nec ullae sunt tam absurdae pestiferaeque opiniones, quas non disseminare passim aggrediantur. Huius igitur tanti mali, quod serpit quotidie latius, sedulo prohibenda vis est: nimirum oportet severe et graviter adducere multitudinem, ut intento animo sibi caveat, et prudentem in legendo delectum religiosissime servare velit. Praeterea scripta scriptis opponenda, ut ars quae potest plurimum ad perniciem eadem ad hominum salutem et beneficium transferatur atque inde remedia suppetant, unde mala venena quaeruntur. — Quam ad rem optabile est, ut saltem in singulis provinciis ratio aliqua instituatur demonstrandi publice, quae et quanta sint singulorum christianorum in Ecclesiam officia, vulgatis ad id scriptionibus crebris, et quoad fieri potest, quotidianis. In primis autem sint in conspectu posita religionis catholicae in omnes gentes praeclara merita: explicetur oratione virtus eius privatis publicisque rebus maxime prospera et salutaris: statuatur quanti sit, celeriter Ecclesiam ad illum dignitatis locum in civitate revocari, quem et divina eius magnitudo, et publica gentium utilitas vehementer postulat. — Harum rerum caussa necesse est, ut qui animum ad scribendum appulerint, plura teneant: videlicet idem omnes in scribendo spectent: quod maxime expedit, id constituant iudicio certo et efficiant: nihil ex iis rebus praetermittant, quarum utilis atque expetenda cognitio videatur: gravitate et moderatione dicendi retenta, errores et vitia reprehendant, sic tamen ut careat acerbitate reprehensio, personisque parcatur: deinde orationem adhibeant planam atque evidentem, quam facile queat multitudo percipere. — Reliqui autem omnes, qui vere et ex animo cupiunt, florere res et sacras et civiles ingenio hominum litterisque defensas, hos litterarum ingeniique fructus tueri

liberalitate sua studeant ; et ut quisque ditior est, ita potissimum re fortunaque sustineat. Iis enim qui scribendo dant operam, omnino afferenda sunt huius generis adiumenta : sine quibus aut nullos ipsorum industria habitura est exitus, aut incertos et perexiguos. — In quibus rebus omnibus si quid nostris hominibus incommodi impendet, si qua est dimicatio subeunda, audeant tamen sese obvios ferre, cum homini christiano nulla sit adeundi vel incommoda vel labores caussa iustior, quam ne lacerari ab improbis religionem patiatur. Neque enim hac filios lege Ecclesia aut genuit aut educavit, ut cum tempus et necessitas cogeret, nullam ab iis opem expectaret, sed ut, singuli eorum otio privatisque utilitatibus salutem animarum et incolumitatem rei christianae anteponerent. *15 FEBRUARII 1882.*

*Idonei Dei ministri instituantur,* Praecipue autem curae cogitationesque Vestrae, Venerabiles Fratres, in eo evigilare debent, ut ministros Dei idoneos rite instituatis. Quod si Episcoporum est plurimum operae et studii in fingenda probe omni iuventute ponere, longe plus ipsos elaborare in clericis verum est, qui in Ecclesiae spem adolescunt, et participes adiutoresque munerum sanctissimorum sunt aliquando futuri.—Caussae profecto graves et omnium aetatum communes decora virtutum multa et magna in sacerdotibus postulant : verumtamen nostra haec aetas plura quoque et maiora admodum flagitat. Revera fidei catholicae defensio, in qua laborare maxime sacerdotum debet industria, et quae est tantopere his temporibus necessaria, doctrinam desiderat non vulgarem neque mediocrem, sed exquisitam et variam ; quae non modo sacras, sed etiam philosophicas disciplinas complectatur, et physicorum sit atque historicorum tractatione locuples. Eripiendus est enim error hominum multiplex, singula christianae sapientiae fundamenta convellentium : luctandumque persaepe cum adversariis apparatissimis, in disputando pertinacibus, qui subsidia sibi ex omni scientiarum genere astute conquirunt. — Similiter cum hodie magna sit et ad plures diffusa corruptela morum, singularem prorsus oportet in sacerdotibus esse virtutis constantiaeque praestantiam. Fugere quippe consuetudinem hominum *scientia* *et virtute praestantes.*

minime possunt : immo applicare se proprius ad multitudinem ipsis officii sui muneribus iubentur : idque in mediis civitatibus, ubi nulla iam fere libido est, quin permissam habeat et solutam licentiam. Ex quo intelligitur, virtutem in Clero tantum habere virium hoc tempore debere, ut possit se ipsa tueri firmiter, et omnia cum blandimenta cupiditatum vincere, tum exemplorum pericula sospes superare. — Praeterea conditas in Ecclesiae perniciem leges consecuta passim clericorum paucitas est : ita plane ut eos, qui in sacros ordines Dei munere leguntur, duplicare operam suam necesse sit, et excellenti sedulitate, studio, devotione exiguam copiam compensare. Quod quidem utiliter facere non possunt, nisi animum gerant tenacem propositi, abstinentem, incorruptum, caritate flagrantem, in laboribus pro salute hominum sempiterna suscipiendis promptum semper atque alacrem. Atqui ad huiusmodi munera est adhibenda praeparatio diuturna et diligens : non enim tantis rebus facile et celeriter assuescitur. Atque illi sane in sacerdotio integre sancteque versabuntur, qui sese in hoc genere ab adolescentia excoluerint, et tantum disciplina profecerint, ut ad eas virtutes, quae commemoratae sunt, non tam instituti quam nati videantur.

*Seminaria ad omnem utilem scientiam ordinanda.*

His de caussis, Venerabiles Fratres, iure Seminaria clericorum sibi vindicant plurimas et maximas animi, consilii, vigilantiae Vestrae partes. Quod ad virtutem et mores, minime fugit sapientiam Vestram, quibus abundare praeceptis et institutis adolescentem clericorum aetatem oporteat. — In gravioribus autem disciplinis, Litterae Nostrae Encyclicae — *Aeterni Patris* — viam rationemque studiorum optimam indicaverunt. Sed quoniam in tanto ingeniorum cursu plura sunt sapienter et utiliter inventa, quae minus decet non habere perspecta, praesertim cum homines impii quidquid incrementi affert dies in hoc genere, tamquam nova tela in veritates divinitus traditas intorquere consueverint, date operam, Venerabiles Fratres, quantum potestis, ut alumna sacrorum iuventus non modo sit ab investigatione naturae instructior, sed etiam iis artibus apprime erudita, quae cum sacrarum Litterarum vel inter-

pretatione vel auctoritate cognationem habeant. — Illud certe non ignoramus, ad elegantiam studiorum optimorum multas res esse necessarias: quarum tamen sacris Seminariis italicis adimunt, aut minuunt importunae leges facultatem. — Sed hac etiam in re tempus postulat, ut largitate et munificentia bene de religione catholica promereri nostrates studeant. Voluntas maiorum pia et benefica egregie eiusmodi necessitatibus providerat ; atque illud Ecclesia assequi prudentia et parsimonia potuerat, ut tutelam et conservationem rerum sacrarum nequaquam haberet necesse caritati filiorum suorum commendare. Sed patrimonium eius legitimum aeque ac sacrosanctum, cui superiorum aetatum iniuria pepercerat, nostrorum temporum procella dissipavit : quare caussa renascitur, cur qui diligunt catholicum nomen, animum inducant maiorum liberalitatem renovare. Profecto Gallorum, Belgarum, aliorumque in caussa haud multum dissimili illustria sunt munificentiae documenta, non modo aequalium, sed etiam posterorum admiratione dignissima. Neque dubitamus, quin italica gens communium rerum consideratione permota, id pro viribus actura sit, ut et se patribus suis dignam impertiat, et ex fraternis exemplis capiat quod imitetur.

*15 FEBRUARII 1882.*

In his rebus, quas diximus, profecto haud minimam habemus spem solatii incolumitatisque repositam.—Verum cum in omnibus consiliis, tum maxime in iis quae salutis publicae caussa suscipiuntur, omnino ad humana praesidia accedere necesse est opem omnipotentis Dei, cuius in potestate sunt non minus singulorum hominum voluntates quam cursus et fortuna imperiorum. Quapropter invocandus summis precibus Deus, orandusque, ut tot eius beneficiis ornatam atque auctam respiciat Italiam ; in eaque fidem catholicam, quod est maximum bonum, cunctis periculorum suspicionibus depulsis, perpetuo tueatur. Hanc ipsam ob caussam imploranda suppliciter est Immaculata Virgo Maria, magna Dei parens fautrix et adiutrix consiliorum optimorum, una cum sanctissimo Sponso eius Iosepho, custode et patrono gentium christianarum. Ac pari studio obsecrare opus est Petrum et Paulum, magnos Apostolos,

ut in italicis gentibus fructum laborum suorum incolumem custodiant, nomenque catholicum, quod maioribus nostris suo ipsi sanguine pepererunt, apud seros posteros sanctum inviolatumque conservent.

Horum omnium coelesti patrocinio freti, auspicem divinorum, et praecipuae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam benedictionem Vobis universis, Venerabiles Fratres, et populis fidei Vestrae commissis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XV februarii anno MDCCCLXXXII, Pontificatus Nostri anno quarto.

LEO PP. XIII.

# EPISTOLA

## Ad Episcopos Siciliae

## DE PROBRIS ECCLESIAE PANORMI ILLATIS.

*22 Aprilis 1882.*

SICUT multa audacter et insidiose ii susceperunt, qui de pernicie catholici nominis iamdiu cogitant : ita nominatim videntur decrevisse, vim quamdam popularis invidiae in Pontifices maximos excitare. — Quod quidem ipsorum consilium quotidie magis illustratur et erumpit. Omnem enim occasionem vituperandorum Pontificum datam avide arripiunt, non datam studiose captant : incorruptis rerum gestarum monumentis posthabitis, fictos sermones dissipant : falsa crimina, tamquam venenata tela iaciunt, tanto effraenatiore ad audendum licentia, quanto est impunitas maior. In qua male dicendi consuetudine aliud quippiam propositi inest, praeter contumeliam ; videlicet huc plane spectant homines improbi, ut e persona Pontificum Romanorum ad ipsum Pontificatum , divinitus institutum contumelia perveniat, adductisque in contemptionem summis Ecclesiae Principibus,Ecclesia ipsa,si fieri possit,opinione hominum iudicioque damnetur. — Harum machinationum triste ad recordationem documentum extremo mense martio Vos, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, Panormi vidistis. Nec tacita esse potuit indignatio vestra : significationem eius luculentam et nobilem, qualem ab Episcopis expectari oportebat, ad Nos per litteras,officii plenas,deferendam curavistis.Profecto illae iniuriae praeter modum graves fuere, ut qui ex constituto Panormum convenerant, coniiciendis certatim probris in Pontifices Romanos visi sint convenisse. Ne ulla quidem verecundia religionis fuit, quam Siculi homines ab avis et maioribus sancte inviolateque conservant, quaeque est atrociter dictis lacessita, in quibus ipsam agrestem immanitatem nemo probus ferre aequo animo potuit. Quantus harum rerum inustus animo Nostro sit dolor, coniecturam ex dolore vestro singuli facite. Nihil enim tam lamentabile est, quam publice licere Ecclesiae maiestatem sanctitatemque nefarie

*Multiplices contra Ecclesiam machinationes :*

*harum triste documentum Panormi exhibitum,*

*ubi coniecta probra adversus Pontifices Romanos.*

contemnere ; nihil tam miserum, quam summorum Pontificum memoriam ab italis hominibus indigne violari.

Ea quae Pontifices Romani pro salute Italiae gesserunt, orbis terrae testimonio iudicioque comprobantur, ita ut nihil sit, quod nomini Decessorum Nostrorum metuamus ab aequis et prudentibus viris. Verumtamen Nos in criminationibus, de quibus loquimur, valde commovit primum rei indignitas per se : deinde multitudinis minus eruditae periculum, quae facilius decipi et in errorem impelli potest.

*Pontificum Romanorum in rebus politicis legitima auctoritas,*

Et sane magnus futurus est error, si in re iudicanda sex ante saeculis gesta non ab his temporibus moribusque nostris cogitatio avocetur. Respicere quippe opus est ad instituta et leges eius temporis, maxime vero ius gentium, quo tunc viveretur, repetere. Exploratum est, quaecumque demum illius iuris origo et indoles extiterit, temporibus illis plurimum in rebus etiam civilibus auctoritatem Romanorum Pontificum valuisse, idque non modo non repugnantibus, sed consentientibus libentibusque principibus et populis. Cumque optabile videretur Vicarii IESU CHRISTI patrocinium, non raro usu veniebat, praesertim in Italia, ut ad eum velut ad parentem publicum confugerent civitates, eidemque sese in fidem sponte sua traderent et commendarent. Domina animorum religione, Apostolica Sedes perinde habebatur ac propugnaculum iustitiae, et infirmiorum tutela adversus iniurias potentiorum. Et hoc quidem cum magna utilitate communi : hac enim ratione factum est, ut, Pontificibus auctoribus, diremptae saepe sint controversiae, sedati tumultus, sublatae discordiae, bella composita. — In hoc tamen magisterio populorum ac pene dictatura, nemo Romanos Pontifices iure coarguet imperii sui vel opes augere, vel fines proferre voluisse. Omnem potestatem suam illuc semper converterunt ut civitatibus prodessent : nec semel ipsorum opera et auspiciis Italia impetravit, ut vel externorum hostium propulsarentur incursiones, vel domesticorum adversariorum turbulentia ambitio frangeretur. Quam ad rem sapienter et opportune, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, commemorati a Vobis sunt Gregorius VII, Alexander III, Innocentius III, Gregorius IX, Innocentius IV Decessores

*et rectus eius usus*

Nostri, qui exterarum gentium dominationem, rebus italicis saepius imminentem, prudentia et fortitudine summa prohibuerunt. *22 APRILIS 1882.*

Quod ad Siciliam vestram pertinet, fidei et pietati eius in hanc Apostolicam Sedem paterna benevolentia Pontificum mutue cumulateque respondit. Revera ipsorum consiliis vigilantiaeque non mediocri ex parte Siculi debent quod potuerint Saracenam servitutem effugere. Gratamque etiam et aequam libertatem ab Innocentio IV et Alexandro IV gens Sicula tunc impetravit cum, post Conradi imperatoris obitum, summam imperii penes municipium esse placuit. Post autem si Clemens IV Carolum Andegavensem solemni ritu Siciliae regem appellavit, cum Pontifex reprehendatur nihil est. Fecit ille iure suo, fecit quod e republica Siculorum magis esse iudicavit, delatis imperii insignibus viro nobili et potenti, qui civicas res ordinare et exterorum ambitioni resistere posse videbatur : de quo viro vel ipsa maximarum virtutum domestica exempla sperare iubebant, fore ut iuste et sapienter imperaret. Nec caussa est, quamobrem vel Urbano IV vel Clementi IV vitio detur, quod homo natione exterus regnum Siculorum capessivit. Etenim præterquam quod exemplis huius generis, nec antea carebat, nec postea caruit historia, Siculi ipsi in potestatem externi principis illo eodem anno volentes concesserunt.

*Beneficia in Siculos ;*

*caussa Caroli Andegavensis nihil habet propter quod culpandi sint Pontifices.*

Simul ac vero se Carolus inflexit in dominatum iniustiorem, maxime ministrorum vitio praecipitata in perniciosam partem republica, desiderata certe non est Romanorum Pontificum in admonendo caritas, in corripiendo severitas. Constat inter omnes, quot quantasque curas Clemens IV et Nicolaus III adhibuerint, ut hominem ad aequitatem iustitiamque revocarent. Quorum providentia pervicisset fortasse obstinationem viri principis, nisi viam rebus novis cruenta multitudinis ira subito patefecisset. Post inhumanam illam caedem, cuius, ubi furor constitisset, ipsos puduit auctores, conscientia officii impulit Martinum IV, ut Siculos itemque Petrum Aragonium aliquanto severius pro merito ipsorum adhiberet. Nihilominus tamen eam severitatem et ipse Martinus et Honorius IV, Nicolaus IV, Bonifacius VIII

lenitate et misericordia mitigarunt; iidemque non antea quiescere visi sunt, quam, omnibus iis controversiis per litteras legationesque compositis, Siculorum saluti et legitimae libertati, quantum fieri poterat, consuluerunt. Quibus ex rebus manifestum, quod Vos, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, verissime dixistis, fautores iniusti dominatus vel popularis invidiae concitatores, appellari Romanos Pontifices, nisi per summam iniuriam, non potuisse. In quo quidem Decessores Nostri iustioribus iudicibus usi sunt iis ipsis hominibus Siculis, qui, recenti adhuc caede, Sedem Apostolicam fidentibus animis implorandam censuerunt.

Haec commemorare voluimus, ut de tot tantisque iniuriis Ecclesiae et Pontificatui Romano impositis querelas Nostras publice testaremur: eodemque tempore ut vos intelligeretis, gratas admodum accidisse Nobis communes litteras vestras, quibus easdem iniurias summa voluntatum concordia Nobiscum pariter deploratis.

Apparent in iis litteris episcopalis vestigia virtutis, cuius gratia forsan ignoscentior posteritas erit eorum temeritati, qui nihil dubitarunt Romanum Pontificatum, hoc est nobilissimum et maximum Italiae decus, incesto ore lacerare.

Ceterum ex hoc ipso magis ac magis perspicitis, quod superiore mense februario monuimus, quanta vigilantia providere oporteat ut fides catholica in tanta iniquitate temporum apud Italos conservetur. Pergite itaque, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, fortiter pro iuribus Ecclesiae propugnare, mendacia improborum convincere, fraudes detegere, Siculosque universos in fide et amore retinere huius Apostolicae Sedis, unde iis, beneficio Apostolorum, christianae sapientiae lumen affulsit.

Divinorum munerum auspicem et praecipuae benevolentiae Nostrae testem Vobis, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, et populis curae fideique vestrae concreditis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII aprilis MDCCCLXXXII Pontificatus Nostri anno quinto.

LEO PP. XIII.

# LITTERAE APOSTOLICAE

## DE ORDINE S. BASILII M. RUTHENAE NATIONIS IN GALLICIA REFORMANDO.

SINGULARE praesidium et decus semper Ecclesia catholica sibi sensit accedere eorum hominum opera, qui christianam sanctitatis officiique perfectionem expetentes, humanis rebus generosa quadam alacritate dimissis, sese IESU CHRISTO dicavissent. Qui etsi principio quidem semota a civitatibus loca liberius Deo vacaturi incolerent, rationemque aetatis degendae clericalium munerum expertem mallent, postea tamen, proximorum caritate et quandoque Episcoporum etiam auctoritate compulsi, in urbes consedere et sacerdotalium munerum officia suscipere non recusarunt. — Mirifice inter hos vel a primis Ecclesiae saeculis effulsit magnus ille Basilius Caesareae in Cappadocia Episcopus, theologus idemque orator cum paucis comparandus, qui non modo ad omnem virtutis laudem ipse contendit, sed ad imitationem sui vocavit plurimos : quos sapientissimis praeceptis institutos ad communem religiosae vitae disciplinam in coenobia congregavit. Ii vero poenis voluntariis et labore assuefacti in divinas laudes sacrarumque doctrinarum studia dispertiebant utiliter tempora ; atque his artibus cum alia multa assecuti fuerant, tum illud praecipue ut rem christianam valerent et virtute sua illustrare et, ubi opus esset, data opera defendere. Quamobrem quo tempore praeclarus ille virorum religiosorum Ordo Photiana clade interiit, fons utilitatum non exiguus una secum exaruit. Verum ubi primum, receptis denuo in Ecclesiam catholicam Ruthenis, ille revixit, et in dignitatem pristinam revocatus est adnitente sancto Iosaphato Archiepiscopo Polocensi, martyre invicto, eodemque eius Ordinis alumno, tunc Rutheni revirescentis sodalitii celeriter sensere operam. Eius enim sodalibus id maxime erat propositum, conservare Ruthenorum cum Ecclesia Romana coniunctionem, plebem erudire, in iuventute

*12 MAII 1882.*

*Ordinis S. Basilii praeconium.*

*Eius singularia apud Ruthenos merita.*

instituenda elaborare, parochialia munera gerere, cunctis demum officiis, quae ad excolendos animos pertinent, perfungi, praesertim si Cleri saecularis aut numerus aut industria temporibus impar extitisset. Quibus illi de caussis tantum sibi apud omnes benevolentiae conciliarant, tantum opinionis et gratiae, ut nonnisi ex Basilianis legerentur, qui vel Episcopi vel Archimandritae fierent (1). In Zamoscena Synodo Ruthenorum provinciali, cuius Apostolica Sedes decreta confirmavit, cautum fuerat, ut nemo esse Episcopus posset, quin institutum Basilianum professus esset, nemo autem profiteri, quin intra monasterii septa annum *probationis regularis* et sex hebdomadas ad leges et consuetudines sancti Basilii exegisset (2). Itaque non solum Episcopi Ruthenorum, sed etiam Pontifices Romani, Decessores Nostri, sodalitatem Basilianam magno in honore habuerunt, meritisque laudibus prosecuti et praecipua cura complexi sunt: eam quippe probe noverant, Ecclesiae catholicae maxime apud Ruthenos et antea plurimum profuisse et in posterum non minus profuturam. De Clemente VIII (3), et Gregorio XIII (4), satis constat, quantum in ornandis Basilianis operae studiique collocarint: quos ipse Benedictus XIV (5), et recentiore memoria Pius VII (6), singularibus verbis commendarunt. His vero luculentum postremo tempore accessit testimonium f. r. Pii IX (7), iis consignatum litteris Apostolicis, in quibus B. Iosaphato sanctorum coelitum solemnes honores decernebantur.

*Ordinem variis caussis debilitatum Pontifex restaurare intendit.*

Sed pristina monasteriorum coniunctione dirempta, Ordinem iampridem florentissimum variis debilitatum casibus, humanae infirmitatis incommoda non parum afflixere: idque maxime per hanc aetatem, cum in tanta opinionum insania et corruptela morum passim doctrina catholica in invidiam vocetur. Abductis praeterea rerum novarum cupiditate ad profana studia animis, multorum caritas defervuit, ac pauci inveniuntur, qui mortalibus abdicatis rebus proxime ingredi

1. Breve Bened. XIV diei 12 aprilis 1753 inc. *Inclytum quidem.* — 2. Syn. Zamosc. Tit. VI de Episcopis. — 3. Clem. VIII, *Altissimi dispositione*, 23 sept. 1603. — 4. Greg. XIII, *Benedictus Deus*, 1 nov. 1579. — 5. Bened. XIV, *Inter plures*, 2 maii 1744. *Inclytum*, 12 apr. 1753. *Super familiam*, 30 mart. 1756. — 6. Pius VII, *Ea sunt Ordinis*, 30 iulii 1822. — 7. Pius IX, *Splendidissimum Orientalis Ecclesiae*, 29 iun. 1867.

IESU CHRISTI vestigiis instituant. — Nobis interim Ordinis Basiliani dolentibus vicem, et qua ratione relevari casum eius oporteret, in animo considerantibus, illud commode accidit, ut de rerum statu non modo Nos Episcopi, sed etiam ex eodem Ordine sodales diligenter docuerint. Immo quod olim in Orientalium Ecclesiarum discrimine Basilius magnus, idem illi sibi faciendum opportune censuerunt, ut opem Apostolicae Sedis imploraverint, propositis etiam inter alia remediis, quae sanctus Iosaphat in caussa simili sapienter et utiliter adhibuit. Perplacuit Nobis communis Episcoporum et Monachorum voluntas : et leniri coeptus est animi nostri dolor Ruthenorum caussa susceptus, de quibus quoties cogitamus, toties angimur : non enim possumus vel illatas fidei catholicae iacturas non deplorare vel praesentia pericula non extimescere. Sed recto sperandum in posterum iudicamus, si Deo adiutore et auspice magnus ille Monachorum Ordo ex integro floruerit, quo vigente, Ruthenorum viguit Ecclesia. Habendus enim ille est annosae instar arboris, cuius radix sancta : unde novorum insitione palmitum fructus expectare licet laetos et uberes : idque eo magis quod cultores expetuntur, quorum alias est in opere eodem industria spectata, scilicet sodales e Societate Iesu, quos ipse sanctus Iosaphat et Velaminus Rutski Metropolita adiutores optimos experti sunt. — Igitur de gravi huiusmodi negotio, quod singulares curas Nostras sibi iure vindicat, mature deliberare iussimus aliquot Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales e sacro Consilio christianae fidei propagandae Orientalibus negotiis praeposito. Quorum cum probaverimus sententias, ad ordinandam sodalitatem Basilianam in monasteriis Galliciae, ea quae sequuntur auctoritate Nostra Apostolica decernimus, religioseque servari praecipimus.

*12 MAII 1882.*

Inclytum Ordinem S. Basilii magni in Ruthenis sic restitui volumus, ut sodales eius ad sacerdotalia munera probe exculti in curanda proximorum salute sempiterna strenue versentur. Atque in hoc genere nihil optamus magis, quam ut studeant ipsum S. Iosaphatum ferme alterum parentem suum imitari et ad excellentem eius caritatem

*Novitiatus constituitur in monasterio Dobromilensi :*

proxime accedere. Huius rei gratia Collegium tirociniorum, seu *Novitiatum*, uti vocant, iure legitimo constitui volumus in Monasterio Dobromilensi intra fines Dioeceseos Premisliensis : cuius monasterii templum et continentes aedes una cum omni re familiari, iuribus, redditibus Collegio tirociniorum seu Novitiatui cedant.

Monachos Ordinis Basiliani in Gallicia futuros tirocinium in Monasterio Dobromilensi ponere rato tempore iubemus : si secus posuerint, professio religiosa irrita infectaque esto.

Quo tutius et firmius fatiscentis Ordinis necessitatibus consulatur, pluresque adolescentes ad profitendum tam salutare vitae institutum excitentur, privilegium eamdem ob caussam a Pio VII Decessore Nostro renovatum vel concessum per Apostolicas Litteras die 30 iulii an. 1822 datas, quarum initium *Ea sunt ordinis*, ita confirmamus, ut etiam Latinos, nondum tamen sacris ordinibus initiatos, cooptari liceat. Iis fas esto ad Ruthenorum ritum sese in omnibus conformare ante solemnem professionem : qua peracta, non tamen antea, ad ritum Ruthenum, vetito ad Latinum regressu, vere et penitus transiisse intelligantur.

Cum susceptum huius Ordinis reformandi negotium multas habeat difficultates, quae consilium auctoritatemque Sedis Apostolicae postulant, idcirco eius regimen Nobis et Romanis Pontificibus successoribus Nostris reservamus, curam agente sacro Consilio christianae fidei propagandae Orientalibus negotiis praeposito, donec aliter ab ipsa Sancta Sede Apostolica decernatur. Eidem Sacro Consilio ius potestatemque tribuimus nominandi, rite perrogata Monachorum sententia, eligendique Protoegumenum seu Praepositum Ordinis in Gallicia Provincia. Hanc itaque sodalitatem Basilianam ab ordinaria Episcoporum et ipsius etiam Metropolitae Ruthenorum auctoritate et iurisdictione omnino eximimus et exemptam esse declaramus : salva tamen potestate, quam Tridentina Synodus Episcopis in hoc genere attribuit etiam uti Apostolicae Sedis Delegatis.

*regendus concreditur sacerdotibus S. I.*

Collegium tirociniorum, quod diximus, veterum exempla sequuti, nominatim S. Iosaphati et Velamini Rutski

Metropolitae Societati IESU instituendum ac regendum tamdiu concredimus, quamdiu ex ipso Ordine Basiliano non extiterint viri, quibus Monasterii Dobromilensis regundi curam Sedes Apostolica deferendam putet. *12 MAII 1882.*

Itaque praecipimus uti quam primum Coenobii Dobromilensis et *Novitiatus* magisterium gubernationemque suscipiant lecti aliquot e Societate IESU sacerdotes; qui tamen non modo quod ad religiosam disciplinam, sed etiam quod ad officii mutationem in potestate ordinaria Antistitum suorum, uti nunc sunt, ita esse pergant. Iisdem sacerdotibus e Societate IESU Protoegumenus tradat, salvo tamen Basilianis iure dominii, monasterium supra dictum, Nobis iam ultro oblatum, una cum omnibus eius bonis ac redditibus: de eaque traditione instrumentum iustum perficiatur. Ea bona eorumque bonorum fructus in tuitionem Coenobii et alumnorum insumendos administrent sacerdotes Societatis IESU, non auctoribus Monachis Basilianis, auctore Sacro-Consilio christiano nomini propagando, cui in annos singulos rationes accepti et expensi, item relationem de statu tirociniorum deque adlectis inter tirocinia ex fide reddant. *Leges noviciatus: quoad edificia,*

Monasterium Dobromilense, quod interim potestate Protoegumeni exsolvimus, accipiat quotquot ex Rutheno vel Latino ritu in Ordinem Basilianum cooptari se velle declaraverint. Nec tamen cooptentur, nisi quos probos et idoneos esse constiterit non solum legitimis de vita moribusque litteris, et utriusque Ordinarii tam originis quam domicilii testimonio, verum etiam semestri probitatis constantisque voluntatis documento, quod intra Monasterii septa ante ediderint, quam vestem initialem sumpserint. *alumnorum cooptationem,*

Dobromilenses alumni seu *Novitii* ad omnem pietatem religiosamque perfectionem informentur ex instituto Ordinis Basiliani disciplinaque per Sanctum Iosaphatum ordinata. Cumque omnino velimus Ruthenorum ritus probatasque consuetudines inviolate servari, curent et provideant rectores Monasterii, ut, aliquo adhibito ex sacerdotibus Ruthenis, in aede sacra continenti divina officia peragantur, et Sacramenta administrentur ritu Rutheno: item ut alumni liturgiam ceremoniasque Ruthenas sedulo ediscant. Iidem alumni *ritus sacros,*

divinas laudes rite persolvere assuescant: abstinentias et ieiunia ad praescripta Sancti Iosaphati servent: ea tamen prudenter temperare Coenobii Praefecto liceat, cui et licere volumus eos, quibus praeest, a praeceptis ecclesiasticis iusta de caussa exsolvere, eidemque ceteras facultates impertimus quas in Antistites Ordinum religiosorum conferre Sedes Apostolica consuevit.

*sacramenta,* Sacramentales alumnorum confessiones, etiam biennio postquam vota simplicia nuncupaverint, excipiat ipsorum magister, etsi forte praefecturam monasterii idem gerat: ita tamen ut illis integrum sit, quandocumque voluerint, ad extraordinarium Confessarium accedere.

*vota simplicia,* Post tirocinium anni unius et sex hebdomadum, vota simplicia alumnos nuncupare fas esto, si modo digni et habiles ad officia Ordinis sui Antistitum iudicio videantur. Quos minus dignos minusve idoneos esse constiterit, eos etiamsi votis obstrictos, quae *devotionalia* appellantur, Praefectus Coenobii iisdem solutos abire iubeat. Qui vota simplicia rite ediderint, eos abire iubere ne liceat citra Sedis Apostolicae auctoritatem, excepto quod evidens necessitas urgeat, quae cunctationem nullam recipiat.

*studia,* Alumni post vota simplicia, Sacerdotibus Societatis Iesu studiorum moderatoribus, ad humaniores litteras instituantur, mox philosophiam et theologiam sub iisdem doctoribus percipiant, atque in iis studiis ad disciplinam D. Thomae Aquinatis exerceantur.

*vota solemnia.* Iisdem, exacto a nuncupatione votorum simplicium triennio, Ordinem Basilianum solemni ritu profiteri liceat, servatis legibus a f.r. Pio IX Decessore Nostro editis, imprimis Constitutione *Ad universalis Ecclesiae* edita die VII februarii MDCCCLXI.

*Speciales regulae condendae.* Haec quidem decernenda iudicavimus. Interim diligens dabitur opera perscribendis vivendi legibus seu Constitutionibus, iisque ad ipsas illas proprius accedentibus, quas Basilius et Iosaphat tam praeclare condiderunt. Eas vero Nostra et huius Apostolicae Sedis auctoritate recognoscendas et approbandas esse volumus. Et hac demum ratione futurum confidimus, ut Basiliana Ruthenorum in Gallicia

societas in spem gloriae veteris, opitulante Deo, reviviscat, atque ad omnem virtutem instructa, id facile assequatur, quod eius tum conditor Basilius, tum restitutor Iosaphatus animo proposuerant: nimirum catholicum nomen in alteris conservare, ad alteros propagare, avitam eius gentis cum Ecclesia Romana coniunctionem tueri, Episcopis Ruthenorum catholicis adiutores doctos, industrios, bene animatos suppeditare.

*12 MAII 1882.*

Verum adlaborantes pro incolumitate Basilianae in Gallicia familiae, non in hac unice curas defigimus, ut non etiam ceteros caritas Nostra complectatur eiusdem alumnos extra Galliciam consistentes. Qui sane pari studio benevolentiaque Nostra digni sunt, maxime ob utilitates Ecclesiae catholicae non modo partas, sed etiam reliquas et speratas. Interea pro certo habemus, eos minime sibi defuturos, ac velle universos omni ope contendere, ut dignitas retineatur Ordinis Basiliani, atque omnium monasteriorum exoptata coniunctio, Dei beneficio, obtineatur. — Venerabiles autem Fratres, Ruthenorum Praesules, de sodalitate Basiliana egregie meritos, libenti animo futuros arbitramur, non quod ipsos in hac parte levandos onere duximus, sed quia, rebus auctoritate Nostra ita constitutis, iure ea bona ex Ordine Basiliano expectari possunt, quae communi omnium desiderio expetebantur.

Prosperos coeptorum exitus impetret a Deo ipsa parens eius Maria Virgo, una cum Michaele Archangelo, coelesti Galliciensium Patrono, et Basilio magno et Iosaphato martyre : quorum omnium gratia faxit Deus, ut plurimi ex omni hominum ordine in animum inducant huius reformationis beneficia experiri.

Haec volumus, mandamus atque indulgemus, decernentes irritum et inane si quid contra praemissa a quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus, quibus omnibus et singulis ad effectum dumtaxat praesentium Apostolica auctoritate derogamus. Volumus autem ut praesentium Litterarum exemplis etiam typis impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et

sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides ubique in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 12 maii 1882 Pontificatus Nostri anno quinto.

LEO PP. XIII.

# LITTERAE APOSTOLICAE

## DE MISSAE SACRIFICIO PRO POPULO AB EPISCOPIS CELEBRANDO.

IV IDUS IUNII 1882.

IN suprema rei christianae procuratione, beato Petro Apostolorum principi eiusque successoribus divinitus data, illud Romanos Pontifices summa vigilantia providere necesse est, ut omnes sacrorum ministri curam animarum gerentes sui muneris officia, ex quibus commune Ecclesiae bonum magnopere pendet, studiose et accurate exerceant. — In iis autem eminet sacrosanctum Missae sacrificium, pro salute populi cui quisque praeest, nominatim faciendum : cuius vim officii Patres Tridentini ex praecepto divino proficisci tradiderunt (1). Quapropter ne quis in ea re delinqueret, Benedictus XIV Decessor Noster, editis Apostolicis Litteris « *Cum semper oblatas* » die XIX augusti an. MDCCXLIV, edixit omnes et singulos, qui in aliqua Parochiali Ecclesia quocumque titulo animarum curam gererent, in singulis Dominicis aliisque diebus festis « non modo sacrificium Missae « celebrare, sed etiam illius fructum medium pro populo sibi « commisso applicare debere : nec illud pro aliis applicare, « aut pro huiusmodi applicatione eleemosynam percipere « posse. » — Quibus quidem in litteris aperta Episcoporum mentio nulla est : nihilominus dubitari non potest, quin Pontifex sapientissimus quod de Parochis tam graviter praecipiebat, idem de maioribus animarum pastoribus intelligi tacite saltem et oblique voluerit. Idque multo verisimilius apparet ex eo, quod proximus eius successor Clemens XIII in hoc eodem genere exposuit et declaravit. Is enim in Litteris Encyclicis « *A quo die* » post. id. septemb. an. MDCCLVIII datis, cum multa de episcopalium munerum perfunctione dixisset, illud etiam adiecit, sacrum pro populo peragere *crebro* Episcopos oportere, de se deque Venerabilibus Fratribus suis in hanc sententiam locutus : « Cum non nostras tantummodo curare

*Inter pastorum officia eminet sacrificii oblatio pro ovibus suae curae commissis.*

1. Sess. XXIV, cap. 1 *de Reform.*

« debeamus infirmitates, sed etiam putare aliorum mala ad « nos pertinere et ea aeque habere ac nostra, vehementius « diutiusque intendenda nobis ad Dominum nostra est « oratio, qua, tamquam Ecclesiae fidelium interpretes, « omnium fidem, spem et caritatem ante oculos Domini « statuentes, quod omnibus in universum quodque cuique « fidelium opus est, a Domino impetremus. Dei autem exo- « randi viam nobis muniet, et quidvis adipiscendi etiam « aperiet augustissimum Eucharistiae sacrificium. Idcirco « vel maximis nostri muneris occupationibus etiam implicati, « sacrosanctum IESU CHRISTI Corpus et Sanguinem non « recusabimus quominus frequenter Deo offeramus, nullum- « que maius putemus nobis datum esse negotium, quam « crebro placationis hostiam pro nostris populique peccatis « Deo Patri immolare. »

*Obligatio offerendi quoad episcopos in quibusdam indeterminata, a Pontifice nunc definitur.*

Haec Decessor ille Noster non minus sapienter quam pie. — Verum quibus Episcopi diebus perlitare pro populo debeant, nihil ille constituit : ex quo factum est, ut inter doctores catholicos atque etiam inter ipsos Episcopos de officio conveniret, de diebus discreparet. Cumque hanc opinionum varietatem Romanae Congregationes Nostrae ad hanc diem minus sustulerint, non eadem ubique extitit disciplina, sed varia in locis variis consuetudo. Nunc vero Episcopi plures, omnem haesitationis caussam sibi penitus eximi cupientes, significarunt avere se et orare, ut de ipsis diebus Sedis Apostolicae auctoritate decernatur, lata lege, cui omnes in reliquum tempus obtemperent. — Igitur cum nihil Nobis tam curae sit, quam publica christianorum utilitas et rerum sacrarum aequabilis in omnibus locis disciplina, simulque velimus Venerabilibus Fratribus Nostris Episcopis, praesertim tam aequa postulantibus, satisfacere, nihil differendum ducimus, quin de ea re pro potestate Nostra statuamus ac iudicemus.

*Obligationis rationes et caussae.*

Generatim vero et universe officium istud episcopale, de quo loquimur, non est difficile cognoscere quam sit sacris litteris consentaneum, et praeteritorum temporum memoria testatum. Quae enim loca caussas rationesque suppeditant, cur generatim quotquot sunt animarum pastores fundere

preces sacrumque facere debeant pro populo quem regunt, ex iisdem locis efficitur, idem plane esse officium Episcoporum : sunt enim Episcopi in munere pastorali principes. Sic a primo Ecclesiae ortu rerum externarum administrationem deponere Apostoli properaverunt, quo sibi commodius *orationi et ministerio verbi* insistere liceret (1). Et Paulus ad Colossenses de se ipse : *Non cessamus*, inquit, *pro vobis orantes et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia et intellectu spiritali* (2). Et ad Philippenses : *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens* (3). Et ad hanc deprecationem, in qua Paulus cum gaudio et gratias agens Deo semper haerebat, non est dubium, quin sacrificium Eucharisticum adhiberet, quod est praestantissimum precationis genus, et cuius ille potissimum caussa pontifices christianos testabatur esse constitutos. *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* (4).

*IV IDUS IUNII 1882.*

*Urgere obligationem diebus dominicis et festis patet ex natura rei.*

Quemadmodum vero ex his locis perspicuum est, omnino Episcopos debere rem divinam pro salute populi saepe facere, ita facile intelligitur quam deceat, immo quam oporteat in diebus festis singulis facere. — Etenim festi dies singulari quadam ratione religioni addicti et consecrati sunt : per eosque, assueti intermissione laboris, christianis praecipitur plus operae iis rebus tribuere, quae ad excolendum expiandumque animum pertinent ; maxime vero augustissimo sacrificio interesse, quo creatori et gubernatori rerum omnium Deo debitum latriae cultum adhibeant. Quamobrem ipsa videtur dierum festorum sanctitas postulare, ut Episcopi, Ecclesiae sibi commissae custodes et principes, sanctissimum Missae sacrificium pro populo offerant Deo : « quo « tamquam Ecclesiae fidelium interpretes, omnium fidem, « spem et caritatem ante oculos Domini statuentes, quod « omnibus in universum, quodque cuique fidelium opus est « a Domino impetrent. »

1. Act. VI, 4 et seq. — 2. Ad Coloss. I, 9. — 3. Ad Philip. I, 3 4. — 4. Ad Heb. V, 1.

*ex veteribus documentis,*

Huius disciplinae probe opportunitatem utilitatemque viderant Episcopi veteres, qui summa cum religione sacrificandi munus per dies festos semper usurpaverunt. Quod sane complura christianarum antiquitatum monumenta confirmant : et in iis commemorandum videtur S. Iustini M. testimonium ex Apologia I ad Antoninum Pium (1) : in qua posteaquam nitide declarasset, consecratum in Eucharistico Sacrificio panem et vinum « non ut communem cibum et « potum sumi » a christianis, sed ut « incarnati IESU carnem « et sanguinem », quemadmodum « Apostoli in commenta« riis suis, quae vocantur Evangelia, tradiderunt, » mox graphice describit rationem totam unde ab initio Ecclesia catholica, per oblationem huius Eucharistici Sacrificii, solemnem cultum Deo optimo maximo exhibere consuevit Dominico quoque die, quem gentiles *diem solis* appellabant, ethnicum Imperatorem his verbis allocutus : « Ac solis, ut « dicitur, die omnium sive urbes sive agros incolentium in « eumdem locum fit conventus, et commentaria Apostolorum « aut scripta Prophetarum leguntur, quoad licet per tempus. « Deinde ubi lector desiit, is qui praeest admonitionem « verbis et adhortationem ad res tam praeclaras imitandas « suscipit. Postea omnes simul consurgimus et preces emit« timus : atque, ut iam diximus, ubi desiimus precari, panis « affertur et vinum et aqua : et qui praeest preces et gra« tiarum actiones totis viribus emittit, et populus acclamat: « *Amen*, et eorum, in quibus gratiae actae sunt, distributio « fit et communicatio unicuique praesentium, et absentibus « per Diaconos mittitur. » Quod vero S. Iustinus per ea verba *qui praeest* non semel prolata designet hoc loco praesertim Episcopos, in ambiguo esse non sinunt tot illae quae supersunt sanctorum Ecclesiae Patrum orationes seu Homiliae, quas *inter Missarum solemnia* constat esse pro concione recitatas. Sic S. Gregorius M. (2) « quia, inquit, Missarum « solemnia ter hodie celebraturi sumus, loqui diu de evan« gelica lectione non possumus. » Immo in hac re tam constans disciplina tenuerat, ut si forte diebus festis a christianorum conventu abfuisset Episcopus, item si concionem

1. In edit. Maurin. pag. 83 n. 61. — 2. Hom. VIII in Evang.

habere aut divinam hostiam litare praetermisisset, novitatem et insolentiam rei haud secus mirarentur omnes ([1]), quam si diebus iuri dicundo statutis vacuum tribunal, vacua iudicum subsellia cernerentur. Sacris autem in dies festos operante Episcopo, *communis sacrificii* oblatio fieri diceba tur ([2]); cuius appellationis ea profecto vis est, ut satis significet, praesente populo et pro populo Sacrificium fieri consuevisse. — Huc aliud etiam spectat, quod erat in more positum Pontificum Romanorum : ii quippe Dominicis diebus, peracto Sacrificio, quidpiam *consecratorum munerum* mittere ad singulos Urbis Titulos, seu curialia templa solebant, quibus in locis una cum inferioribus animarum pastoribus multitudo adesset, quae adesse Pontifici maximo sacrificanti non potuisset. Quae quidem consecratorum munerum pars communi sermone *fermentum* appellata ob hanc caussam censetur, quod sicut modicum fermentum totam, cui iniicitur, farinae massam conglutinat atque attollit; ita mystico illo quasi fermento populus Urbanus universus in unum veluti corpus coalesceret, ut singuli se cum Pontifice maximo fide et caritate coniunctos, et sacrificii, quod ille faceret, participes esse sentirent ([3]).

*IV IDUS IUNII 1882.*

Quod si mutata hodie consuetudine, nequaquam singulis diebus festis coram multitudine Episcopi sacrum faciunt, facere tamen pro populo necesse est. Revera Patres Tridentini, qui hoc officium ex præcepto divino repetunt ([4]), cum deinceps ([5]) iubent Episcopos curare ut omnes Presbyteri « saltem diebus Dominicis et festis solemnibus, si autem « curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri « satisfaciant Missas celebrent », eos profecto tacite monuerunt, ne officio iusto ac debito, quod ab inferioribus animarum pastoribus exigerent, ipsi deessent. Quapropter in Concilio Provinciali Mediolanensi I, cui maxime proposita erat decretorum Tridentinorum promulgatio praesentibus et suffragia ferentibus iis ipsis Episcopis, qui paulo ante ad *ex conciliis,*

1. S. Io. Chrysostomus, Hom. I *de incomprehensibili Dei natura.* — 2. Concil. I Prov. Mechlinien. Tit. *de Episc.* — 3. Cfr. B. Ios. M. Thomasii Card. Opusc. VI in edit. Rom. omnium Opp. Tom. VII, pag. 51 seqq. Cfr. etiam Augustini Orsi Card. *Hist. Eccl.* Lib. XXXI, n. 58. — 4. Sess. XXIII, *De Reform.* c. 1. — 5. Ead. Sess. c. 14.

sedes suas Tridento reverterant ([1]), constitutum est : « Cum « Pontifices, ut inquit Apostolus, ex hominibus assumpti pro « hominibus constituantur in iis quae sunt ad Deum, ut « offerant dona et sacrificia pro peccatis, Episcopus Domi- « nicis et aliis festis diebus, nisi jure impediatur, Missam « celebret ([2]). »

*ex doctrina Theologorum et Canonistarum.*

Quapropter mirum videri non debet, si Theologiae moralis et iuris pontificii doctorum una fere sententia est, officium celebrandi Missam pro populo maiore ratione ad Episcopos, quam ad Parochos pertinere. Omnium loco sit S. Alphonsi De Liguorio, Ecclesiae Doctoris auctoritas: « Si « autem Parochi, et omnes quibus cura animarum commissa « est, tenentur in Dominicis et festis de praecepto Missam « celebrare et applicare pro populo, tanto magis ad id tenen- « tur Episcopi tamquam principaliores animarum pasto- « res ([3]). » Cuius doctrinae ratio in eo maxime consistit, quod cum Parochi auctoritate ecclesiastica instituti sint, eorum officium ex iure divino, quod *mediatum* et *hypotheticum* vocant, proficiscitur. Contra vero ad Episcopos pastorale munus *immediate* pertinet, quippe quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei : pertinet etiam *principaliter*, quia inest in eis perfecta et plena cura pastoralis, cuius partem dumtaxat Parochi exercent, Ecclesiae auctoritate sibi demandatam. Quod sane praeclare S. Thomas his verbis complectitur : « Episcopi principaliter habent curam ovium « suae dioecesis : presbyteri autem curati habent aliquas « subministrationes sub Episcopis », id est « secundum quod « eis ab Episcopo committitur ([4]) ».

*Pontificia decisio.*

His itaque omnibus diu multumque consideratis, auditisque Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum sententiis, decernimus et declaramus, omnes et singulos Episcopos, quacumque dignitate, etiam Cardinalitia, auctos, item Abbates jurisdictionem quasi episcopalem in Clerum et populum cum territorio separato habentes, in Dominicis aliisque festis diebus, qui ex

1. Cfr. Orationem a S. Carolo Borromaeo habitam. — 2. Tit. *de frequenti divini sacrificii oblatione.* — 3. Theol. Moral. Lib. VI. num. 326. — 4. 2. 2. q. 184, art. 6 ad 2 et 3. Vide etiam opusc. XIX cap. 4.

praecepto adhuc servantur, et qui ex dierum de praecepto festorum numero sublati sunt, omni exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, ad Missam pro populo sibi commisso celebrandam et applicandam teneri. *IV IDUS IUNII 1882.*

Et ne cui dubitationi aditus pateat, declaramus, eosdem Episcopos et Abbates huic officio satis esse facturos per celebrationem et applicationem unius Missae pro universo populo sibi commisso, etiamsi duas vel plures Dioeceses et Abbatias aeque principaliter unitas regant. — Novimus quidem Romanas Congregationes Nostras aliud decrevisse de Parochis duas vel plures parochiales Ecclesias aeque principaliter unitas gerentibus: in quibus singulis singulae per dies festos Missae celebrentur et pro populo applicentur necesse est. Sed alia est Parochorum, alia Episcoporum ratio. Etenim cum cuique Parocho specialis in unaquaque Paroecia ac definita populi cura commissa sit, festis diebus Parochus non modo celebrare pro populo debet, sed etiam in parochiale templum populum admittere, ut sacrosancto Missae sacrificio intersit, et audiat verbum Dei, et sacramenta pro opportunitate recipiat, et iis omnibus officiis excolatur, quae diebus praesertim Dominicis aliisque festis praestanda sunt. At non haec valere possunt pro Episcopis, qui dissimili in conditione et caussa versantur, cum nulla lege hodie iubeantur omnibus diebus festis sanctum Sacrificium in Cathedrali templo peragere. *Decisionis explicatio.*

Quamquam vero minime necessarium, opportunum tamen ducimus declarare, ea quae supra constituta sunt, ad Episcopos non spectare, qui *Titulares* dicuntur, quique ad dignitatem episcopalem promoti, ideo a Romano Pontifice titulo decorantur Ecclesiarum Cathedralium, quae olim florentes, nunc Clero populoque catholico destituuntur, ne scilicet antiqua earum dignitas et memoria penitus deleatur. Cum enim ipsi sedium suarum possessionem non capiant, qua dumtaxat suscepta munus, de quo diximus, Episcopi implere tenentur [1], cumque nullus neque Clerus neque populus eorum

1. S. C. Rit. in *Marsor.* 12 novemb. 1831.

regimini tradatur, satis constat, eos uti carent usu atque exercitio potestatis ex episcopali consecratione acceptae, ita etiam haud esse officiis atque oneribus curae episcopalis obnoxios. Sed tamen si aequitatis caritatisque episcopalis ratio habeatur, non potest non consentaneum videri, eos etiam interdum sacrificium offerre, ut respiciat Deus miseram Ecclesiarum illarum conditionem, quarum titulo et nomine ipsi honestantur. Huic rei optime congruunt quae a Pio VI Decessore Nostro in consecratione Episcopi Cyrenensis die IV octobris an. MDCCLXXVIII in Basilica Ostiensi dicta sunt : cum scilicet enumerans caussas ob quas Apostolica Sedes ecclesias etiam ab infidelibus occupatas conferre solet, « oportere, inquit, aliquem existere cui singulariter « incumbat, si non regere captivam illam miseri gregis por- « tionem, preces saltem ac lacrymas pro eadem ad miseri- « cordiarum Patrem assidue effundere. »

Volumus autem praesentes Litteras, omniaque et singula in iis contenta inviolabiliter observari, et de subreptionis, aut cuiuscumque invaliditatis vitio intentionisque Nostrae et quocumque alio defectu a quoquam notari, impugnari, vel in controversiam vocari nullo unquam tempore posse; sublata cuilibet aliter de his iudicandi et definiendi potestate : et quidquid secus super his contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, etiam in generalibus Conciliis editis, nec non Cancellariae Apostolicae regulis, statutis quoque etiam iuratis, consuetudinibus etiam immemorabilibus, atque indultis etiam Apostolicis quomodolibet hactenus concessis, ceterisque contrariis quibuscumque. Atque hae Litterae Romae publicatae perinde habeantur ac si unicuique eorum, quos concernunt, personaliter intimatae et notificatae fuissent.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrarum Ordinationum et Constitutionum infringere, seu eidem ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octuagesimo secundo, IV id. iunii, Pontificatus Nostri anno V. *IV IDUS IUNII 1882.*

C. CARD. SACCONI Pro Datarius — TH. CARD. MERTEL

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus.

*Loco ✠ Plumbi*

*Reg. in Secret. Brevium.*

I. Cugnonius.

# EPISTOLA

## Ad Episcopos Hiberniae

## DE PATRIAE CAUSSA IUSTE TUENDA.

*I Augusti 1882.*

BENEVOLENTIAE caritas, qua Hibernos complectimur, et cuius augere vim haec ipsa temporum difficultas videtur, Nos adducit, ut rerum vestrarum cursum singulari cura paternoque animo sequamur. — Ex qua tamen cogitatione plus sollicitudinis, quam solatii capimus, quod nondum apud vos rem publicam videre liceat eo, quo vellemus, statu pacatam atque florentem. Nam ex una parte, gravia premunt adhuc incommoda : ex altera, anceps animorum motus ad turbulenta consilia complures temere rapit : nec defuere, qui atroci se hominum caede polluerent, quasi fieri possit ut spes felicitatis publicae in dedecore flagitioque reperiatur.

*Opportuna episcoporum consilia.*

Harum rerum caussa, Vos, Dilecte Fili Noster, Venerabiles Fratres, non minore quam Nos sollicitudine affectos et antea cognoveramus, et nuper etiam perspeximus ex iis, quae a Vobis in postremo conventu Dublinensi decreta sunt. Communis enim salutis trepidi probe docuistis, quid quemque in tam acri momento, in medioque certamine vitare oporteat. — In quo sane et convenienter muneri episcopali et e re publica fecistis. Homines enim tunc maxime antistitum suorum indigent consilio, cum vehementiore aliqua cupiditate acti, emolumenta rerum fallacibus iudiciis vident : ac si quando ad relinquendam honestatem velut impetu quodam feruntur, Episcoporum est, incitatos multitudinis animos temperare, et ad iustitiam necessariamque in omnibus rebus moderationem tempestivis hortationibus revocare. Illud vero optima opportunitate commemoratum a Vobis est divinum praeceptum, quaeri *primum* oportere *regnum Dei et iustitiam eius:* quo iubentur christiani in omni vitae actione atque adeo in civicis etiam rebus salutem suam sempiternam respicere, et prae religione officii mortalia omnia minoris ducere. Haec quidem praescripta servantes, fas est Hibernos fortunae suae afflictae

levationem quaerere : fas est et pro iure suo contendere : neque enim existimandum, quod singulis gentibus licet, Hiberniae non licere. — Verumtamen honestate dirigenda utilitas est, ac serio considerandum, caussam quamtumvis iustam turpe esse tueri non iuste. Abest vero iustitia cum ab omni vi, tum maxime a societatibus clandestinis, quae per speciem vindicandi iuris illuc ferme evadunt, ut rerum publicarum permoveant statum. Illae quidem quanta animi provisione honesto cuique viro fugiendae sint, sicut non semel Decessores Nostri, Nosque ipsi, ita Vos in conventu Dublinensi opportune monuistis. Nihilominus, his manentibus periculis, erit vigilantiae vestrae idem saepe praecipere, Hibernos universos per sanctitatem catholici nominis, perque ipsam patriae caritatem hortando, nihil ut sibi commune esse velint cum huius generis societatibus : quae et ad ea, quae populus iure petit, nihil prodesse possunt, et nimis saepe ad delinquendam impellunt quos illecebris suis incenderunt. Cum Hiberni homines gestiant, neque id immerito, *catholicos* appellari, quod est, uti Augustinus interpretatur, *integritatis custodes et recta sectantes* (1), impleant mensuram nominis, et in ipsa rerum suarum defensione studeant esse quod dicuntur. Meminerint *primam esse libertatem carere criminibus* (2), seque in omni vita sic gerant, ut statutas legibus poenas nemo ipsorum luat *ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor* (3).

*Recedendum a societatibus secretis.*

*Crimina vitanda.*

Pars est autem, vestras in populo regendo episcopales curas Cleri totius adiuvari virtute, labore, industria. — Quam ad rem quae de sacerdotibus praesertim iunioribus constituenda censuistis, recta et convenientia temporibus iudicamus. Etenim sacerdotes, si unquam alias, certe in istis procellis popularibus solertes et operosos conservandi ordinis adiutores esse necesse est. Et quia ut optima quisque opinione floret, ita in aliorum animos maxime potest, eniti debent ut approbationem hominum moveant gravitate, constantia, moderatione factorum atque dictorum : nec vero agere quidquam, quod a prudentia aut a studio placandorum

*Gravitas atque prudentia apud Clericos requisita.*

1. Lib. *De vera Religione*, n. 9. — 2. S. Aug. tract. XLI *in Ioan.*, n. 10. — 3. I Petr. IV, 15.

animorum alienum videatur. Facile autem intelligitur, talem fore Clerum, qualem temporum ratio postulat, si sapienti disciplina optimisque praeceptis fuerit mature institutus. Nam, ut Patres Tridentini monuerunt, *adolescentium aetas, nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, nunquam perfecte ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseverat* (1).

*Moderatione caussam vincent Hiberni.*

Hac via et ratione futurum arbitramur, ut Hibernia prosperam rerum conditionem, quam expetit, nemine violando, consequatur. Etenim, sicut alias Vobis significavimus, Hibernis aequa postulantibus satis facturos, qui rerum publicarum administrationi praesunt, confidimus. Quod non solum veritas suadet, sed spectata etiam ipsorum prudentia civilis, cum dubitari non possit Hiberniae incolumitatem cum tranquillitate totius imperii esse coniunctam. — Nos interim hac spe adducti minime intermittemus Hibernam gentem consiliorum Nostrorum auctoritate iuvare, et incensas studio et caritate preces ad Deum fundere, ut populum tot iam virtutum nobilitatum laude propitius respiciat, compositisque fluctibus, optata tandem pace et prosperitate muneretur. Horum autem coelestium munerum auspicem et praecipuae benevolentiae Nostrae testem Vobis, Dilecte Fili Noster, Venerabiles Fratres, Clero ac populo universo Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die I augusti anno MDCCCLXXXII. Pontificatus Nostri anno quinto.

LEO PP. XIII.

---

1. Sess. XXIII. *De Reform.* cap. 18.

# EPISTOLA ENCYCLICA

## Ad Episcopos universos catholici Orbis

## DE SANCTO FRANCISCO ASSISIENSI ET DE TERTIO FRANCISCALIUM ORDINE.

*17 SEPTEMBRIS 1882.*

AUSPICATO concessum est populo christiano duorum virorum memoriam brevi temporis intervallo recolere, qui ad sempiterna sanctitatis praemia in coelum evocati, praeclaram alumnorum copiam, tamquam virtutum suarum perpetuo renascentem propaginem, in terris reliquerunt. — Siquidem post saecularia sollemnia ob memoriam Benedicti, monachorum in Occidente patris legiferi, proxima est occasio non dispar habendorum publice honorum Francisco Assisiensi, septimo post quam natus est exeunte saeculo. Quod sane contingere benigno quodam divinae providentiae consilio, non immerito arbitramur. Nam oblato ad celebrandum tantorum patrum natali die, homines admonere Deus velle videtur, ut summa illorum merita recordentur, simulque intelligant, conditos ab iis virorum religiosorum ordines tam indigne violari minime debuisse, in iis praesertim civitatibus, quibus incrementa humanitatis et gloriae labore, ingenio, sedulitate pepererunt. — Ista quidem sollemnia confidimus haud vacua fructu futura populo christiano, qui non sine caussa sodales religiosos amicorum loco semper habere consuevit : propterea que sicut Benedicti nomen magna pietate gratoque animo honoravit, ita nunc Francisci memoriam festo cultu et multiplici significatione voluntatis est certatim renovaturus. Atque istud pietatis reverentiaeque honestum certamen non regione circumscribitur, in qua vir sanctissimus editus est in lucem, nec finitimis a praesentia eius nobilitatis spatiis : sed late est ad cunctas terrarum oras, quacumque Francisci aut nomen percrebuit, aut instituta vigent, propagatum.

*Opportuna S. Francisci saecularia solemnia,*

Hunc animorum in re optima ardorem Nos certe sic probamus, ut nemo magis ; praesertim quia Franciscum

Assisiensem admirari praecipuaque religione colere ab adolescentia assuevimus, et in familiam Franciscanam adscitos esse gloriamur, et sacra Alverniae iuga libentes atque alacres, pietatis caussa, non semel ascendimus : quo loco tanti viri imago, ubicumque poneremus vestigium, obiiciebatur animo, mentemque tacita cogitatione suspensam memor illa solitudo tenebat. — Sed quantumvis sit istud studium laudabile, tamen nequaquam in isto omnia. Ita enim de honoribus, qui beato Francisco properantur, statuendum, tunc maxime futuros ei, cui deferuntur, gratos si fuerint iis ipsis, qui deferant, fructuosi. In hoc autem positus est fructus solidus minimeque caducus, ut cuius excellentem virtutem homines admirantur, similitudinem eius aliquam adripiant, fierique studeant ipsius imitatione meliores. Quod, opitulante Deo, si studiose effecerint, profecto quaesita erit praesentium malorum opportuna et valde efficax medicina. — Vos itaque volumus, Venerabiles Fratres, per has Litteras alloqui, non modo pietatem erga Franciscum Nostram publice testaturi, verum etiam vestram excitaturi caritatem, ut in hominum salute eo, quo diximus, curanda remedio Nobiscum pariter elaboretis.

*in cuius virtutum imitatione est praesentium malorum efficax medicina.*

Liberator generis humani IESUS CHRISTUS fons est perennis, atque perpetuus omnium bonorum quae ab infinita Dei benignitate ad nos proficiscuntur, ita plane ut qui semel mundum servavit idem sit in omnes saeculorum aetates servaturus : *Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* [1]. Si quando igitur naturae vitio aut hominum culpa contingat, ut in deteriorem partem delabatur genus humanum, et singulari quadam ope indigere ad evadendum videatur, omnino recipere se ad IESUM CHRISTUM necesse est, atque istud putare maximum certissimumque perfugium. Divina enim illius virtus tam magna est tantumque pollet, ut omnium in ea vel periculorum depulsio, vel malorum posita sanatio sit. Futura est autem certa sanatio, si modo ad professionem christianae sapientiae, et ad evangelica vivendi praecepta genus humanum reducatur. Iis autem, quae diximus, forte insidentibus,

*Suscitatus S. Franciscus,*

1. Act. IV, 12.

malis, simul ac solatii venit divinitus provisa maturitas, fere iubet Deus, continuo virum aliquem in terris existere non unum de multis sed summum et singularem, quem restituendae salutis publicae praeficiat muneri. Atqui istud plane usuveniebat sub exitum saeculi duodecimi aliquantoque serius; fuit autem eius maximi operis perfector Franciscus. *17 SEPTEMBRIS 1882.*

Satis illa nota est aetas cum sua indole virtutum ac vitiorum. Insita altius in animis vigebat fides catholica : pulcrumque erat complures pietatis fervore incensos in Palaestinam transmittere qui vincere aut emori destinavissent. Sed tamen valde populares mores licentia mutaverat : nihilque erat tam hominibus necessarium, quam ut christianos spiritus revocarent. — Iamvero christianae virtutis caput est generosa animi affectio, rerum arduarum ac difficilium patiens : cuius forma quaedam in cruce adumbratur quam, qui Christum sequi malunt, onusto ferant humero necesse est. Illius autem partes affectionis sunt, abstinentem rerum mortalium animum gerere : sibimet acriter imperare : casus adversos facile moderateque ferre. Denique caritas in Deum, in proximos una omnium est domina et regina virtutum ; cuius tanta vis est, ut molestias, quae officium comitantur, omnes abstergeat, laboresque quamtumvis magnos non tolerabiles solum efficiat, verum etiam iucundos. *qui senescenti mundo*

Harum virtutum saeculo duodecimo magna apparebat inopia, cum nimis multi, penitus mancipati rebus humanis, aut appetentia honorum ac divitiarum insanirent, aut per luxum et libidines aetatem agerent. Plurimum valebant pauci; quorum opes fere in oppressionem miserae et contemptae multitudinis evaserant : atque huiusmodi vitiorum maculas ne ii quidem effugerant, qui disciplinae ceteris esse ex instituto debuissent. Et restincta passim caritate, variae quotidianaeque pestes consecutae erant, invidere, aemulari, odisse, distractis adeo infestisque animis, ut ad minimam quamque caussam et civitates finitimae sese invicem praeliando conficerent, et cives cum civibus ferro inhumane decernerent.

In id saeculum Francisci cecidit aetas. Qui tamen mira constantia, simplicitate pari aggressus est dictis et factis

*genuinam christianae perfectionis imaginem ad spectandum proponeret :*

genuinam christianae perfectionis imaginem senescenti mundo ad spectandum proponere. — Reapse, quemadmodum Dominicus Gusmanus pater integritatem coelestium doctrinarum per eadem tempora tuebatur, pravosque haereticorum errores luce christianae sapientiae depellebat, ita Franciscus, ad grandia ducente Deo, illud impetravit ut ad virtutem excitaret christianos homines et diu multumque devios ad imitationem Christi traduceret. Non certe fortuito factum est, ut ad aures acciderent adolescentis illae ex Evangelio sententiae : *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam* [1]. Et, *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus.... et veni, sequere me* [2]. Quae tamquam sibi nominatim dicta interpretatus, continuo abdicat se rebus omnibus, vestimenta mutat; paupertatem sibi sociam et comitem constituit in omni vita futuram : et maxima illa virtutum praecepta, quae celso erectoque animo amplexus erat, Ordinis sui velut fundamenta fore decernit. Ex eo tempore, inter tantam saeculi mollitiam fastidiumque delicatissimum, ille horrido cultu atque aspero incedere : victum ostiatim quaerere : et quae acerbissima putantur, insanae plebis ludibria non tam perferre, quam vorare alacritate mirabili. Videlicet stultitiam Crucis Christi adsumpserat et probarat uti absolutam sapientiam ; cumque in eius augusta mysteria intelligendo penetravisset, vidit iudicavitque nusquam posse gloriam suam melius collocari. — Una cum amore Crucis, pervasit Francisci pectus caritas vehemens, quae impulit hominem, ut propagandum nomen christianum animose susciperet, ob eamque caussam obviam sese vel manifesto capitis periculo ultro offerret. Hac ille caritate homines complectebatur universos : multo tamen cariores habuit egenos et sordidos, ita prorsus ut quos ceteri refugere aut superbius fastidire consuevissent, iis potissimum ille delectari videretur. Qua ratione egregie de ea germanitate meruit qua restituta perfectaque ex toto hominum genere unam velut familiam

1. Matth. x, 9, 10. — 2. Matth. xix, 21.

Christus Dominus conflavit, in potestate unius omnium parentis Dei constitutam. *17 SEPTEMBRIS 1882.*

Tot igitur virtutum praesidio atque hac praesertim asperitate vitae, studuit vir innocentissimus formam IESU CHRISTI, quoad poterat, in se ipse transferre. Sed divinae providentiae numen in hoc etiam eluxisse videtur, quod rerum externarum singulares quasdam cum divino Redemptore similitudines assecutus est. — Sic, ad exemplar IESU, Francisco contigit, ut in lucem susciperetur in stabulo, ac tale stratum haberet puer infans, quale olim ipse Christus tectam stramentis terram. Quo tempore, ut fertur, leves per sublime Angelorum chori, et mulcentes aera concentus similitudinem compleverunt. Item lectos quosdam, uti Christus Apostolos, sibi discipulos adiunxit, quos peragrare terras iuberet, christianae pacis ac sempiternae salutis nuntios. Pauperrimus, contumeliose illusus, repudiatus a suis, vel in hoc speciem IESU CHRISTI retulit, quod nec tantulum voluit habere proprium, quo caput reclinaret. Postrema similitudinis nota accessit, cum in Alverni montis vertice, velut in Calvario suo, novo ad illam aetatem exemplo, sacris stigmatibus corpori eius divinitus impressis, propemodum actus est in Crucem. — Rem hoc loco commemoramus non minus miraculo nobilem, quam saeculorum praedicatione illustrem. Cum enim esset olim in cruciatuum Christi vehementi cogitatione defixus, eorumque vim acerbissimam ad se traduceret, et tamquam sitiens hauriret, delapsus e coelo repente Angelus se ostendit : unde arcana quaedam virtus cum subito emicuisset, palmas pedesque quasi transfixos clavis, itemque velut acuta cuspide vulneratum latus Franciscus sensit. Quo facto, ingentem caritatis ardorem concepit animo : corpore vivam expressamque vulnerum IESU CHRISTI in reliquum tempus imaginem gessit.

*mira vitae eius cum Christo conformitas.*

Ista rerum miracula, angelico potius quam humano celebranda praeconio, satis demonstrant quantus ille vir, quamque dignus fuerit, quem aequalibus suis ad mores christianos revocandis Deus destinaret. Profecto ad Damiani aedem exaudita Francisco est maior humana vox, *I, laben-*

*Vere Ecclesiae columen est et praesidium.*

*tem tuere domum meam.* Neque minus admirationis habet oblata divinitus Innocentio III species, cum sibi videre visus est Basilicae Lateranensis inclinata moenia humeris suis Franciscum sustinentem. Quorum vis ratioque portentorum perspicua est : nimirum significabatur christianae reipublicae non leve per ea tempora praesidium et columen Franciscum futurum. Revera nihil cunctatus est quin accingeretur. Duodeni illi, qui se in eius disciplinam primi contulerant, exigui instar seminis extiterunt, quod secundo Dei numine, auspiciisque Pontificis maximi, celeriter visum est in uberrimam segetem adolescere. Eis igitur ad Christi exempla sancte institutis varias Italiae Europaeque regiones, Evangelii caussa, describit : dato certis inter eos negotio, ut in Africam usque traiiciant. Nec mora : inopes, indocti, rudes, committunt tamen populo sese : in triviis plateisque, nullo loci apparatu nec pompa verborum, ad contemptum rerum humanarum, cogitationemque futuri saeculi homines adhortari incipiunt. Mirum tam ineptis, ut videbantur, operariis quantus respondit operae fructus. Ad eos enim confluere catervatim cupida audiendi multitudo ; tum dolenter admissa deflere, oblivisci iniuriarum, compositisque dissidiis ad pacis consilia redire. Incredibile dictu est, quanta inclinatione animorum ac prope impetu ad Franciscum turba raperetur. Assectabantur maximo concursu, quacumque ille ingrederetur : nec raro ex oppidis, ex urbibus frequentioribus universi promiscue cives homini erant supplices, ut se vellet in disciplinam rite accipere. — Quamobrem caussa nata est viro sanctissimo, cur sodalitatem *Tertii Ordinis* institueret quae omnem hominum conditionem, omnem aetatem, utrumque sexum reciperet, nec familiae rerumque domesticarum vincula abrumperet. Eam quippe prudenter temperavit non tam legibus propriis, quam ipsis legum evangelicarum partibus : quae sane nemini christiano graviores videantur. Videlicet praeceptis Dei Ecclesiaeque obtemperetur, absint factiones et rixae : nihil detrahatur de aliena re : nisi pro religione, patriaque, ne arma sumantur : modestia in victu cultuque servetur : facessat luxus : periculosa chorearum artisque ludicrae lenocinia vitentur.

Tertii Ordinis *institutio :*

Facile est intelligere permagnas manare utilitates ex huiusmodi instituto debuisse cum salutari per se, tum ad eam tempestatem mirabiliter opportuno. — Quam opportunitatem et satis indicant coalitae eiusdem generis ex Dominicana familia aliisque ordinibus sodalitates, et eventus ipse confirmat. Sane illi Franciscalium ordini nomen dare inflammato studio summaque voluntatum propensione ab infimis ad summos vulgo properabant. Optarunt ante alios hanc laudem Ludovicus IX Galliarum rex, et Elisabetha Hungarorum regina: successere aetatum decursu plures ex Pontificibus maximis, item ex Cardinalibus, ex Episcopis, ex Regibus, ex Dynastis, qui omnes insignia Franciscalia non aliena esse a dignitate sua duxerunt. — Sodales tertii ordinis animum suum in tuenda religione catholica pium aeque ac fortem probavere: quarum virtutum si magnam ab improbis subierunt invidiam, ea tamen, quae honestissima est atque unice expetenda, sapientium et bonorum approbatione numquam caruerunt. Immo Gregorius ipse IX Decessor Noster fidem ipsorum ac fortitudinem publice gratulatus, minime dubitavit et auctoritate sua defendere, et *milites Christi, Machabaeos alteros*, honoris caussa, appellare. — Neque carebat veritate laus. Magnum enim salutis publicae praesidium erat in illo hominum ordine: qui propositis sibi auctoris sui virtutibus et legibus, perficiebant, quoad facultas ferret, ut christianae honestatis decora in civitate reviviscerent. Certe ipsorum opera exemplisque extinctae saepe aut delinitae sunt factionum partes: erepta ab efferatorum dextris arma: litium et iurgiorum caussae sublatae: parta inopiae et solitudini solatia: castigata, fortunarum gurges et corruptelarum instrumentum, luxuria. Quare pax domestica et tranquillitas publica, integritas morum et mansuetudo, rei familiaris rectus usus et tutela, quae sunt optima humanitatis incolumitatisque firmamenta, ex tertio Franciscalium ordine, tamquam ex stirpe quadam, gignuntur: eorumque bonorum conservationem magna ex parte Francisco debet Europa.

*17 SEPTEMBRIS 1882.*

*eius opportunitas,*

*et utilitates.*

Plus tamen, quam ulla ex gentibus ceteris, Francisco debet Italia; quae sicut eius virtutibus princeps theatrum

*Singularia S. Francisci in Italos merita.*

fuit, ita maxime beneficia sensit. — Et sane quo tempore multa multi pro iniuria contenderent, ille afflicto et iacenti constanter porrexit dexteram: in summa egestate dives, numquam destitit alienam sublevare inopiam, immemor suae. Vagiit suaviter in eius ore patrius sermo recens: vim caritatis simul et poeticae expressit canticis, quae vulgus edisceret, quaeque admiratione visa sunt non indigna eruditae posteritatis. Ad Francisci cogitationem, aura quaedam afflatusque humano augustior ingenia nostrorum concitavit, ita quidem ut in eius rebus gestis pingendis, fingendis, caelandis, summorum artificum industria certarit. Nactus est in Francisco Alighierus, quod grandiloquo pariter mollissimoque caneret versu: Cimabue et Giottus, quod Parrhasiis luminibus ad immortalitatem illustrarent: clari artifices aedificandi, quod magnificis operibus perficerent, vel ad sepulchrum hominis pauperculi, vel ad aedem Mariae Angelorum, tot tantorumque miraculorum testem. Ad haec autem templa homines undique commeare frequentes solent, veneraturi Assisiensem patrem pauperum, cui, ut se rebus humanis despoliaverat funditus, ita divinae bonitatis large copioseque dona affluxerunt.

*Franciscalia instituta magnopere aetate hac nostra profutura.*

Igitur perspicuum est, in christianam civilemque rempublicam ab uno hoc homine vim beneficiorum influxisse. Sed quoniam ille eius spiritus, omnino excellenterque christianus mirifice est ad omnia et loca et tempora accommodatus, nemo dubitaverit, quin Franciscalia instituta magnopere sint aetate hac nostra profutura. Eo vel magis, quod horum temporum ratio ad illorum rationem pluribus ex caussis videtur accedere.— Quemadmodum saeculo duodecimo, ita nunc non parum deferbuit divina caritas: nec levis est officiorum christianorum, partim ignoratione, partim negligentia, perturbatio. Simili animorum cursu, similibusque studiis, in aucupandis vitae commodis, in consectandis avide voluptatibus plerique aetatem consumunt. Diffluentes luxuria, sua profundunt, aliena appetunt: fraternitatis humanae nomen extollentes, plura tamen fraterne dicunt quam faciunt: feruntur enim amore sui, et illa erga tenuiores atque inopes genuina caritas quotidie minuitur. — Per eam

aetatem multiplex Albigensium error, concitandis adversus Ecclesiae potestatem turbis, una simul civitatem perturbaret, et ad quoddam *Socialismi* genus munierat iter. Hodieque similiter, *Naturalismi* fautores propagatoresque creverunt : qui subesse Ecclesiae oportere pertinaciter negant, et longius, quo consentaneum est, gradatim procedentes ne civili quidem potestati parcunt : vim et seditiones in populo probant : agrariam rem tentant ; proletariorum cupiditatibus blandiuntur : domestici publicique ordinis fundamenta debilitant. *17 SEPTEMBRIS 1882.*

In his igitur tot tantisque incommodis, probe intelligitis, Venerabiles Fratres, spem sublevationis non exiguam collocari in institutis Franciscalibus merito posse, si modo in pristinum statum restituantur. — Iis enim florentibus, facile floreret et fides et pietas et omnis christiana laus : frangeretur exlex caducarum rerum appetitio, nec pertaederet, quod maximum atque odiosissimum plerisque putatur onus, domitas habere virtute cupiditates. Concordiae vere fraternae vinclis colligati diligerent homines inter se, egenisque et calamitosis, quippe imaginem Christi gerentibus, eam, quam par est, reverentiam adhiberent. — Praeterea qui religione christiana penitus imbuti sunt, sentiunt iudicio certo, legitime imperantibus conscientia officii obtemperari, nullaque in re violari quemquam oportere : qua animi affectione nihil est efficacius ad extinguendam radicitus omnem in hoc genere vitiositatem, vim, iniurias, novarum rerum libidinem, invidiam inter varios civitatis ordines : in quibus omnibus initia simul atque arma *Socialismi* consistunt. — Denique illud etiam, in quo prudentes rerum civilium tanto opere laborant, de locupletium et egenorum rationibus erit optime constitutum, hoc fixo et persuaso, non vacare dignitate paupertatem : divitem misericordem et munificum, pauperem sua sorte industriaque contentum esse oportere : cumque neuter sit ad haec commutabilia bona natus, alteri patientia, alteri liberalitate in coelum esse veniendum.

His de caussis Nobis est diu et magnopere in votis, ut quantum quisque potest in imitationem Francisci Assisiensis

*Exhortatio ad Christianos ut* Tertio Ordini *nomen dent.*

se intendat. — Idcirco sicut semper antea tertio Franciscalium ordini singularem curam adhibuimus, ita nunc summa Dei benignitate ad gerendum Pontificatum maximum vocati, cum inciderit ut id peropportune fieri possit, christianos homines hortamur, ut nomen dare sanctae huic IESU CHRISTI militiae ne recusent. Plurimi numerantur passim ex utroque sexu, qui Patris Seraphici vestigiis alacri animo iam ingrediuntur. Quorum laudamus tale studium vehementerque probamus, ita tamen ut illud augeri et ad plures propagari, Vobis praesertim adnitentibus, Venerabiles Fratres, velimus. Et caput est commendationis Nostrae, ut qui insignia *Poenitentiae* induerint, imaginem spectent sanctissimi auctoris sui, ad eamque contendant: sine qua, quod inde expectaretur boni, nihil esset. Itaque date operam, ut *Tertium Ordinem* vulgo noscant atque ex veritate aestiment: providete, ut qui curam gerunt animarum, doceant sedulo qualis ille sit, quam facile unicuique pateat, quam magnis in animorum salutem privilegiis abundet, quantum utilitatis, privatim et publice polliceatur. In quo eo magis est elaborandum quod sodales Franciscales ordinis primi et alterius gravi in praesens perculsi plaga indigne laborant. Hi quidem utinam, parentis sui patrocinio defensi, celeriter ex tot fluctibus vegeti et florentes emergant! Utinam etiam christianae gentes ad disciplinam tertii ordinis confluant, ita alacres itaque frequentes, uti olim undique ad Franciscum ipsum sese certatim effundebant! — Hoc autem maiore contentione poscimus et potiore iure ab Italis speramus, quos unius patriae necessitudo et uberior acceptorum beneficiorum copia propensiore iubet esse in Franciscum animo, et maiores eidem gratias habere. Ita sane septem post saeculis Italicae genti et omni christiano orbi contingeret, ut se a perturbatione revocatum ad tranquillitatem, ab exitio ad salutem, hominis Assisiensis beneficio sentiret. Id quidem communi prece, per hos dies maxime ab ipso Francisco flagitemus: idem contendamus a Maria Virgine Matre Dei, quae famuli sui pietatem ac fidem coelesti tutela donisque singularibus perpetuo remuneravit.

Interea coelestium munerum auspicem, et praecipuam

Nostrae benevolentiae testem, Apostolicam benedictionem, *17 SEPTEMBRIS 1882.*
Vobis, Venerabiles Fratres, universoque Clero ac populo singulis concredito, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII septembris anno MDCCCLXXXII, Pontificatus Nostri anno quinto.

# EPISTOLA

## Ad Germaniae Imperatorem

## DE COMPONENDIS DISSIDIIS.

*3 DECEMBRIS 1882.*

NELLA recente inaugurazione del *Landtag* Prussiano, l'Imperiale Reale Maestà Vostra si è compiaciuta manifestare al suo popolo la gioia che provava nel cuore pel consolidamento dei suoi rapporti amichevoli col Capo della Chiesa cattolica, mercè la ripristinazione delle relazioni diplomatiche. Queste expressioni, cotanto cortesi per Noi, Ci sono giunte oltremodo gradite e Ci inducono a renderne a Vostra Maestà speciali azioni di grazie, il che facciamo con viva soddisfazione dell'animo Nostro.

*Spes diu concepta verae pacis conciliandae :*

Noi fin dai primordi del Pontificato avevamo riposto nei nobili e generosi sentimenti di Vostra Maestà la fiducia di vedere ridonata la tranquillità delle coscienze e la pace religiosa ai popoli che obbediscono al potente Suo scettro : ed ora il fatto stesso dei rapporti diplomatici ristabiliti e l'interesse che Vostra Maestà pone al conseguimento di uno scopo cosi alto e cosi vantaggioso, sono venuti a rafforzare la Nostra fiducia.

*pax huiusmodi civili Societati non minus Ecclesiae utilis.*

La Maestà Vostra nell'alto Suo senno e nella Sua lunga esperienza, sente quanto grande sia il bisogno di ricondurre i popoli, mercè l'osservanza dei doveri religiosi, all'adempimento di quelli che loro incombono come cittadini e come sudditi, ora specialmente che la società è scossa nelle sue stesse basi. Possiamo assicurare Vostra Maestà che la Chiesa cattolica è pienamente animata di questo spirito, e possiede, ove non incontri ostacoli, la forza preziosa d'insinuarlo ed espanderlo dappertutto. Quindi fu sempre Nostro vivissimo desiderio di veder la Chiesa spiegare liberamente dovunque la sua virtù a vantaggio dei popoli e dei governi, e di stringere con questi a tal uopo rapporti di amicizia e di pace.

*Necessitas quasdam leges mutandi.*

Che se gl'imperiosi doveri del Ministero Apostolico, pieno di responsabilita d'innanzi a Dio e agli uomini, ci obbligano a domandare che la nuova legislazione ecclesia-

stica in Prussia, almeno nei punti essenziali per l'esistenza e per la vita della religione cattolica, venga in maniera definitiva addolcita e corretta, Vostra Maestà lungi dall'ascriverlo a difetto di buone e concilianti disposizioni da parte Nostra, vorrà anzi riconoscere che lo domandiamo nell'interesse stesso della pace, la quale non potrebbe esser vera e durevole, se non fosse stabilita sopra solide fondamenta. Questa pacificazione, mentre farà pago uno dei desiderii più ardenti del Nostro cuore, e stringerà con più forti vincoli al trono della Maestà Vostra gli animi di tutti i suoi sudditi cattolici, formera senza fallo anche la più bella e preziosa corona del lungo e glorioso Suo Regno.

Con questa speranza, innalziamo al cielo i più fervidi voti per la prosperità della Maestà Vostra e della Sua Imperiale Reale Famiglia.

*Dal Vaticano 3 dicembre 1882.*

# EPISTOLA ENCYCLICA

## Ad Episcopos Hispaniae

## DE ANIMORUM CONIUNCTIONE ET FIDELIUM ERGA PASTORES SUBMISSIONE.

*8 DECEMBRIS 1882.*

CUM multa sint, in quibus excellit generosa ac nobilis Hispanorum natio, tum illud est in prima commendatione ponendum, quod, post varios rerum et hominum interitus, pristinum illud ac prope haereditarium retineat fidei catholicae studium, quocum semper visa est Hispani generis salus et magnitudo coniuncta. — Quod quidem studium plura argumenta declarant : praecipue vero eximia in hanc Sedem Apostolicam pietas, quam omni significationum genere, litteris, liberalitate, susceptis religionis caussa peregrinationibus Hispani homines saepe et praeclare testantur. Neque interitura est paulo superioris temporis memoria, quo tempore ipsorum animum fortem aeque ac pium Europa spectavit, cum Sedem Apostolicam adversorum eventuum calamitas attigisset. — In his rebus omnibus, praeter singulare quoddam Dei beneficium, agnoscimus, Dilecti Filii Nostri, Venerabiles Fratres, vigilantiae vestrae fructum : itemque laudabile ipsius populi propositum, qui per haec tam infensa catholico nomini tempora religioni avitae studiose adhaerescit, neque dubitat magnitudini periculorum parem constantiae magnitudinem opponere. Profecto nihil est, quin de Hispania sperari iure queat, si modo talem animorum affectionem caritas aluerit, et stabilis voluntatum concordia roboraverit.

*Fidei catholicae studio excellunt Hispani.*

— Verum quod ad hanc partem, non enim dissimulabimus id quod est, cum cogitamus agendi rationem, quam aliquot ex Hispania catholici homines ineundam putant, dolor quidam obiicitur animo cum nonnulla similitudine anxiae sollicitudinis, quam Paulus Apostolus olim, Corinthiorum caussa, susceperat. Tuta et tranquilla catholicorum cum inter se tum maxime cum Episcopis suis istic concordia permanserat : eoque nomine Gregorius XVI Decessor

*Periculum ipsis imminet ex animorum dissidiis, relate ad quaestiones politicas.*

Noster iure laudavit Hispanam gentem quod eius pars *longe maxima in veteri sua erga Episcopos et inferiores pastores canonice constitutos reverentia* perseveraret [1]. Nunc tamen, interiectis partium studiis, vestigia apparent dissensionum, quae in varias velut acies distrahunt animos, ipsasque societates, religionis gratia constitutas, non parum perturbant. Incidit saepe, ut apud disquirentes, qua potissimum ratione expediat rem catholicam tueri, minus quam aequum est, Episcoporum valeat auctoritas. Quin immo interdum si quid Episcopus suaserit, si quid etiam pro potestate decreverit, non desunt qui moleste ferant, aut aperte reprehendant, sic accipientes, ut voluisse illum existiment alteris gratificari, alteros offendere. — Iamvero plane perspicitur quanti referat, incolumem esse animorum coniunctionem, eo vel magis quod in tanta ubique pravarum opinionum licentia, in tam acri insidiosaque Ecclesiae catholicae oppugnatione,omnino necesse est, christianos universos, collatis in unum viribus, maximaque voluntatum conspiratione resistere, ne calliditate atque impetu adversariorum separatim oppressi succumbant. Igitur huiusmodi incommodorum cogitatione permoti, Vos, his litteris, Dilecti Filii Nostri, Venerabiles Fratres, appellamus, vehementerque petimus, ut salutarium monitorum Nostrorum interpretes in firmanda concordia prudentian auctoritatemque vestram adhibeatis.

*Rei sacrae et rei civilis mutuae rationes:*

Erit autem opportunum primo loco rei sacrae reique civilis meminisse rationes mutuas, qua multi contrario errore falluntur. Solent enim nonnulli rem politicam a religione non distinguere solum, sed penitus seiungere ac separare, nihil ut esse utrique commune velint, nec quicquam ad alteram ab altera influere putent oportere. Hi profecto non multum ab iis distant, qui civitatem constitui administrarique malunt, amoto cunctarum procreatore dominoque rerum Deo : ac tanto deterius errant, quod rempublicam uberrimo utilitatum fonte temere prohibent. Nam ubi religio tollatur, vacillare necesse est illorum stabilitatem principiorum, in quibus salus publica maxime nititur quaeque

*nulla separatio,*

1. Alloc. *Afflictas*, Kal. Mart. 1841.

vim a religione capiunt plurimam, cuiusmodi potissimum sunt, iuste moderateque imperare, propter conscientiam officii subesse, domitas habere virtute cupiditates, suum cuique reddere, aliena non tangere.

*nulla confusio,*

Verum sicut iste tam impius declinandus est error, sic etiam fugienda illorum opinio praepostera, qui religionem cum aliqua parte civili permiscent ac velut in unum confundunt, usque adeo, ut eos, qui sint ex altera parte, prope descivisse a catholico nomine decernant. Hoc quidem est factiones politicas in augustum religionis campum perperam compellere : fraternam concordiam velle dirimere, funestaeque incommodorum multitudini aditum ianuamque patefacere. — Igitur oportet rem sacram remque civilem, quae sunt genere naturaque distincta, etiam opinione iudicioque secernere. Nam hoc genus de rebus civilibus, quamtumvis honestum et grave, si spectetur in se, vitae huius, quae in terris degitur, fines nequaquam praetergreditur. Contra vero religio, nata Deo et ad Deum referens omnia, altius se pandit coelumque contingit. Hoc enim illa vult, hoc petit, animum, quae pars est hominis praestantissima, notitia et amore Dei imbuere, totumque genus humanum ad futuram civitatem, quam inquirimus, tuto perducere. Quapropter religionem, et quidquid est singulari quodam vinculo cum religione colligatum, rectum est superioris ordinis esse ducere. Ex quo consequitur, eam, ut est summum bonum, in varietate rerum humanarum atque in ipsis commutationibus civitatum debere integram permanere : omnia enim et temporum et locorum intervalla complectitur. Fautoresque contrariarum partium, cetera dissentientes, in hoc oportet universi conveniant, rem catholicam in civilitate salvam esse oportere. Et ad istud nobile necessariumque propositum, quotquot amant catholicum nomen debent velut foedere icto studiose incumbere, silere paulisper iussis diversis de caussa politica sententiis, quas tamen suo loco honeste legitimeque tueri licet. Huius enim generis studia, modo ne religioni vel iustitiae repugnent, Ecclesia minime damnat; sed procul omni concertationum strepitu, pergit operam suam in communem afferre utilitatem, hominesque

*sed alterius alteri iusta subordinatio.*

cunctos materna caritate diligere, eos tamen praecipue, quorum fides pietasque constiterit maior.

*3 DECEMBRIS 1882.*

Concordiae vero quam diximus, idem est in re christiana, atque in omni bene constituta republica fundamentum; nimirum obtemperatio legitimae potestati, quae iubendo, vetando, regendo, varios hominum animos concordes et congruentes efficit. Quam ad rem nota omnibus atque explorata commemoramus: verumtamen talia, ut non cogitatione solum tenenda, sed moribus et usu quotidiano, tamquam officii regula, servanda sint. — Scilicet sicut Pontifex Romanus totius est Ecclesiae magister et princeps, ita Episcopi rectores et capita sunt Ecclesiarum, quas rite singuli ad gerendum acceperunt. Eos in sua quemque ditione ius est praeesse, corrigere, generatimque de iis, quae e re christiana esse videantur, decernere. Participes enim sunt sacrae potestatis, quam Christus Dominus a Patre acceptam Ecclesiae suae reliquit: eamque ob caussam Gregorius IX Decessor Noster: Episcopos, inquit, « *in partem sollicitudinis vocatos* « *vices Dei gerere minime dubitamus* (1). » Atque huiusmodi potestas Episcopis est summa cum utilitate eorum, in quos exercetur, data: spectat enim natura sua ad *aedificationem corporis Christi*, perficitque ut Episcopus quisque, cuiusdam instar vinculi, christianos, quibus praeest, et inter se et cum Pontifice maximo, tamquam cum capite membra, fidei caritatisque communione consociet. In quo genere gravis est ea sancti Cypriani sententia: « *Illi sunt Ecclesia, plebs* « *sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhaerens* (2): » et gravior altera: « *Scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, et* « *Ecclesiam in Episcopo, et si quis cum Episcopo non sit, in* « *Ecclesia non esse* (3). » Talis est christianae reipublicae constitutio, eaque immutabilis, ac perpetua: quae nisi sancte servetur summa iurium et officiorum perturbatio consequatur necesse est, discissa compositione membrorum apte cohaerentium in corpore Ecclesiae, « *quod per nexus* « *et coniunctiones subministratum et constructum crescit in* « *augmentum Dei* (4). » Ex quibus apparet, adhibendam

*Concordiae fundamentum obtemperatio auctoritati Pastorum.*

1. Epist. 198, lib. 13. — 2. Epist. 69 ad Pupianum. — 3. Ibid. — 4. Coloss. II, 19.

esse adversus Episcopos reverentiam praestantiae muneris consentaneam, in iisque rebus, quae ipsorum potestatis sunt, obtemperari oportere.

*Ad obedientiam et concordiam omnes incitantur,*

Perspectis autem studiis, quibus multorum animi istic hoc tempore permoventur, Hispanos omnes non hortamur solum, sed plane obsecramus, ut sese huius tanti officii memores impertiant. — Ac nominatim vehementer studeant modestiam atque obedientiam tenere qui sunt ex ordine Cleri, quorum dicta factaque utique ad exemplum in omnes partes valent plurimum. Quod in muneribus suis insumunt operae, tum sciant maxime fructuosum sibi, proximisque salubre futurum, si se ad imperium eius nutumque finxerint, qui Dioecesis gubernacula tenet. Profecto sacerdotes tradere se penitus partium studiis, ut plus humana, quam coelestia curare videantur, non est secundum officium. Cavendum igitur sibi esse intelligant, ne prodeant extra gravitatem et modum. Hac adhibita vigilantia, pro certo habemus, Clerum Hispanum non minus animorum saluti quam rei publicae incremento virtute, doctrina, laboribus, magis magisque in dies profuturum.

*maxime clerici*

*et qui praesunt piis societatibus,*

Ad eius adiuvandam operam eas societates non parum iudicamus opportunas, quae sunt tamquam auxiliariae cohortes catholico nomini protegendo. Itaque illarum probamus institutum et industriam, ac valde cupimus, ut aucto et numero et studio maiores edant quotidie fructus. — Verum cum sibi proposita sit rei catholicae tutela et amplificatio, resque catholica in Dioecesibus singulis ab Episcopo geratur, sponte consequitur, eas Episcopis subesse et ipsorum auctoritati auspiciisque tribuere plurimum oportere. — Neque minus elaborandum ipsis est in coniunctione animorum retinenda: primo enim hoc est cuivis hominum coetui commune, ut omnis eorum vis et efficientia a voluntatum conspiratione proficiscatur : deinde maxime decet in huiusmodi sodalitatibus elucere caritatem mutuam, quae debet esse ad omnia recte facta comes, disciplinaeque christianae alumnos velut signum et nota distinguere. Quapropter cum sodales facile possint de re publica diversi diversa sentire, idcirco ne concordia animorum contrariis

partium studiis dirimatur, meminisse oportet, quorsum spectent societates, quae a re catholica nominantur, et in consiliis capiundis ita habere animos in uno illo proposito defixos, ut nullius partis esse videantur, memores divinae Pauli Apostoli sententiae : « *Quicumque in Christo baptizati* « *estis, Christum induistis. Non est Iudaeus neque Graecus* « *non est servus neque liber...... omnes enim vos unum estis* « *in Christo* [1]. » — Qua ratione illud capietur commodi, ut non modo socii singuli, sed variae etiam eiusdem generis societates, quod est diligentissime providendum, amice ac benevole consentiant. Sepositis quippe, ut diximus, partium studiis, infensarum aemulationum praecipuae erunt occasiones sublatae; eritque consequens, ut ad se una omnes caussa convertat, eademque maxima et nobilissima, de qua inter catholicos hoc nomine dignos nullus potest esse dissensus.

*3 DECEMBRIS 1882.*

Denique magni refert, sese ad hanc ipsam disciplinam accommodare, qui scriptis, praesertim quotidianis, pro religionis incolumitate dimicant. — Compertum quidem Nobis est, quid studeant, qua voluntate contendant; neque facere possumus, quin de catholico nomine meritos iusta laude prosequamur. Verum suscepta ipsis caussa tam excellens est tamque praestans, ut multa requirat, in quibus labi iustitiae veritatisque patronos minime decet : neque enim debent, dum unam partem officii curant, reliquas deserere. Quod igitur societates monuimus, idem scriptores monemus, ut amotis lenitate et mansuetudine dissidiis, coniunctionem animorum cum ipsi inter se, tum in multitudine tueantur : quia multum pollet scriptorum opera in utramque partem. Concordiae vero cum nihil tam sit contrarium, quam dictorum acerbitas, suspicionum temeritas, insimulationum iniquitas, quidquid est huiusmodi summa animi provisione fugere et odisse necesse est. Pro sacris Ecclesiae iuribus; pro catholicis doctrinis non litigiosa disputatio sit, sed moderata et temperans, quae potius rationum pondere, quam stilo nimis vehementi et aspero victorem certaminis scriptorem efficiat.

*necnon ephemeridum scriptores.*

1. Galat. III, 27-28.

*Commendatur Episcopis vigilantia.*

Istas igitur agendi normas plurimum arbitramur posse ad eas caussas, quae perfectam animorum concordiam impediunt, prohibendas. Vestrum erit, Dilecti Filii Nostri, Venerabiles Fratres, mentem Nostram populo interpretari, et quantum potestis contendere, ut ad ea, quae diximus, vitam quotidianam universi exigant. — Quod sane Hispanos homines ultro effecturos confidimus cum ob spectatam erga hanc Apostolicam Sedem voluntatem, tum ob speranda concordiae beneficia. Domesticorum exemplorum memoriam renovent : cogitent, maiores suos, si multa fortiter, multa praeclare domi forisque gesserunt, plane non dissipatis dissentiendo viribus, sed una velut mente, unoque animo gerere potuisse. Etenim fraterna caritate animati et *id ipsum invicem sentientes*, de praepotenti Maurorum dominatu,de haeresi,de schismate triumpharunt. Igitur quorum accepere fidem et gloriam, eorum vestigiis insistant, imitandoque perficiant, ut illi non solum nominis, sed etiam virtutum suarum superstites reliquisse videantur.

Ceterum expedire vobis, Dilecti Filii Nostri, Venerabiles Fratres, ad coniunctionem animorum similitudinemque disciplinae existimamus, qui in eadem estis provincia et inter vos et cum Archiepiscopo consilia identidem conferre, de rebus communibus una consulturos : ubi vero res postulaverit, hanc adire Sedem Apostolicam, unde fidei integritas et disciplinae virtus cum veritatis lumine proficiscitur. — Cuius rei percommodam allaturae sunt opportunitatem peregrinationes, quae passim ex Hispania suscipiuntur. Nam ad componenda dissidia dirimendasque controversias nihil est aptius, quam Eius vox, quem Christus Dominus princeps pacis vicarium constituit potestatis suae : itemque coelestium charismatum copia, quae ex Apostolorum sepulcris large dimanat.

Verumtamen quoniam *omnis sufficientia nostra ex Deo est*, Deum enixe Nobiscum una adprecamini, ut monitis Nostris virtutem efficiendi impertiat, animosque populorum promptos ad parendum efficiat. — Communibus adnuat coeptis augusta Dei parens Maria Virgo Immaculata, Hispaniarum patrona : adsit Iacobus Apostolus, adsit Theresia a Iesu,

virgo legifera, magnum Hispaniarum lumen, in qua concordiae amor, patria caritas, obedientia christiana mirabiliter in exemplum eluxere.

*3 DECEMBRIS 1882.*

Interim coelestium munerum auspicem et paternae benevolentiae Nostrae testem vobis omnibus, Dilecti Filii Nostri, Venerabiles Fratres, cunctaeque genti Hispanorum Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae Apud S. Petrum die VIII decembris anno MDCCCLXXXII, Pontificatus Nostri anno quinto.

LEO PP. XIII.

# CONSTITUTIO

## QUA CONSILIUM S. R. E. CARDINALIUM LEGENDIS ITALIAE EPISCOPIS INSTITUITUR [1].

*XI CAL. OCTOBRIS 1878.*

IMMORTALIS memoriae Praedecessor Noster Benedictus XIV Supremi Apostolatus munere vixdum suscepto, probe noscens quam Ecclesiae Dei necessarium esset Romanorum Pontificum curas, ut Tridentini Patres monuere, in id potissimum impendi, ut digni ac probati viri ad episcopale ministerium admoveanter, et quantum in optimorum Pastorum electione ad incolumitatem et salutem fidelis populi praesidii sit, Apostolicam sollicitudinem in id conferendam censuit,ut de egregiis rectoribus et omni laude pastorali instructis, Ecclesiis vacantibus, Deo iuvante, provideretur.

*Episcoporum electiores summi momenti:*

Quapropter idem vigilantissimus Pontifex, zelo salutis animarum incensus, Apostolicis litteris sub plumbo datis die 17 octobris anno 1740 sui Pontificatus primo, quarum initium « *Ad Apostolicae servitutis* » peculiarem Congregationem S. E. R. Cardinalium erexit, instituit et specialiter deputavit, cuius consilio in iis quae ad Episcoporum creationem spectant uteretur, confidens in Domino fore ut Romani Pontifices Successores Sui, Congregationis eiusdem cooperatione et auxilio pariter essent usuri.

*specialis Congregatio huic negotio a Benedicto XIV proposita,*

Haec tamen ratio prudenter omnino et salubriter ab Eo inita, usu diuturna non fuit : et sensim ac paulatim ea restitui coepta, quae anteactis temporibus viguerat. At vero cum Nos perspiciamus quantopere intersit, his praesertim miseris temporibus, ea omnia praesidia adhibere, quibus electioni proborum et idoneorum Pastorum rite consulatur, et quam fidum adiumentum in probitate, prudentia et zelo Venn. Fratrum Nostrorum S. E. R. Cardinalium Nobis sit propositum, in iis curandis et perficiendis, quae ad Ecclesiae

---

1. Adduntur hic nonnulla documenta quae vel Collectorem fugerant, vel priori consilio praetermitti posse visa fuerant.

Dei utilitatem pertinent, memorati Praedecessoris Nostri providentiam hac in re gravissima Nobis usurpandam Eiusque Constitutionis vim in usum plene revocandam censuimus, minime dubitantes quin auxiliante Deo curae et fiducia Nostra optatum exitum sint habiturae. Sapientibus itaque et providis consiliis praedicti Praedecessoris Nostri libenter inhaerentes, et tanto huic negotio quod in Episcoporum electione versatur, quantum fieri potest, opportunius et salubrius consulere cupientes, tenore praesentium, salva in omnibus forma et ratione quae in electione et confirmatione Episcoporum exterarum regionum hactenus ab hac S. Sede servata est, Congregationem peculiarem erigimus, instituimus et specialiter deputamus, quae Nobis et Successoribus Nostris consilium et operam suam ad promotionem praeficiendorum Italiae Dioecesibus sedulo praestare debebit. Huic autem Congregationi quinque, iuxta Praedecessoris Nostri institutum, ex Venn. Fratribus Nostris S. E. R. Cardinalibus pietate, doctrina, prudentia rerumque usu praestantes, nuper a Nobis delectos et nominatos, adscribimus, eiusdemque Congregationis Secretarium Dilectum Filium Auditorem Nostrum constituimus, eique peculiarem adiutorem adiungimus, ut negotiis expediendis et actis Congregationis curandis auxiliariam operam conferat. *in usum revocatur.*

Porro huius Congregationis praecipuum munus erit sub secreti fide per Metropolitas italicae regionis seu seniorem uniuscuiusque Provinciae Antistitem, ab Episcopis exquirere nomina et merita praestantiorum utriusque Cleri sacerdotum, qui dotibus praediti a sacro iure praefinitis ex communi eorum suffragio in quaque dioecesi et provincia, Episcopali muneri gerendo pares existimentur. Documentis rite acceptis, eadem Congregatio expendet et sedulo explorabit quae de indole, natura, conditionibus et dotibus eorum qui proponuntur relata fuerint, atque de eorum vita et moribus, si oportuerit, diligentius etiam et accuratius inquiret. Hoc autem diligenti examine habito, Congregationis Nostrae erit in peculiari conventu de cuiusque idoneitate et meritis iudicium ferre, et cum de *eius munus.*

Rectoribus vacantium Sedium deligendis a Nobis consulta fuerit, nomina illorum edet qui sibi maturo iudicio probati fuerint, ut Nos eorum rationem habentes tutius decernere possimus, quorum fidei et vigilantiae vacuas sedes committamus.

Ea deinde quae idem Praedecessor Noster Capite IV Constitutionis suae, sacro Consilio a se instituto curae esse voluit, cum primum alicuius Ecclesiae vacatio innotuerit; quaeque Capite V de Episcopis agens ab una ad alteram Ecclesiam tranferendis, eiusdem consilii iudicio et prudentiae permisit; et quae demum Capite VI de secreti religione servanda edixit, quo vinculo et ipsum adiutorem Auditoris Nostri pariter obstringi declaramus; haec omnia et singula, uti a Praedecessore Nostro statuta ac decreta sunt, rata et firma in omnibus manere volumus et mandamus, iisque, quatenus opus sit, Apostolicae etiam auctoritatis Nostrae robur adiicimus.

*Gravissima adhortatio.*

Hac autem occasione praetermittere non posumus, quin etiam omnium eorum qui ad promotionem praeficiendorum quacumque ratione operam suam praestant, in gravissimo electionum negotio, religionem, prudentiam, integritatem vehementer in Domino excitemus. Sint ipsis perpetuo ante oculos et defixa animo gravissima monita, quae Concilium Tridentinum hac in re disertis ac luculentis verbis proponenda censuit. De Omnipotentis Dei gloria res est, de bono animarum: non alium idcirco finem in suffragatione habere eos oportet, nisi ut religionis utilitati et gregis Christi incolumitati prospiciatur. Alienis autem eos peccatis communicare affirmant Tridentini Patres, nisi quos digniores, et Ecclesiae magis utiles, non quidem precibus vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis iudicaverint, praefici diligenter curent. Sui vero studii ac suffragii rationem reddituri sunt ipsi Deo, qui requiret de manibus eorum sanguinem ovium, si quae ex malo Pastorum regimine interierint.

Nulli ergo hominum licet hanc paginam nostrae voluntatis, constitutionis, decreti et hortationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc

attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum se noverit incursurum.

*XI CAL. OCTOBRIS 1878.*

Datum Romae aqud Sanctum Petrum in Vaticano, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo octavo, undecimo calendas octobris, Pontificatus Nostri anno primo.

# EPISTOLA

## Ad Russiae imperatorem

## DE REI CATHOLICAE CONDITIONE IN EIUS DITIONIBUS.

*12 APRILIS 1880.*

Ea prosperitatis omina quibus Imperialem Maiestatem Tuam per Cardinalem Pro-Nuntium Nostrum Vindobonae in Austria degentem prosecuti sumus, cum anniversaria dies XXV Tibi affulgeret ab Imperiali Dignitate accepta, nunc Nos ipsi per has litteras Nostras Tibi libenter exhibemus, optantes ex animo ut a Rege Regum et Domino Dominantium feliciter impleantur. Hanc autem nacti occasionem, praetermittere non possumus, quin Imperialem Maiestatem Tuam appellemus, ut mentem et cogitatum conferat ad asperam conditionem in qua versantur catholicorum res, qui in tua amplissima Ditione continentur. Haec quidem conditio animum Nostrum sine gravi cura et sollicitudine esse non sinit. Ingens porro studium quod Nos movet, ut pro munere quo fungimur Supremi Ecclesiae Pastoris, spiritualibus necessitatibus istorum fidelium occurramus, non minus videtur movere debere in tot civilium rerum perturbationibus et humanarum cupiditatum motibus Maiestatem Tuam, quae, libertate catholicae Ecclesiae reddita, magnam profecto caussam haberet, cur de tranquillitate, fide, ac devota Sibi voluntate subditorum posset omnino confidere. Iustitia et aequitas Maiestatis Tuae facit ut spem foveamus posse feliciter Nostrarum utriusque voluntatum concordiam constitui. Non enim latet Maiestatem Tuam Catholicam Religionem pro suo munere id perpetuo spectare, ut pacis spiritum late promoveat, ac regnorum et populorum quieti possit esse praesidio. Confidentes itaque Nos votorum Nostrorum compotes fore, interea Deum Omnipotentem ex corde adprecamur, ut Te diu sospitem et incolumem servet, ad salutaria consilia erigat, ac perfecta Nobiscum caritate coniungat.

*Pontificis sollicitudo.*

*Bona ex libertate Ecclesiae obventura.*

Datum Romae apud S. Petrum die 12 aprilis 1880, Pontificatus Nostri anno tertio. LEO PP. XIII.

# EPISTOLA

## Ad Cardinales Pecci et Zigliara

## DE ROMANA S. THOMAE ACADEMIA.

*21 NOVEMBRIS 1880.*

PROBE nostis, quo studio et quam libenti animo instituendam curavimus Academiam romanam Sancti Thomae Aquinatis, cui vos, Dilecti Filii Nostri, praeesse iussimus. De qua ipsa hoc primum laetati sumus, natalem eius superiore mense Maio optimis auspiciis esse celebratum. Itaque si in rerum primordiis inest aliquid argumenti ad prospiciendum in posterum, iam licet animo cernere fructus eius futuros. — Hos quidem, cum laetos et uberes, Deo iuvante, expectamus, tum valde cupimus longe lateque diffluere. Nimirum quidquid in Academia suscipitur operae, navando, disputando, efficiendo, id omne maxime volumus non referri solum ad doctrinae opes augendas in sodalibus et alumnis, quamquam est hoc quidem permagnum et praeclarum ; sed ad ipsam plane converti alendam provehendamque cunctarum rerum quibus homines studere solent, scientiam ; ita sane ut a paucis suscepti labores communem quam plurimis pariant utilitatem.

*Romana S. Thomae Academia verae scientiae augendae instituta.*

Nam doctos viros, si unquam alias, certe hoc tempore iubet ipsa necessitas et adiuvare graviores disciplinas in indagatione atque inventione veri, et insidentes errores ex hominum mentibus stirpitus evellere. Haec duo Nobis unice spectata sunt, cum generatim in philosophiae christianae restituenda facultate, tum in Academia vestra constituenda; atque illud fore speramus, ut ex sapientia veterum studiose culta vis quaedam optimarum rerum efficiens opportune influat in mores hominum, in instituta civitatis.

*Prae oculis habendae praesentis temporis necessitates.*

Hanc ob caussam vehementer omnes sodales et alumnos monemus atque hortamur, ut diligentissime perspiciant in doctrinae studiis qui sint ingeniorum cursus quotidiani ; quid in singulis disciplinis hominum industria inveniat atque efferat novi : item animum advertant quibus potissimum veritatibus bellum inferatur, idque ipsum quo consilio,

quibus artibus. Haec enim omnia plurimum refert habere perspecta, ut liceat in eodem campo eodemque genere armorum cum hostibus et oppugnatoribus sapienter dimicare. Ex quo consequitur, nosse et tenere opus esse, quae scientissime meditata apud varias gentes certis temporibus in lucem proferri solent. Ac magni etiam ad ea, quae volumus, interesse arbitramur, adornari in hac alma Urbe et in destinatos dies publicari de re philosophica et theologica commentarios, graves illos quidem et romana sapientia dignos, quibus sint Academiae acta, et studiorum vestrorum monumenta in spem diuturnitatis consignata.

*Adolescentes Romam invitandi qui studiis incumbant.*

Postremo cum optabile sit, numerum augeri alumnorum, expedit adolescentes ex variis provinciis, qui bonam spem prae se ferant animi et ingenii, Romam ad tempus liberaliter invitari, uti scilicet coetus Academicos celebrare commodum queant, atque ex disciplina vestra aliquando discedere eo instructi doctrinarum apparatu, qui sibi usui sit ad ceteros utiliter erudiendos.

*Expensis providetur.*

Haud sane levia sunt quae diximus, nec solum industriam sapientiamque vestram, sed etiam sumptuum tolerandorum facultatem desiderant. Sed tamen hanc ad rem primas Nos ipsi partes suscipiemus, operi inchoato tamquam fastigium imposituri. Scilicet cum firmiter Academiam stabilitam esse velimus, et instructam ornatamque iis rebus, in quibus spes incolumitatis non minima consistit, decrevimus suo illam censu, quasi dotis nomine, tueri ac munire. — Itaque Academiae romanae Sancti Thomae Aquinatis de pecunia Nostra addicimus atque attribuimus, donationis caussa, certam summam, necessariis sumptibus parem, quam vobis cura agentibus, Dilecti Filii Nostri, collocari iubemus, et ex annuo eius redditu impendi quod opus fuerit edendis Academiae actis, sodalium scriptis; accipiendis mittendisque litteris; coemendis libris cognitione dignis; denique subveniendo, quoad fieri poterit, adolescentibus provincialibus Romam commeare et in disciplinam Academiae sese instituendos tradere cupientibus.

Quod si Academiae quidquam accidat, quamobrem aut esse desinat, aut operam navare intermittat, tum ea pecunia

ne in alienos usus convertatur, volumus ac praecipimus, ut ad Pontificem Maximum tota perveniat, reditura tamen ad usus qui supra scripti sunt, cum Academiam ipsam in statum pristinum restitui contigerit.

*21 NOVEMBRIS 1880.*

Reliquum est, ut bonorum consiliorum auctor et adiutor Deus coeptis communibus benignus adspiret. — Interim divinorum munerum auspicem et praecipuae benevolentiae Nostrae testem vobis, Dilecti Filii Nostri, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI novembris MDCCCLXXX, Pontificatus Nostri anno tertio.

LEO PP. XIII.

# EPISTOLA

## Ad Archiepiscopum Mechliniensem

## DE CATHEDRA S. THOMAE AQUINATIS LOVANII ERIGENDA.

*25 DECEMBRIS 1880.*

INSTITUTO voluntatique Nostrae de excitanda ac propemodum in sua iura restituenda sancti Thomae Aquinatis philosophica disciplina, docti viri ubique una et voce et mente consentiunt. Etenim ad illius studia referre se scholae catholicae coeperunt ; quae ultro amplexae quidquid scite et laudabiliter est recentiorum hominum perfectum industria, id tamen ipsum instituunt cum sapientia veterum coniungere. Ista quidem verissima atque omnium aptissima ratio philosophandi, quam cunctos vel in docendo vel in discendo ingredi vellemus, in multis optimarum artium domiciliis iamdiu ante nostram aetatem erat consuetudine atque usu comprobata. In quibus multa celebratur laude Universitas studiorum Lovaniensis, cuius videlicet rectores doctoresque in primis nobiles longo iam tempore omnem exemplo suo posteritatem docuerunt, quantum Doctori Angelico tribui honoris, et quam studiose eius adamari disciplinam oporteat. Illum enim summa animorum consensione sibi praeoptavere Doctorem ac Patronum coelestem : eaque Alexandro VII P. M. Decessori Nostro iustissima caussa fuit, quamobrem illos perhonorificis litteris collaudaret, valde insuper cohortatus, ut *inconcussa tutissimaque dogmata SS. Augustini et Thomae* diligenter profiteri perseverarent.

*Doctrinae S. Thomae iamdiu addicta Lovaniensis Universitas.*

Plura sunt quae demonstrant, veterem illum sanctissimi Doctoris amorem in collegio doctorum atque auditorum Lovaniensium non esse diuturnitate temporis extinctam ; neque dubium Nobis est, quin priores illi magistri egregios isthic doctrinae virtutisque suae etiam nunc superstites habeant, qui scilicet non modo conservare quaesitam iam nominis gloriam, sed etiam Thomisticae

*Ratio temporum postulat ut philosophia Angelici iuventus catholica penitius imbuatur.*

sapientiae studia continuare velint. Nihilominus tamen, perspecta conditione temporum, Nos omnino censemus, nunc esse acrius ac vigilantius elaborandum quam antea in imbuenda penitus iuventute largioribus iisdemque sinceris atque incorruptis philosophiae fontibus. Eamque ob caussam tibi, dilecte fili Noster, auctores sumus, ut Nostra cum ceteris episcopis Belgicis consilia communices, rogataque singulorum sententia, perficias ut in Universitate studiorum Lovaniensi schola singularis, data opera, instituatur Thomae Aquinati auditoribus interpretando. Id tibi impense suademus tum propter communis salutis studium, tum maxime quia periculis permovemur, quibus Belgicam iuventutem videmus oppositam. Etenim effrenata illa, quae in Belgio dominatur, cogitandi scribendique libertas pessimarum opinionum portenta peperit ; atque in ipsis scholis publicis non pauci sunt, qui christianos spiritus in adolescentium animis extinguere, et initia caussasque impietatis serere audacissime moliuntur. Tuque, dilecte fili Noster, qui nefarias istas improborum hominum artes cominus intueris, facile intelligis, quam multi, doctrinis praesertim Naturalistarum et Materialistarum decepti, ad perniciem quotidie devocentur. Quare contra pravarum opinionum auctores oportet in Universitate Lovaniensi munire adolescentes sanae philosophiae armis, et patribus familias christianis institutionem liberorum praestare ab omnibus erroribus tutam ac defensam. Cuius rei maior etiam necessitas cernitur, si consideretur, posse complures ex Academiae subselliis ad honores aliquando assurgere, ad munera publica, ad ipsa gubernacula civitatis ; neque eos posse melius tueri populorum salutem, et communitatis bono efficacius consulere, quam si ad rempublicam accesserint, insidente penitusque in animis insculpta christiana philosophia.

Cum vero multis iam rebus cognita sit Nobis voluntas ac sapientia et tua, dilecte fili Noster, et ceterorum Venerabilium Fratrum Episcoporum, pro certo habemus, Vos consilium Nostrum quanti est tanti aestimaturos. Date igitur operam legendis sapienter magistris, tuendis vigilanter studiis optimis, et sic statuite, tanto meliorem disciplinarum

fore rationem,quanto ad doctrinam Thomae Aquinatis proprius accesserit. Interim divinorum munerum auspicem et praecipuae benevolentiae Nostrae testem tibi, dilecte fili Noster, et ceteris Episcopis Belgicis, collegio doctorum atque auditoribus universis Universitatis Lovaniensis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 25 decembris 1880, Pontificatus Nostri anno tertio.

LEO PP. XIII.

# EPISTOLA

## Ad Episcopos Bohemiae.

## DE SPE MELIORIS CONDITIONIS RERUM CATHOLICARUM APUD SLAVOS.

*14 IULII 1881.*

BENE cognitum Nobis egregium animum vestrum magis etiam perspeximus ex litteris, quas proxime misistis: ex quibus apparet, id Vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque Bohemo pergratum fuisse, quod Cyrillum et Methodium sanctissimos Apostolos vestros toto orbe colendos decrevimus. Gratulamur pietati vestrae, ac Nobismetipsis in Domino gaudemus, quod universum in Slavis catholici nominis par pietatis studium elucere videatur. Viget enim apud ipsos hoc tempore avita fides: propensiores erga hanc beati Petri Sedem sunt voluntates: animique cum Ecclesia romana vehementius cupiunt esse coniunctos. Quarum rerum, si nihil aliud, hi Nobis proximi dies insigne indicium praebuerunt, cum magna ex omni civium ordine multitudo Romam e regionibus vestris ad Nos venerabunda confluxerit. Hoc habitu animorum, optimam divinae gloriae provehendae opportunitatem Dei ipsius beneficio oblatam censemus. Quare oportet bene animatos sapienter confirmare, atque ita istam meliorum rerum spem diligenter tueri. Non sumus quidem nescii, quot et quantae difficultates obsistant: praesertim cum plurimi sint, quibus est propositum eorum errorem retinere ac propagare, qui acceptam a Cyrillo Methodioque fidem deseruerunt. Sed proximorum saluti animose inserviendum est, et in tuenda fidei catholicae unitate nullus recusandus labor. In hanc rem Nobis certum est omni cogitatione curaque incumbere: sed in eodem opere elaborare etiam industriam sapientiamque vestram, Venerabiles Fratres, magnopere necesse est, tum quod estis in partem sollicitudinis Nostrae vocati, tum quod in re praesenti vobis est magna copia explorandi quid necessitates postulent et qua potissimum ratione succurrendum. Quoniam autem in hoc genere,

*Laudantur Bohemorum fides et propensio erga Sanctam Sedem.*

*Meliorum rerum spes tuenda.*

*Cleri zelus excitatur.*

de quo loquimur, priores sunt cleri partes, plurimum interessse iudicamus, quo pacto sacrorum alumni instituantur. Profecto providendum est, ut ii ad doctrinam pariter ac pietatem informentur, caritate praestent, fide et caritate erga hanc Apostolicam Sedem Ecclesiamque romanam excellant. Ad haec autem capessenda ornamenta multo facilius ac tutius assurgent, si doctrina sancti Thomae Aquinatis sedulo imbuantur.

Interim, Venerabiles Fratres, Vobis, Clero et populo fidei vestrae commisso Apostolicam benedictionem divinorum munerum auspicem peramanter in Domino impertimus.

Datum, Romae apud S. Petrum die 14 julii 1881, Pontificatus Nostri anno quarto.

LEO PP. XIII.

FINIS PRIMI VOLUMINIS.

# ELENCHUS DOCUMENTORUM.

Constitutio *Pastor Aeternus.*

---

# INDEX ANALYTICUS (1).



1. Index materiarum alphabeticus secundo volumini adiicietur.

Ex typis Societatis Sancti Augustini. — Brugis.